



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>


NEDL TRANSFER



HN 3NNT W


Chamier

W. D. Chamier



John Chamier Esq.

XD 536 39





Innocent Alefandri, sculpsit

MARCI ANNAEI
LUCANI
PHARSALIA

SIVE
DE BELLO CIVILI
LIBRI DECEM

CUM SUPPLEMENTO
THOMÆ MAII ANGLI.



VENETIIS MDCCLXXXIII
Apud Thomam Bettinelli

Cum Facultate ac Privilegio

LD 17.14.5
KD 53639


Harvard College Library

Bowie Collection

Gift of

Mrs. E. D. Brandegae

Nov. 9, 1908





M. ANNÆI LUCANI

V I T A

EX COMMENTARIO ANTIQUISSIMO.

MARCUS ANNÆUS LUCANUS patrem habuit M. Annæum Melam ex provincia Batica Hispaniæ interioris, Cordubensem Equitem Rom. illustrem inter suos; notum Romæ, & propter Senecam fratrem, clarum per omnes virtutes virum, & propter studium vitæ quietioris; quod sequens, quo magis a turba recedebat, minus latebat. Matrem habuit & regionis ejusdem & urbis Aciliam nomine, Acilii Lucani filiam, oratoris operæ apud proconsules frequentis, & apud clarissimos viros non nullius ingenii; adeo non improbandus, ut inscriptis aliquibus hodie quoque duret ejus memoria: cujus cognomen huic inditum adparet. Natus est III Non. Novemb. C. Cæsare Augusto Germanico II, L. Cæ-

siano I Coss, Sed in patria sua non valuit educari: fatorum, credo, decretis, ut id ingenium, quod orbem fama sui impleturum cresceret, in domina mundi aleretur urbe. Octavum enim mensam agens Romam translatus est. Ac ne dispar eventus in eo narraretur ejus, qui in Hesiodo refertur, quum opinio tunc non dissimilis maneret, cunas infantis, quibus ferebatur, apes circumvolant, osque insidere complures, aut dulcem jam tum spiritum ejus inhaurientes, aut facundum, & qualem nunc existimamus, futurum significantes. A præceptoribus tunc eminentissimis est eruditus, eosque intra breve temporis spatium ingenio adæquavit: una vero studentes superavit profectibus. Declamavit & Græce & Latine cum magna admiratione audientium. Ob quod puerili mutato in senatorium cultum, & in horitiam Cæsaris Neronis facile pervenit, & honore vix dum ætati debito dignus judicatus est. Gessit autem quæsturam: in qua cum Collegis, more tunc usitato, munus gladiatorium edidit; secundo populi favore, sacerdotium etiam accepit, Equidem hætenus tempora habuit secunda. Quæ autem sequuntur, mutata invidia & odio Neronis,

ipsi exitium, domesticis luctum miserabilem adtulērunt. Inter amicos enim Cæsaris, quod tam conspicuus fieret profectus in poetica, frequenter offendebatur. Quippe & certamine pentateurico actō in Pompeji theatro laureis, recitante Nerone, fuerat coronatus, & ex tempore Orphea scriptum in experimentum ingenii ediderat; & tres libros quales videmus. Quare inimicum sibi fecit Imperatorem. Quo ambitiose imitante non hominum tantum; sed & artium sibi principatum vendicante, interdictum est & poetica; interdictum est etiam caussarum actionibus. Hoc factum Cæsaris juvenili æstimans animi calore, speransque ultionem, a conjuratis in cædem Neronis socius adsumtus est: sed parum fauste. Deceptus est enim a Pisone & Constularibus, aliisque prætura perfunctis illustribus viris. Dum vindictam expetit, in mortem irruit. Nam sua sponte coactus vita excedere, venas sibi præcidit; periitque prid. Cal. Majas Attico Vestino, & Nerva Sylano Coss. XXVII ætatis annum agens: non sine jactura utilitatis; quum patriæ, quæ tantam immature amisit indolem; tum studiorum quoque. Reliqui enim VII Belli civilis libri locum calu-

mniantibus, tamquam mendosi non darent. Qui tametsi sub vero crimine non egent patrociniis, de iisdem dici, quod in Ovidii libris præscribitur, potest: *Emendaturus, si licuisset, erat*. Exstant ejus & alii complures; ut, (*) Iliacon. Saturnalia. Catascomon. Silvarum X. Tragœdia Medea imperfecta. Salticæ Fabulæ XIV. Et Hippamata prosa oratione in Octavium Sagittam: & pro eo, de incendio urbis. Epistolarum ex Campania. Non fastidiendi quidem omnes: tales tamen, ut belli civilis videatur accessio.

(*) In indiculo hoc Operum Lucani pleraque sunt aut corrupta aut obscura. Jo. Alb. Fabricius ea clarius & verius his verbis enumerat: Deperdita Lucani sunt, Catacismus Iliacus, Catalogus Heroidum, Hæctoris lytra, Orpheus, Saturnalia, Silvarum Libri X, Medea Tragœdia imperfecta, Hippamata prosa oratione in Octavium Sagittam, & pro eo Declamationes, Epistolæ ex Campania, Satyricæ Fabulæ XIV &c. &c.





M. ANNÆI LUCANI

VITÆ

FRAGMENTUM

EX C. SUETONII TRANQUILLI

(UT VIDETUR)

LIBRO DE CLARIS POETIS.

M. ANNÆUS LUCANUS Cordubensis primæ ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine. Dein Civile bellum, quod cum Pompejo à Cesare gestum est, recitavit. Qui tantæ levitatis & immoderatæ linguæ fuit, ut in Præfatione quadam ætatem & initia sua cum Virgilio comparans, ausus sit dicere: *Et quantum mihi restat ad Culkem?* Hic initio adolescentiæ, quum ob infestum matrimonium patrem suum ruri agere longe cogno-

visset, revocatus Athenis a Nerone, cohortique amicorum additus, atque etiam quæstura honoratus. Non tamen permansit in gratia. Siquidem ægre ferens recitante se, subito, ac nulla nisi refrigerandi sui causa, indicto Senatu, Neronem recessisse; neque verbis adversus Principem, neque factis exorbitantibus posthæc temperavit. Adeo ut quondam in latrinis publicis, clariore strepitu ventris emisso, hemistichium Neronis, magna consessorum fuga pronunciarit: *Sub terris tonuisse putes*. Sed & famoso carmine quum ipsum, tum potentissimos amicorum, gravissime proscidit. Ad extremum pæne signifer Pisonianæ conjurationis exstitit, multus in gloria tyrannicidarum palam prædicanda; ac plenus minarum; usque eo intemperans, ut Cæsaris caput proximo cuique jactaret. Verum detecta conjuratione, nequaquam animi constantiam præstitit. Facile enim confessus, & ad humillimas devolutus preces; matrem quoque innoxiam inter socios nominavit, sperans impietatem sibi apud parricidam Principem futuram. Impetrato autem mortis libero arbitrio, codicillos ad patrem corrigendos quibusdam versibus suis exaravit. Epulatusque largi-

VITÆ FRAGMENTUM. 9

tet, brachia ad secandas venas medico præbuit.
Poemata ejus prælegi memini: confici vero ac
venalia proponi, non tantum opere ac dili-
genter; sed inepte quoque.





ARGUMENTUM

LIBRORUM

M. ANNÆI LUCANI

SINGULIS VERSIBUS PER SINGULOS
LIBROS DISPOSITIS. (*)

*Cæsaris a Gallia reditum canit ad sua Primus.
Magnum cum patribus profugum docet inde Secundus.
Tertius excitas notat in sua funera gentes.
Quartus habet partis mutilas utriusque cohortes.
Quintus componit cum Cæsare militis iras.
Sextus Thessaliæ bellis adcommodat oras.
Septimus exsequitur planctu miserabile bellum.
Separat Octavus Pompeji morte duellum.
Nonus arenivagum commendat laude Catonem.
Cæsaris in Pharia Decimus canit urbe vigorem.*



(*) Hoc Argumentum, & quæ singulis libris præfixa sunt, ex MS. Guelferbyitano, qui olim Rottendorffii, postea Guldii fuerat, desumpta sunt: quum aliæ editiones Joann. Sulpicii Summaria exhibere soleant.



M. ANNÆI LUCANI
PHARSALIA.
LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

*Cesaris in primo, Gallis ubicumque subactis,
Italiam redivus describitur, utque coactis
Invidia patribus aquilas deponere jussus
Atque triumphali pompa torpescere cassus.
Ille dolens tanti mercede carere laboris,
Insinuat sociis tanti monumenta doloris.
Quorum consilio missos per Gallica vœra
Dirigit, & revocat, quæ liquerat, agmina plura.
Omnibus instructus Romam petit exagitatus:
Quo rumore pavens populus fugit atque senatus.
Monstra deinceps cælo, terra conspecta marique
Semina bellorum spargenda misantur ubique.*

BELLA per Emathios plus quam civilia campos,
Jusque datum sceleri canimus, populumque potentem

In sua vîtrici conversum viscera (1) dextra:
 Cognatasque acies: & rupto fœdere regni,
 Certatum totis eoneussi viribus orbis
 In commune nefas: infestisque obvia signis
 Signa, parës aquilas, & pila minantia pilis.

Quis furor, o cives? quæ tanta licentia ferri,
 Gentibus invisis Lætium præbere cruorem?
 Quumque superba foret Babylon spolianda tropæis
 Ausoniis, umbræque erraret Crassus inulta,
 Bella geri placuit nullos habitura triumphos?
 Heu, quantum terræ potuit pelagique parari
 Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextræ!
 Unde venit Titan, & nox ubi sidera condit,
 Quaque dies medius flagrantibus æstuat horis (2),
 Et qua bruma rigens ac nescia vere remitti,
 Adstringit Scythico glaciale frigore pontum (3):
 Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes,
 Et gens, si qua jacet nascenti conscia Nilo.
 Tunc, si tantus amor belli tibi Roma nefandi,
 Totum sub Latias leges quam miseris orbem,
 In te verte manus: nondum tibi defuit hostis.
 At nunc semirutis pendent quod mœnia tectis
 Urbibus Italiæ, lapsisque ingentia muris
 Saxa jacent, nulloque domus custode tenentur (4),

(1) funera *MS. male.*

(2) oris *MS. & Luctat.*

(3) schyticum glaciali frigore pontum *vulgo.*

(4) nullæque *MS. unus. tuerentur alius. tenetur multi.*

Rarus & antiquis habitator in urbibus errat:
 Horrida quod dumis multos inarata per annos
 Hesperia est, desuntque manus poscentibus arvis;
 Non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
 Pœnus erit: nulli penitus descendere ferro
 Contigit: alta sedent civilis vulnera dextræ.
 Quod si non aliam venturo fata Neroni,
 Invenere viam, magnoque æterna parantur
 Regna deis, cœlumque suo servire Tonanti
 Non nisi sævorum potuit post bella gigantum:
 Jam nihil, o superi, querimur: scelera ipsa, nefasque
 Hac mercede placent: diros Pharsalia campos
 Impleat: & Pœni saturentur sanguine manes:
 Ultima funesta concurrant prælia Munda.
 His, Cæsar, Perusina fames, Mutinæque labores
 Accedant fatis: & quas premit aspera, classes,
 Leucas: & ardenti servilia bella sub Ætna.
 Multum Roma tamen debet civilibus armis,
 Quod tibi res acta est. Te, quum, statione peracta,
 Astra petes serus, prælati regia cœli
 Excipiet, gaudente polo; seu sceptrâ tenere,
 Seu te flammigeros Phœbi conscendere currus,
 Telluremque nihil mutato sole timentem
 Igne vago lustrare juvet. Tibi numine ab omni
 Cedetur, juriq; tuo (1) natura relinquet,

(1) jurisque tui *vulgati cum Prisciano.*

Quis deus esse velis, ubi regnum ponere mundi.
 Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe:
 Nec polus aversi calidus qua vergitur Austri;
 Unde tuam videas obliquo sidere Romam.
 Ætheris inmensi partem si presseris unam,
 Sentiet axis onus. Librati pondera cœli
 Orbe tene medio: pars ætheris illa sereno
 Tota vacet, nullæque obstant a Cæsare nubes.
 Tunc genus humanum positis sibi consulat armis,
 Inque vicem gens omnis amet: pax missa per orbem
 Ferrea belligeri compescat limina Jani.
 Sed mihi jam numen: nec, te si pectore vates
 Accipio, Cyrrhæa velim secreta moventem
 Sollicitare deum, Bacchumque avertere Nysa.
 Tu satis ad vires Romana in carmina dandas.

Fert animus (1) caussas tantarum expromere rerum,
 Inmensumque aperitur opus, quid in arma furentem
 Impulerit populum, quid pacem excusserit orbi.
 Invida fatorum series, summisque negatum
 Stare diu; nimioque graves sub pondere lapsus;
 Nec se Roma ferens. Sic, quum, compage soluta,
 Sæcula tot mundi suprema cœgerit hora,
 Antiquum repetent iterum chaos omnia; mixtis
 Sidera sideribus concurrent: ignea pontum
 Astra petent: tellus extendere litora nolet,

(1) est animus MS.

Excutietque fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit, &, obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi: totaque discors
Machina divulsi turbabit fœdera mundi.

IN se magna ruunt: lætis hunc numina rebus
Crescendi posuere modum. Nec gentibus ullis
Commodat in populum, terræ pelagique potentem,
Invidiam Fortuna suam. Tum caussa malorum
Facta tribus dominis communis Roma, nec umquam
In turbam missi fœralia fœdera regni.

O male concordēs nimiaque cupidine cæci,
Quid miscere juvat vires, orbemque tenere
In medium? dum terra fretum, terramque levabit
Aer, & longi volvent Titana labores,
Noxque diem cœlo totidem per signa sequetur;
Nulla fides regnis sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit. Nec gentibus ullis
Credite; nec longe fatorum exempla petantur:
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.
Nec pretium tanti tellus pontusque furoris
Tunc erat: exiguum dominos commisit asylum.

Temporis angusti (1) mansit concordia discors,
Paxque fuit non sponte ducum. Nam sola futuri
Crassus erat belli medius mora. Qualiter undas
Qui secat & geminam gracilis male separat (2) Isthmos,

(1) tempus ad Augusti *Acron Cruquii*.

(2) mare separat *MSS. & edd. omnes*.

Nec patitur conferre fretum? si terra recedat,
 Jonium Ægæo franget mare: sic, ubi sæva
 Arma duorum dirimens, miserando funere, Crassus
 Assyrias Latio maculavit sanguine Carras,
 Parthia Romanos solverunt damna furores.
 Plus illa vobis acie; quam creditis, actum,
 Arsæidæ: bellum victis civile dedistis.
 Dividitur ferro regnum: populique potentis,
 Quæ mare, quæ terras, totum quæ continet orbem,
 Non cepit fortuna duo. Nam pignora juncti
 Sanguinis & diro ferales omine tedas
 Abstulit ad manes, Parcarum, Julia, sæva
 Intercepta manu. Quod si tibi fata dedissent
 Majores in luce moras, tu sola furentes (1)
 Inde virum poteras atque hinc retinere parentem,
 Armatasque manus excusso jungere ferro,
 Ut generos mediæ soceris junxere Sabinæ.
 Morte tua discussa fides bellumque movere,
 Permissum duobus. Stimulos dedit æmula virtus.
 Tu nova ne veteres obscurant acta triumphos,
 Et victis cedat piratica laurea Gallis,
 Magnæ, times: te jam series, ususque laborum
 Erigit, impatiensque loci fortuna secundi.
 Nec quemquam jam fere potest Cæsarve priorem,
 Pompejusve parem. Quis justius induit arma,

(1) furentem *vulgo*.

Scire nefas: magno se iudice quisque tuetur:
 VICTRIX caussa Deis placuit (1), sed victa Catoni.
 Nec coiere pares: alter vergentibus annis
 In senium, longoque togæ tranquillior usu
 Dedidicit jam pace ducem: famæque petitor
 Multa dare in vulgus: totus popularibus auris
 Impelli, plausuque sui gaudere theatri:
 Nec reparare novas vires, multumque priori
 Credere fortunæ. Stat magni nominis umbra.
 Qualis frugifero quercus sublimis in agro
 Exuvias populi veteres sacrataque gestans
 Dona ducum: nec jam validis radicibus hærens,
 Pondere fixa suo est: nudosque per æra ramos
 Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbras;
 Et quamvis primo nutet casura sub Euro,
 Tot circum silvæ firmo se robore tollant,
 Sola tamen colitur. Sed non in Cæsare tantum
 Nomen erat, nec fama ducis: sed nescia virtus
 Stare loco: solusque pudor, non vincere bello.
 Acer, & indomitus; quo spes, quoque ira (2) vocasset,
 Ferre manum, & numquam temerando parcere ferro:
 Successus urguere suos, instare favori
 Numinis: impellens quidquid sibi summa petenti
 Obstaret, gaudensque viam fecisse ruina.
 Qualiter expressum ventis per nubila fulmen

(1) Deo placuit *Jo. Salisberiens.*

(2) spesque & ira *alius.*

Ætheris impulsî sonitu, mundique fragore
 Emicuit, rupitque diem populosque paventes
 Terruit, obliqua præstringens lumina flamma,
 In sua templa furit: nullaue exire vetante
 Materia, magnamque cadens, magnamque revertens
 Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes.

Hæ ducibus causæ suberant: sed publica belli
 Semina, quæ populos semper mersere potentes.
 Namque ut opes mundo nimias fortuna subacto
 Intulit, & rebus mores cessere secundis,
 Prædaque & hostiles luxum suasere rapinæ:
 Non auro, testisve modus: mensasque priores
 Aspernata fames: cultus gestare decoros
 Vix nuribus, rapuere mares: FÆCUNDA virorum
 Paupertas fugitur, totoque arcessitur orbe,
 Quo gens quæque perit. Tum longos jungere fines
 Agrorum, & quondam duro sulcata Camilli
 Vomere, & antiquos Curiorum passa ligones
 Laxa (1) sub ignotis extendere rura colonis.
 Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret,
 Quem sua libertas immotis pasceret armis.
 Inde iræ faciles, & quod suasisset egestas,
 Vile nefas, magnumque decus ferroque petendum,
 Plus patria potuisse sua: mensuraque juris
 Vis erat: hinc leges & plebiscita coacta,

(1) Longa vulg.

Et cum consulibus turbantes iura tribuni:
Hinc rapti pretio fascēs, sectorque favoris (1)
Ipse sui populus, fatalisque ambitus urbi,
Annua venali referens certamina Campo:
Hinc usura vorax, avidumque in tempora (2) fœnus,
Et concussa fides, & multis utile bellum.

Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes,
Ingentesque animo motus, bellumque futurum
Ceperat. Ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,
Ingens visa duci patriæ trepidantis imago
Clara per obscuram vultu moestissima noctem,
Turrigero canos effundens vestice crines,
Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permixta loqui: „Quo tenditis ultra?
„Quo fertis mea signa viri? si jure venitis,
„Si cives: huc usque licet.“ Tum perculit horror
Membra ducis, riguere comæ, gressumque coercens
Languor in extrema tenuit vestigia ripa.
Mox ait: „O magne quæ intenia prospicis urbis
„Tarpeja de rupe Tonans, Phrygiique penates
„Gentiæ Juleæ, & rapti secreta Quirini,
„Et residens celsa Latialis Juppiter Alba (3),
„Vestalesque foci, summiq; o numinis instar,
„Roma, fave ceptis: non te fugilibus armis

(1) servusque favoris *Vir. doct.*

(2) in tempore *vulgo.*

(3) Juppiter aula *MSS. duo.*

„Persequor: enī adsum victor terraque marique
 „Cæsar, ubique tuus, (liceat modo) nunc quoque miles.
 „Ille erit, ille nocens, qui me tibi fecerit hostem.“
 Inde moras solvit belli, tumidumque per amnem
 Signa tulit (1) propere. Sicut squalentibus arvis
 Æstiferæ Libyes viso Leo comminus hoste
 Subsedit dubius, totam dum colligit iram;
 Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ,
 Erexitque jubas, vasto & grave murmur hiatu
 Infremuit: tum torta levis si lancea Mauri
 Hæreat, aut latum subeant venabula pectus,
 Per ferrum, tanti securus vulneris, exit.

Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis
 Puniceus Rubicon, quum fervida canduit æstas:
 Perque imas serpit valles, & Gallica certus
 Limes ab Ansoniis determinat arva colonis.
 Tunc vires præbebat hiems, atque auferat undas
 Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
 Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes.
 Primus in obliquum sonipes opponitur amnem
 Excepturus aquas. Molli tum cetera rumpit
 Turba vado fracti faciles jam fluminis undas.
 Cæsar ut adversam, superato gurgite, ripam
 Adtigit, Hesperiae vetitis & constitit oris (2),
 „Hic, ait, hic pacem, temerataque jura relinquo;

(1) Signa movet *vulgo*.

(2) constitit arvis *vulgo*.

„Te, *Fortuna*, sequor: procul hinc jam foedera sunt.
 „Credidimus fatis. Utendum est iudice bello.“
 Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina duxor
 Impiger. It torto *Balearis* verberare fundæ
 Ocior, & missa *Parthi* post terga sagittæ:
 Vicinumque minax invadit *Ariminum*, & ignes
 Solis lucifero fugiebant astra relicto.
 Jamque dies primos belli visura tumultus
 Exoritur: seu sponte deum, seu turbidus *Auster*
 Impulerit, moestam tenuerunt nubila lucem.
 Constitit ut capto jussus deponere milles
 Signa foro, stridor lituum, clangorque tubarum
 Non pia concinuit cum rauco classica cornu.
 Rupta quies populis stratisque excita Juventus
 Deripuit sacris adfixa penatibus arma,
 Quæ pax longa dabat: nuda jam crasse fluentes
 Invadunt clipeos, curvataque cuspide pila,
 Et scabros nigræ morsu rubiginis enses.
 Ut notæ fulsere aquilæ, Romanaque signa,
 Et celsus medio conspectus in agmine *Cæsar*,
 Diriguere metu, gelidus pavor adligat artus,
 Et tacito mutos volvant sub pectore questus:
 „O male vicinis hæc moenia condita *Gallis*,
 „O tristi damnata loco! pax alta per omnes,
 „Et tranquilla quies populos: nos præda furentum,
 „Primaque castra sumus. Melius, *Fortuna*, dedisses
 „Orbe sub Eoo sedem, gelidaque sub *Arcto*,

„Errantesque domus, Latii quam claustra tuesi,
 „Nos primi Senonum motus, Cimbrumque rudentem
 „Vidimus, & Martem Libyes, cursumque furoris
 „Teutonici. Quoties Romam Fortuna lacescit,
 „Hac iter est bellis. “ Gemitu sic quisque latenti,
 Non ausus timuisse palam: vox nulla datori
 Credita: sed quantum, volucres quam bruma coacer,
 Rura silent, mediusque tacet (1) sine murmare pontus,
 Tanta quies. Noctis gelidas lux solverat umbras:
 Ecce faeces belli, dubiæque in praelia menti
 Urgentes addunt stimulos, cunctasque pudoris
 Rumpunt fata moras: justos Fortuna laborat
 Esse ducis motus, & causas invenit armis.
 Expulit ancipiti discordes urbe tribunos
 Victo jure minax jactatis curia Gracchis.
 Hos jam meta ducis, vicinaque signa petentes
 Audax venali comitatur Curi lingua:
 Vox quondam populi, libertatemque tueri
 Ausus, & armatos plebi misere potentes.
 Utque ducem varias volventem pectore curas,
 Conspexit: „Dum voce tua potuere juvari
 „Cæsar, ait, partes, quamvis nolente senatu,
 „Traximus imperium tunc, quum mihi Rostra tenere
 „Jus erat, & dubios in te transferre Quirites.
 „At postquam leges bello siluere coactæ,

(1) jacet vulgo.

„Pellimur e patriis laribus, patimurque volentes
 „Exsiliū: tua nos faciet victoria cives.
 „Dum trepidant nullo firmatae robore partes,
 „Tolle moras: semper nocuit differre paratis:
 „Par labor atque metus pretio majore petuntur.
 „Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
 „Pars quota terrarum? facili si proelia pauca
 „Gesseris eventu, tibi Roma subegerit orbem.
 „Nunc neque te longi remeantem pompa triumphī
 „Excipit, aut sacras poscunt Capitolia lauros.
 „Livor edax tibi cuncta negat: gentesque subactas
 „Vix impune feres: socerum depellere regno
 „Decretum genero est. Partiri non potes orbem:
 „Solut habere potes. Sic postquam fatus, & ipsi
 In bellum prono tantum tamen addidit iræ,
 Accenditque ducem, quantum clamore juvatur
 Eleus somipes, quamvis jam carcere clauso
 Immineat foribus, pronusque repagula laxet:
 Convocat armatos extemplo ad signa maniplos:
 Utque satis trepidum, turba coeunte, tumultum
 Composuit vultu, dextraque silentia jussit:
 „Bellorum, o socii, qui mille pericula Martis
 „Mecum, ait, experti, decimo jam vincitis anno,
 „Hoc cruor Arctois meruit diffusus in arvis,
 „Vulneraque, & mortes, hiemesque sub Alpibus actæ?
 „Non secus ingenti bellorum Roma tumultu
 „Concutitur, quam si Pœnus transcenderit Alpēs

„Hannibal. Implentur validæ (1) tirone cohortes:
 „In classem cadit omne nemus: terraque marique
 „Jussus Cæsar agi. Quid? si mihi signa jacerent
 „Marte sub adverso, ruerentque in terga feroces
 „Gallorum populi? nunc, quum Fortuna secundis
 „Mecam rebus agat, Superique ad summa vocantes,
 „Tentamur. Veniat longa dux pace solutus
 „Milite cum subito partesque in bella togatæ,
 „Marcellusque loquax, & nomina vana Catones (2).
 „Scilicet extremi Pompejum, emtique clientes
 „Continuo per tot satiabunt tempora regno?
 „Ille reget currus nondum patientibus annis?
 „Ille semel raptos numquam dimittet honores?
 „Quid jam rura querar totum suppressa per orbem,
 „Ac jussam servire famem? quis castra timenti
 „Nescit mixta foro? gladii quam triste micantes
 „Judicium insolita trepidum cinxere corona;
 „Atque auso medias irrumpere milite leges.
 „Pompejana reum clausurunt signa Milonem?
 „Nunc quoque ne lassum teneat privata senectus,
 „Bella nefanda parat suetus civilibus armis,
 „Et docilis Sullam sceleris vicisse magistrum.
 „Utque feræ tigres numquam posuere furorem,
 „Quas nemore Hyrcano, matrum dum lustra sequuntur
 „Altus cæsorum pavit cruor armentorum;

(1) valido *vulgo*.

(2) Catonem *MSS. multi*.

„Sic & Sultatum solito tibi lambere ferrum
 „Durat, Magne, sitis. Nullus semel ore receptus
 „Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.
 „Quem tamen inveniet tam longa potentia finem?
 „Quis scelerum modus est? ex hoc te jam, improbe, regno
 „Ille tuus saltem doceat descendere (1) Sulla.
 „Post Cilicasne vagos, & lassi Pontica regis
 „Prælia, barbarico vix consummata veneno,
 „Ultima Pompejo dabitur provincia Caesar;
 „Quod non, victrices aquilas deponere jussus,
 „Paruerim? mihi si merces erepta laborum est,
 „His saltem longi, non cum duce (2), præmia belli
 „Reddantur: miles sub quolibet iste triumphet.
 „Conferet exsanguis quæ se post bella senectas?
 „Emeritis quæ sedes erit? quæ rura dabuntur,
 „Quæ noster veteranus aret, quæ mœnia fessis?
 „An melius fient piratæ, Magne, coloni?
 „Tollite jampridem victricia, tollite signa:
 „Viribus utendum est, quas fecimus: ARMA tenenti
 „Omnia dat, qui justa negat: neque numina decrunt,
 „Nam nec præda meis, neque regnum quæritur armis;
 „Detrahimus dominos urbi servire paratæ.“

Dixerat: at dubium non claro murmure vulgus
 Secum incerta fremit: pietas, patriique penates
 Quamquam cæde feras mentes, animosque tumentes

(1) discedere *vulgo*.

(2) me duce *vulgo*.

Frangunt; sed diro ferri revocantur amore,
 Ductorisque metus. Summi tum munera pili
 Lælius, emeritique gerens insignia doni,
 Servati civis referentem præmia quercum,
 „Si licet, exclamat, Romani maxime rector
 „Nomina, & jus est veras expromere voces;
 „Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires,
 „Conquerimur. Deeratne tibi fiducia nostri?
 „Dum movet hæc (1) calidus spirantia corpora sanguis,
 „Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
 „Degenerem patiere togam, regnumque senatus?
 „Usque adeo miserum est civili vincere bello?
 „Duc age per Scythiæ populos, per inhospita Syrtis
 „Litora, per squalidas Libyes (2) sitientis arenas.
 „Hæc manus, ut victum post terga relinqueret orbem,
 „Oceani tumidas remo compescuit undas:
 „Fregit & Arctoo spumantem vortice Rhepum.
 „Jussa sequi tam posse mihi, quam velle necesse est.
 „Nec civis meus est, in quem tua classica, Cæsar,
 „Audiero. Per signa decem felicia castris,
 „Perque tuos juro quocumque ex hoste triumphos;
 „Pectore si fratris gladium, juguloque parentis
 „Condere me jubeas, plenæque in viscera partu
 „Conjugis, invita peragam tamen omnia dextra;
 „Si spoliare deos, ignemque innittere templis,

(1) hic *alii*.

(2) calidas Lybiæ *vulgo*.

„Numina miscebit castrensis flamma moeetæ;
 „Castra super Tusci si ponere Thybridis undas,
 „Hesperios audax veniam metator in agros.
 „Tu quoscunque vales in planum effundere muros,
 „His aries actus disperget saxa laertis:
 „Illa licet, penitus tolli quam iussoris urbem,
 „Roma sit.“ His cunctæ simul adscensore cohortes,
 Elatasque alte, quæcumque ad bella vocaret,
 Promisere manus. It tantus ad æthera clamor,
 Quantus, piniferae Boreas quum Thracius Oras
 Rupibus incubuit, curvato robore pressæ
 Fit sonus, aut rursum redeuntis in æra silvæ.

Cæsar ut acceptum tam prono milite bellum,
 Fataque ferre videt, ne quo languore moretur
 Fortunam, sparsas per Gallica rura cohortes
 Evocat, & Romam motis petit undique signis.
 Deservere cavo tentoria fixa Lemano,
 Castraque, quæ Vogesi curvam super ardua rupem,
 Pugnaces pictis exhibebant Lingonas armis.
 Hi vada liquerunt Isaræ, qui gurgite ductus
 Per tam multa suo, famæ majoris in amnem
 Lapsus, ad æquoreas nomen non pertulit undas.
 Solvuntur flavi longa statione Rutheni:
 Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas,
 Finis & Hesperia, promotæ limite, Varus:
 Quæque sub Hentulco sacratus numine (1) portus

(1) nomine vulgo.

Urguet rupe cava pelagus: non Corus in illum
 Jus habet, aut Zephyrus: solus sua litora turbat
 Circius, & tuta prohibet statione Monæci.
 Quaque patet litus dubium, quod terra, fretumque
 Vindicat alternis vicibus, quum funditur ingens
 Oceanus, vel quum refugis se fluctibus aufert.
 Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet,
 Destituatque ferens; an sidere mota secundo
 Tethyos unda vagæ lunaribus æstuet horis;
 Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas,
 Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera ducat,
 Quærite, quos agitat mundi labor: at mihi semper
 Tu, quæcumque moves tam crebros caussa meatus,
 Ut superi voluere, lates. Tunc rura Menetis
 Qui tenet, & ripas Aturi, qua litore curvo
 Molliter admissum claudit Tarbellius æquor;
 Signa movet, gaudetque amoto Santonus hoste:
 Et Biturix, longisque leves Suessones in armis:
 Optimus excusso Leucus Rhemusque lacerto,
 Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis:
 Et docilis rector rostrati Belga covini:
 Avernique ausi Latios se fingere fratres,
 Sanguine ab Iliaco populi; nimiumque rebellis
 Nervius, & cæsi pollutus fœdere Cottæ:
 Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis
 Vangiones: Batavique truces, quos ære recurvo
 Stridentes acuere tubæ: qua Cinga pererrat

Gurgite: qua Rhodanus raptum velocibus undis
 In mare fert Ararim: qua montibus ardua summis
 Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas:
 (Pictones immunes subigunt sua rura; nec ultra
 Instabiles Turonas circumsita castra coercent.
 In nebulis Meduana tuis marcere perosus
 Andus, jam placida Ligeris recreatur ab unda,
 Inclyta Cæsareis Genabos dissolvitur alis.) (*)
 Tu quoque lætatus converti proelia Trevir:
 Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decore
 Crinibus effusis toti prælate Comatæ:
 Et quibus inmitis placatur sanguine diro
 Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,
 Et Taranis Scythiæ non mitior ara Dianæ.
 Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremptas
 Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
 Plurima securi fudistis carmina Bardi.
 Et vos barbaricos ritus, moremque sinistrum
 Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis.
 Solis nosse deos, & cœli numina vobis,
 Aut solis nescire datum: nemora alta remotis
 Incolitis lucis. Vobis auctoribus, umbræ
 Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
 Pallida regna petunt: regit idem spiritus artus

(*) Hi quinque versus interpolati videntur. Desunt enim
 in Codicibus, nec quid eorumdem exhibent Editio princeps
 anni 1469, & Gryphii. Lugdunensis. anni 1542.

Orbe alio: longæ (canitis si cognita) vitæ
 Mors media est. Certe populi, quos despicit Arctos,
 Felices errore suo, quos ille timorum
 Maximus haud arguet, leti motus. Inde ruendi
 In ferrum mens prona viris, animæque capaces
 Mortis: & ignavum reditura parcere vitæ.
 Et vos cirrigeros (1) bellis arcete Caucos
 Oppositi, petitis Roman, Rhenique feroces
 Deseritis ripas, & apertum gentibus orbem.

Cæsar, ut inmensæ collecto robore vires
 Audendi majora fidem fecere, per omnem
 Spargitur Italiam, vicinaque moenia complet.
 Vana quoque ad veros accessit fama timores,
 Irrupitque animos populo, clademque futuram
 Intulit, & velox properantis nuntia belli
 Innumeras solvit falsa in præconia linguas.
 Est, qui, tauriferis ubi se Mævania campis
 Explicat, audaces mure in certamina turmas
 Adferat, & qua Nar Thyberino illabitur anni
 Barbaricas sævi discurrere Cæsaris alas:
 Ipsum omnes aquilas, collataque signa ferentem,
 Agmine non uno, densisque incedere castris.
 Nec, qualem meminere, vident: majorque, feroxque
 Mentibus occurrit, victoque inmanior hoste.
 Hunc inter Rhenum populos Alpemque jacentes,

(1) belligeros, armigeros *alii MSS.*

Finibus Arctois, patriaque ab sede revulsos
 Pone sequi, jussamque feris a gentibus urbem,
 Romano spectante, rapi. Sic quisque pavendo
 Dat vires famæ: nulloque auctore malorum
 Quæ finxere, timent. Nec solum vulgus inani
 Percussum terrore pavet: sed curia, & ipsi
 Sedibus exsiluere Patres, invisaque belli
 Consulibus fugiens mandat decreta senatus.
 Tum quæ tuta petant, & quæ metuenda relinquant,
 Incerti, quo quemque fugæ tulit impetus, urgunt
 Præcipitem populum, serieque hærentia longa
 Agmina prorumpunt. Credas, aut tecta nefandas
 Corripuisse faces, aut jam, quatiante ruina,
 Nutantes pendere domos: sic turba per urbem
 Præcipiti lymphata gradu, velut unica rebus
 Spes foret affictis, patrios excedere muros,
 Inconsulta ruit. Qualis, quum turbidus Auster
 Reppulit ab Libycis immensum Syrtibus æquor,
 Fractaque veliferi sonuerunt pondera mali,
 Desilit in fluctus, deserta puppe, magister,
 Navitaque, &, nondum sparsa compage carinæ,
 Naufragium sibi quisque facit: sic, urbe relicta,
 In bellum fugitur. Nullum jam languidus ævo
 Evaluit revocare parens, conjuxve maritum
 Fletibus, aut patrii, dubiæ dum vota salutis (1)

(1) salutis *vulgo*.

Conciperent, tenuere Lares: nec limine quisquam
 Hæsit, & extremo tunc forsitan urbis amatæ
 Plenus abit visu: ruit irrevocabile vulgus.
 O faciles dare summa deos, eademque tueri.
 Difficiles! urbem populi, victisque frequentem
 Gentibus; & generis; coeat si turba, capacem
 Humani, facilem, venturo Cæsare, prædam
 Ignavæ liquere manus. Quum pressus ab hoste
 Clauditur externis miles Romanus in oris,
 Effugit exiguo nocturna pericula vallo:
 Et subitus rapti munimine cespitis agger
 Præbet securos intra tentoria somnos.
 Tu tantum audito bellorum nomine Roma
 Desereris; nox una tuis non credita muris,
 Danda tamen venia est tantorum danda pavorum:
 Pompejo fugiente, timent. Tum ne qua futuri
 Spes saltem trepidas mentes levet, addita fati
 Pejoris manifesta fides, superique minaces,
 Prodigijs terras implerunt, æthera, pontum.
 Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
 Ardentemque polum flammis, cœloque volantes
 Obliquas per inane faces, crinemque timendi
 Sideris, & terris nutantem (1) regna cometen,
 Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno,
 Et varias ignis tenso dedit æere formas:

Nunc

(1) nutantem MS.

Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas
Emicuit coelo. Tacitum sine nubibus ullis
Fulmen, & Arctois rapiens e partibus ignes,
Percussit Latiale caput: stellæque minores
Per vacuum solitæ noctis decurrere tempus,
In medium venire diem: cornuque coacto
Jam Phœbe toto fratrem quum redderet orbe,
Terrarum subita percussa expalluit umbra.
Ipse caput medio Titan quum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coegit
Desperare diem; qualem fugiente per ortus
Sole Thyestæ noctem duxere Mycenæ.
Ora ferox Siculæ laxavit Mulciber Ætnæ;
Nec tulit in cœlum flammæ, sed vertice pronò
Ignis in Hesperium cecidit latus. Atræ (1) Charybdis
Sanguineum fundo torsit mare. Flebile sævi
Latraverè canes. Vestali raptus ab ara
Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,
Thebanos imitata rogos. Tum cardine tellus
Subsedit, veteremque, jugis nutantibus, Alpes
Discussere nivem. Tethys majoribus undis
Hesperium Calpen, summumque implevit Atlanta.
Indigetes flevisse deos, urbisque laborem

(1) atra MS.

Testatos sudore Lares, delapsaque templis
 Dona suis, dirasque diem fœdasse volucres
 Accipimus; silvisque feras sub nocte relictis
 Audaces mediâ posuisse cubilia Roma.
 Tum pecudum faciles humana ad murmura linguæ,
 Monstrosique hominum partus numeroque modoque
 Membrorum, matremque suus conterruit infans.
 Diraque per populum Cumanæ carmina vatis
 Vulgantur. Tum, quos secûs Bellona lacertis
 Sæva movet, cecinere deos: crinemque rotantes
 Sanguinei populis ulularunt tristia Galli.
 Compositis plenæ gemuerunt ossibus urnæ.
 Tum fragor armorum, magnæque per avia voces
 Auditæ nemorum: & venientes comminus umbræ.
 Quique colunt junctos extremis mœnibus agros,
 Diffugiunt: ingens urbem cingebat Erinnyis,
 Excutiens pronam flagranti vertice pinum,
 Stridentesque comas: Thebanam qualis Agaven
 Impulit, aut sævi contorsit tela Lycurgi
 Eumenis: aut jussu qualem Junonis iniquæ
 Horruit Alcides, viso jam Dite, Megaran.
 Insonuere tubæ, & quanto clamore cohortes
 Miscentur (1), tantum nox atra, silentibus auris,
 Edidit. Et medio visi consurgere campo
 Tristia Sullani cecinere oracula manes:

(1) Miscuntur MSS. duo probati.

Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas
Agricolæ fracto Marium fugere sepulcro.
Hæc propter placuit Tuscos de morte vetusto
Acciri vates, Quorum qui maximus ævo
Aruns incoluit desertæ mœnia Lunæ,
Fulminis edoctus motus, venâsque calentes
Fibrarum, & monitus errantis in ærè pinnæ:
Monstra jubet primam, nullo quæ semine discors
Protulerat natura, rapi, sterilique nefandos
Ex utero fetus infaustis urere flammis.
Mox jubet & totam pavidis a civibus urbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia lustris,
Longa per extremos pomeria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.
Turba minor ritum sequitur succincta Gabino,
Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.
Tum qui fata deum secretaque carmina servant,
Et parvo lotam revocant Almone Cybeben:
Et doctus volucres Augur servare sinistras:
Septemvirque epulis festus, Titiumque sodales:
Et Salius læto portans ancilia collo:
Et tollens apicem generoso vertice Flamen.
Dumque illi effusam longis anfractibus urbem
Circumeunt, Aruns dispersos fulminis ignes
Colligit, ac terra mœsto quum murmure condit,
Datque locis numen sacris. Tunc admovet aris

Electa cervice marem. Jam fundere Bacchum
 Ceperat, obliquoque molas inducere cultro:
 Impatiensque divo non grati victima sacri,
 Cornua succinſi premerent quum torva ministri,
 Deposito victum præbebat poplite collum.
 Nec cruor emicuit solitus: sed vulnere largo
 Diffusum rutilo dirum pro sanguine virus.
 Palluit adtonitus sacris feralibus Aruns,
 Atque iram superſum raptis quæſivit in extis.
 Terruit ipse color vatem: nam pallida tætris
 Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore
 Plurimus adperso variabat sanguine livor.
 Cernit tabe jecur madidum: venasque minaces
 Hostili de parte videt. Pulmonis anhel
 Fibra latet, parvusque secat vitalia limes.
 Cor jacet: & saniem per hiantes viscera rimas
 Emittunt: promuntque suas omenta latebras.
 Quodque (nefas) nullis impune adparuit extis,
 Ecce, videt capiti fibrarum increſcere molem
 Alterius capitis: pars ægra & marcida pendet,
 Pars micat & celeri venas movet improba pulsu.
 His ubi concepit magnorum fata malorum,
 Exclamat: „Vix fas, superi, quæcumque monetis
 „Prodere me populis: neque enim tibi summe litavi
 „Juppiter hoc sacrum: cæsiſque in pectora (1) tauri

(1) in viscera *vulgo*.

„Inferni venere dei. Non fanda timemus.
 „Sed venient majora metu. DI visa secudent,
 „Et fibris sit nulla fides; sed conditor artis
 „Finxerit ista Tages.“ Flexa sic omina Tuscus
 Involvens, multaque regens ambage canebat.

At Figulus, cui cura deos, secretaque cœli
 Nosse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis
 Æquaret visu, numerisque moventibus astra,
 „Aut hic errat, ait, ulla sine lege per ævum
 „Mundus, & incerto discurrunt sidera motu:
 „Aut, si fata movent (1), urbi generique paratur
 „Humano matura lues. Terræne dehiscunt,
 „Subsidentque urbes? an tollet fervidus aer
 „Temperiem? segetes tellus infida negabit?
 „Omnis an infusis miscebitur unda venenis?
 „Quod cladis genus, o superi, qua peste paratis
 „Sævitiâ? extremi multorum tempus in unum
 „Convenere dies. Summo si frigida cœlo
 „Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes,
 „Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,
 „Totaque diffuso latuisset in æquore tellus.
 „Si sævum radiis Nemeæum, Phœbe, Leonem
 „Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
 „Succensusque tuis flagrasset curribus æther.
 „Hi cessant ignes. Tu qui flagrante minacem

(1) regunt MS.

„Scorpiſon incendiſ cauda, chelaſque peruris,
 „Quid tantum, Gradive, paraſ? nam mitiſ ab alto
 „Juppiter occaſu premitur, Veneriſque ſalubre
 „Siduſ hebet, motuque celer Cylleniſ hæret,
 „Et cœlum Marſ ſoluſ habet. Cur ſigna meatuſ
 „Deſeruere ſuoſ, mundoque obſcura feruntur:
 „Enſiferi fulget nimium latuſ Orioniſ?
 „Inminet armorum rabieſ: ferrique poteſtaſ
 „Confundet juſ omne manu: ſclerique nefando
 „Nomen erit virtuſ: multoſque exhibit in annoſ
 „Hic furor. Et ſuperoſ quid prodeſt poſcere finem?
 „Cum domino pax iſta venit. Duc Roma malorum
 „Continuam ſerieſ: clademque in tempora multa
 „Extrahe, civili tantum jam libera bello.“
 Terruerant ſatiſ hæc pavidam præſagia plebem:
 Sed majora premunt. Nam qualiſ vertice Pindi
 Edoniſ Ogygio decurrit plena Lyæo;
 Taliſ & adtonitam rapitur matrona per urbem,
 Vocibuſ hiſ prodentiuſ urgenteſ pectora Phœbuſ:
 „Quo feror, o Pæan? qua me ſuper æthera raptam
 „Conſtituiſ terra? video Pangæa nivoliſ
 „Cana jugiſ, latoſque Æmi ſub rupe Philippoſ.
 „Quiſ furor hic, o Phœbe, doce: quid tela (1), manuſque
 „Romanæ miſcent acieſ, bellumque ſine hoſte eſt?
 „Quo diſverſa feror? primoſ me duciſ in ortuſ,

(1) quo tela MSS. vett. meliuſ.

„Qua mare Lagæi mutatur gurgite Nili.
 „Hunc ego, fluminea deformis truncus arena
 „Qui jacet, agnosco: dubiam super æquora Syrtin
 „Arentemque feror Libyen, quo tristis Erinny
 „Transtulit Emathias acies. Nunc desuper Alpīs
 „Nubiferæ colles, atque aeriam Pyrenen
 „Abripimur. Patriæ sedes remeamus in urbis,
 „Impiæque in medio peraguntur bella senatu.
 „Consurgunt partes iterum, totumque per orbem
 „Rursus eo. Nova da mihi cernere litora ponti,
 „Telluremque novam: vidi jam, Phœbe, Philippos.“
 Hæc ait: & lasso jacuit defecta (1) furore.

(1) deserta MSS. plures.





LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM:

*Qui liber insequitur notat omnia plena timoris,
Vota, preces, lacrimas veterisque relata doloris.
Bruto ut & aliis obstantia dicta Catonis,
Pompejique fugam, Syllæ, Thermi atque Libonis.
Domitii litem poscentis mortis amara,
Sed, licet invitum, servatum mortis ab hora.
Pompejum socios acuentem in prælia dictis,
Sed, clarente metu, signis cessasse relictis.
Cæsaris ingenti maria interclusa labore,
Structa sed injectis facibus saxisque labare.
Brundisianorum defectu pæne retentus,
Navibus relictis evadis, Magne, duabus.*

JAmque iræ patuere deûm, manifestaue belli
Signa dedit mundus: legesque, & fœdera rerum,
Præscia monstrifero vertit natura tumultu,

Indixitque nefas. Cur hanc tibi rector Olympi
 Sollicitis visum mortalibus addere curam,
 Noscant venturas ut dira per omina clades?
 Sive parens rerum quum primum informia regna,
 Materiemque rudem flamma cedente recepit,
 Fixit in æternum caussas, qua cuncta coercet,
 Se quoque lege tenens, & sæcula jussa ferentem
 Fatorum inmoto divisit limite mundum:
 Sive nihil positum, sed Fors incerta vagatur,
 Fertque refertque vices, & habet mortalia casus:
 SIT subitum, quodcumque paras: sit cæca futuri
 Mens hominum fati: liceat sperare timenti.

Ergo ubi concipiunt, quantis sit cladibus orbi (1)
 Constat fides superum, ferale per urbem
 Justitium: latuit plebejo tectus amictu
 Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces.
 Tunc questus tenuere suos, magnusque per omnes
 Errabat sine voce dolor. Sic funere primo
 Adtonitæ tacuere domus, quum corpora nondum
 Conclamata jacent, nec mater crine soluto
 Exigit ad sævos famularum (2) brachia planctus:
 Sed quum membra premit fugiente rigentia vita,
 Vultusque exanimes, oculosque in morte natantes (3),
 Nec dum est ille dolor, sed jam metus: incubat amens,

(1) urbi *vulgo*.

(2) famulorum *vulgo*.

(3) minaces *MS.* jacentes *vulgo*.

Miraturque malum. Cultus matrona priores
 Deposuit: mœstæque tenent delubra catervæ.
 Hæ lacrimis sparsere deos, hæ pectora duro
 Adfixere (1) solo: lacerasque in limine sacro
 Adtonitæ fudere comas: votisque vocari
 Adsuetas crebris feriunt ululatibus aures.
 Nec cunctæ summi templo jacuere Tonantis:
 Divisere deos: & nullis defuit aris
 Invidiam factura parens: quarum una madentes
 Scissa genas, planctu liventes atra lacertos,
 „Nunc, ait, o miseræ contundite pectora matres,
 „Nunc laniate comas, neve hunc differte dolorem,
 „Et summis servate malis: nunc flere potestas
 „Dum pendet fortuna ducum: quum vicerit alter,
 „Gaudendum est.“ His se stimulis dolor ipse lacessit.
 Nec non bella viri, diversaque castra petentes
 Effundant justas in numina sæva querelas.
 „O miseræ sortis, quod non in Punica nati
 „Tempora, Cannarum fuimus, Trebiæque juvenus.
 „Non pacem petimus, superi: date gentibus iras:
 „Nunc urbes excite feras: conjuret in arma
 „Mundus: Achæmeniis decurrant Medica Susis
 „Agmina: Massageten Scythicus non adliget Ister:
 „Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
 „Albis, & indomitum Rheni caput: omnibus hostes
 „Reddite nos populis: civile avertite bellum:

(1) Adfixere MSS.

„Hinc Dacus premat, inde Getes; occurrat Iberis.
 „Alter, ad Eoas hic vertat signa pharetras.
 „Nulla vacet tibi, Roma, manus. Vel perdere nomen
 „Si placet Hesperium, superi, collatus in ignes
 „Plurimus ad terras per fulmina decidat æther.
 „Sæve parens, utrasque simul partesque ducesque,
 „Dum nondum meruere, feri. Tantone novorum
 „Proventu scelerum ~~inter~~erunt, uter imperet urbi?
 „Vix tanti fuerat civilia bella movere,
 „Ut neuter.“ Tales pietas peritura querelas
 Egerit: At miseros angit sua cura parentes,
 Oderuntque gravis yivacia fata senectæ,
 Servatosque iterum bellis civilibus annos.

Atque aliquis magno quærens exempla timori,
 „Non alios, inquit, motus tunc fata parabant,
 „Quum post Teutonicos victor, Libycosque triumphos
 „Exsul limosa Marius caput abdidit ulva,
 „Stagna uvidi texere soli, laxæque paludes
 „Depositum, Fortuna, tuum: mox vincula ferri
 „Exedere senem, longusque in carcere pædor.
 „Consul, & eversa felix moriturus in urbe
 „Pœnas ante dabat scelerum. Mors ipsa refugit
 „Sæpe virum, frustra que hosti concessa potestas
 „Sanguinis invisi. Primo qui cædis in ictu
 „Deriguit, ferrumque manu torpente remisit;
 „Viderat immensum tenebroso carcere lumen
 „Terribilesque deas scelerum, Mariumque futurum,

„Audieratque pavens: *Fas hæc contingere non est*
 „*Colla tibi*: debet multas hic legibus ævi,
 „Ante suam, mortes: vanum depone furorem.
 „Si libet ulcisci deletæ funera gentis,
 „Hunc, Cimbri, servate senem. Non ille favore
 „Numinis, ingenti superûm protectus ab ira,
 „Vir ferus, & Romam cupienti perdere fato
 „Sufficiens. Idem pelago delatus iniquo
 „Hostilem in terram, vacuisque mapalibus actus,
 „Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ,
 „Et Pœnos pressit cineros. Solatia fati
 „Carthago, Mariusque tulit: pariterque jacentes
 „Ignovere deis. Libycas ibi colligit iras.
 „Ut primum fortuna redivit: servilia solvit
 „Agmina: conflato sævas ergastula ferro
 „Exerueret manus. Nulli gestanda dabantur
 „Signa ducis, nisi qui scelerum jam fecerat usum,
 „Adtuleratque in castra nefas. Pro fata! quis ille,
 „Quis fuit ille dies, Marius quo mœnia victor
 „Corripuit? quantoque gradu mors sæva cucurrit?
 „Nobilitas cum plebè cadit: lateque vagatur
 „Ensis, & a nullo revocatum pectore ferrum.
 „Stat cruor in templis: multaue rubentia cæde
 „Lubrica saxa mudent. Nulli sua profuit ætas.
 „Non senis extremum piguit vergentibus annis
 „Præcepisse (1) diem: non primo in limine vitæ
 (1) Præcipitasse *vulgo*.

„Infantis miseri nascentia rumpere fata.
 „Crimine quo cædem parvi potuere mereri?
 „Sed satis est jam, posse mori. Trahit ipse furoris
 „Impetus: &, visum lenti, quæsisse nocentem.
 „In numerum pars magna perit: rapuitque cruentus
 „Victor ab ignota vultus cervice resectos.
 „Dum vacua pudet ire manu. Spes una salutis,
 „Oscula pollutæ fixisse trementia dextræ,
 „Mille licet gladii mortis nova signa sequantur,
 „Degener o populus, vix sæcula longa decorum
 „Sic meruisse viris, nedum breve dedecus ævi,
 „Et vitam, dum Sulla redit. Cui funera vulgi
 „Flere vacet? vix te sparsum per viscera, Bæbi,
 „Innumeras inter carpentis membra coronæ
 „Discessisse (1) manus: aut te, præsaſe malorum
 „Antoni, cujus laceris pendentia canis
 „Ora ferens miles festæ rorantia mensæ
 „Imposuit. Truncos laceravit Fimbria Crassos.
 „Sæva Tribunicio maduerunt robora tabo.
 „Te quoque, neglectu violatæ, Scævola, Vestæ,
 „Ante ipsum penetræle deæ, semperque calentes
 „Maſtavere focos: parvum sed fessa senectus
 „Sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit.
 „Septimus hæc sequitur, repetitis fascibus, annus:
 „Ille fuit vitæ Mario modus, omnia passo,

(1) Discerpsisse *MSS. & edd. vett.*

„Quæ pejor fortuna potest, atque omnibus uso;
 „Quæ melior: mensoque, homini quid fata paterent (1),
 „Jam, quot apud Sacri cecidere cadavera portum,
 „Aut Collina tulit stratas quot porta catervas?
 „Tunc quum pæne caput mundi, rerumque potestas
 „Mutavit translata locum, Romanaque Samnis
 „Ultra Caudinas spiravit vulnera Furcas,
 „Sulla quoque inmensis accessit cladibus ultor.
 „Ille quod exiguum restabat sanguinis urbi
 „Hansit. Dumque nimis jam putria membra recidit,
 „Excessit medicina modum; nimiumque secuta est,
 „Quæ morbi duxere, manus. Periere nocentes;
 „Sed quum jam soli possent superesse nocentes.
 „Tum data libertas odiûs, resolutaque legum
 „Frenis ira ruit, non uni cuncta dabantur,
 „Sed fecit sibi quisque nefas. Semel omnia victor
 „Jusserat. Infandum domini per viscera ferrum
 „Exegit famulus: nati maduere paterno
 „Sanguine. Certatum est, cervix cui cæsa parentis
 „Cederet: in fratrum ceciderunt præmia fratres.
 „Busta repleta fuga, permixtaque viva sepultis
 „Corpora: nec populum latebræ cepere ferarum.
 „Hic laqueo fauces, elisaque guttura fregit:
 „Hic se præcipiti jaculatus pondere dura
 „Dissiluit percussus humo: mortesque cruento

(1) pararent *vulgo*..

„Victori rapuere suas: hic robora busti
„Exstruit ipse sibi, nec dum omni sanguine fuso
„Desilit in flammās, & dum licet, occupat ignes,
„Colla ducum pilo trepidam gestata per urbem,
„Et medio congesta foro: cognoscitur illic
„Quidquid ubique jacet. Scelerum non Thracia tantum
„Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni,
„Postibus Antæi Libye: nec Græcia mœrens
„Tot laceros artus Pistæa flevit in aula.
„Quum jam tabe fluunt, confusaque tempore multo
„Amisere notas, miserorum dextra parentum
„Colligit, & pavido subducit cognita furto.
„Meque ipsum memini cæsi deformia fratris
„Ora rogo cupidum, vetitisque imponere flammis,
„Omnia Sullanæ lustrasse cadavera pacis:
„Perque omnes truneos, qua cum cervice recisum
„Conveniat, quæsisse caput. Quid sanguine manes
„Placatos Catuli referam? quum victima tristes
„Inferias Marius forsân nolentibus umbris
„Pendit, inexplèto non fanda piacula busto:
„Quum laceros artus, æquataque vulnera membris
„Vidimus, & toto quamvis in corpore cæso
„Nil animæ letale datum, moremque nefandæ
„Dirum sævitæ, pereuntis parcere morti.
„Avulsæ cecidere manus, exsectaque lingue
„Palpitat, & muto vacuum ferit aera motu.
„Hic aures, alius spiramina naris aduncæ

„Amputat: ille cavis evolvit sedibus orbes,
„Ultimaque effundit (1) spectatis lumina membris.
„Vix erit ulla fides tam sævi criminis, unum
„Tot pœnas cepisse caput. Sic mole ruinæ
„Fracta sub ingenti miscentur pondere membra:
„Nec magis informes veniunt ad litora trunci,
„Qui medio periere freto. Quid perdere fructum
„Juvit, &, ut vilem, Marii confundere vultum?
„Ut scelus hoc Sullæ, cædesque ostensa placeret,
„Agnoscendus erat. Vidit Fortuna colonos
„Prænestina suos cunctos simul ense recepto
„Unius populum pereuntis tempore mortis.
„Tunc flos Hesperia, Latii jam sola juvenus,
„Concidit, & miseræ maculavit ovilia Romæ.
„Tot semel infesto juvenes occumbere leto,
„Sæpe fames, pelagique furor, subitæque ruinæ,
„Aut terræ cœlique lues, aut bellica clades,
„Numquam pœna fuit. Densi vix agmina vulgi
„Inter & exsanguis, inmissa morte, catervas
„Victores movere manus. Vix cæde peracta
„Procumbunt, dubiaque labant cervice: sed illos
„Magna premit strages: peraguntque cadavera partem
„Cædis: viva graves elidunt corpora trunci.
„Intrepidus tanti sedit securus ab alto
„Spectator sceleris: miseri tot millia vulgi

(1) effodit *vulgo*.

„Non piguit jussisse mori. Congesta recepit.
 „Omnia Tyrrhenus Sullana cadavera gurgis.
 „In fluvium primi cecidere, in corpora summi.
 „Præcipites hæserè rates, & strage oriunda
 „Interruptus aquis (1) fluxit prior amnis in æquor,
 „Ad molem stetit unda sequens: dum sanguinis alci
 „Vis sibi fecit iter, campumque effusa per omnem,
 „Præcipitique ruens Thyberina ad flumina rivo
 „Hærentes adjuvit aquas: nec jam alveus amnem,
 „Nec retinent ripæ, redditque cadavera campo.
 „Tandem Tyrrhenas vix eluctatus in undas
 „Sanguine cæruleum torrenti dividit æquor.
 „His ne Salus rerum, Felix his Sulla vocari,
 „His meruit tumulum medio sibi tollere campo?
 „Hæc rursus patienda manent: hoc ordine belli
 „Ibitur: hic stabit civilibus exitus armis.
 „Quamquam agitant graviora metus, multumque (2) coitur
 „Humani generis majore in proelia damno.
 „Exsulibus Mariis bellorum maxima merces
 „Roma recepta fuit: nec plus victoria Sullæ
 „Præstitit, invisæ penitus quam tollere partes.
 „Hos alio fortuna vocas: olimque potentes
 „Concurrunt. Neuter civilia bella moveret,
 „Contentus, quo Sulla fuit. Sic moesta senectus
 „Præterisque memor flebat, metuensque futuri.

(1) aquas *melius*.

(2) multumque *MSS. & add. vult: multoque vulgo.*

„Post bellum victoris habes (1).“ Sic fatur. At illi
 Arcano sacras reddit Cato pectore voces:

„Summum, Bruto, nefas civilia bella fatemur:

„Sed quo fata trahunt, virtus secura sequetur.

„Crimen erit superis & me fecisse nocentem.

„Sidera quis, mundumque valet spectare cadentem.

„Expers ipse metus? quis, quum ruat arduus æther,

„Terra labet, mixto coeuntis pondere mundi,

„Compressas tenuisse manus? gentesne furorem

„Hesperium ignotæ, Romanaque signa sequentur,

„Deductique fretis alio sub sidere reges?

„Otia solus agam? procul hunc arcete furorem,

„O superi, motura Dahæ ut clade Getasque,

„Securo me, Roma cadat. Ceu morte parentem

„Natorum orbatum, longum producere funus

„Ad tumulos jubet ipse dolor: juvat ignibus atris

„Inseruisse manus, constructoque aggere busti

„Ipsam atras tenuisse faces: non ante revellar,

„Exanimem quam te complectar Roma, tuumque

„Nomen libertas, & inanem prosequar umbram.

„Sic eat: inmites Romana piacula divi

„Plena ferant: nullo fraudemus sanguine bellum.

„O utinam, cœlique deis, erebique liberet

„Hoc caput in cunctas damnatum exponere pœnas!

„Devotum hostiles Decium presseré catervæ:

(1) habet *vulgo*.

„Me gemina figant acies, me barbara tellis
 „Rheni turba potat: cunctis ego pervius hastis
 „Excipiam medius totius vulnera belli.
 „Hic redimat sanguis populos: hac caede luatur
 „Quidquid Romani meruerunt pendere mores
 „Ad iuga cur faciles populi, cur saeva volentes
 „Regna pati pereunt? me solum invadite ferro,
 „Me frustra leges & inania jura tuentem:
 „Hic dabit, hic pacem jugulus, finemque laborum
 „Gentibus Hesperii: post me regnare volenti
 „Non opus est bello. Quin publica signa, ducemque
 „Pompejum sequimur? nec, si fortuna favebit,
 „Hunc quoque totius sibi jus promittere mundi
 „Non bene compertum est: ideo me milite vincat,
 „Ne sibi se vicisse putet.“ Sic fatur: & acres
 Irarum movit stimulos: juvenisque calorem
 Excitat in nimios belli civilis amores.

Interea, Phoebo gelidas pellente tenebras,
 Pulsatae sonuere fores: quas sancta relicto
 Hortensi moerens irrumpit Marcia busto.
 Quondam virgo toris melioris juncta mariti:
 Mox ubi connubii pretium, mercesque soluta est
 Tertia jam soboles, alios fecunda penates
 Impletura datur, geminas & sanguine matris
 Permixtura domus. Sed postquam condidit urna
 Supremos cineres, miserando concita vultu,
 Effusas laniata comas, contusaque pectus

Verberibus crebris, cineresque ingesta sepulcri,
Non aliter placitura viro, sic monstra profatur:

„Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi.

„Jussa, Cato, & geminos excepi foeta maritos.

„Visceribus lassis, partuque exhausta, revertor

„Jam nulli tradenda viro. Da foedera prisci

„Illibata tori: da tantum nomen inane

„Connubii: liceat tumulo scripsisse, CATONIS

„MARCIA; ne dubium longo quærat in ævo,

„Mutarim primas expulsa, an tradita tædas.

„Non me lætorum comitem, rebusque secundis

„Accipis: in curas venio, partemque laborum.

„Da mihi castra sequi: cur tuta in pace relinquer,

„Et sit civili propior Cornelia bello?“

Hæ flexere virum voces, & tempora quamquam

Sint aliena toris, jam fato in bella vocante;

Fœdera sola tamen, vanaque carentia pompa

Jura placent, sacrisque deos admittere testes.

Festa coronato non pendent limine sarta;

Infulaque in geminos discurrit candida postes,

Legitimæque faces, gradibusque adclivus eburnis

Stat torus, & picto vestis discriminat auro:

Turritaque premens frontem matrona corona,

Translata vetuit contingere limina planta.

Non timidum nuptæ leniter tectura pudorem

Lutea demissos velarunt flammea vultus:

Balteus haud fluxos gemmis adstrinxit amictus,

Colla monile decens, humerisque hærentia primis,
 Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.
 Sic, ut erat, moesti servat lugubria cultus:
 Obsita funerea celatur purpura lana,
 Quoque modo natos, hoc est amplexa maritum.
 Non soliti luserè sales: nec more Sabino
 Excepit tristis convicia festa maritus.
 Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui.
 Junguntur taciti, contentique auspice Bruto.
 Ille nec horribilæ sancto dimovit ab ore
 Cæsariem, dutoque admisit gaudia vultu:
 (Ut primum tolli feralia viderat arma,
 Intensos rigidam in frons descendere cands,
 Passus erat, moestamque genis increscere barbam;
 Uni quippe vacat studiisque odiisque carenti,
 Humanum lugere genus) nec fœdera præci
 Sunt tentata tori: iuste quoque robur amoris
 Restitit. Hi mores, hæc duri innota Catonis
 Secta fuit, servare modum, finemque tenere,
 Naturamque sequi, patriæque impendere vitam (1);
 Nec sibi, sed toto ganitum se credere mundo.
 Huic epulæ, vicisse famem: magnique penates,
 Submovisse hyemem recto: pretiosaque vestis,
 Hirtam membra super Romani more Quiritis
 Induxisse togam: Venerisque huic maximus usus,

(1) curam MSS. quidam male.

Progenies; urbi pater est, urbiq; maritus:
 Justitiæ custos, rigidi servator honesti:
 In commune bonus: nullusq; Catonis in ætus
 Subrepsit, partemq; tulit sibi nata voluptas.

Interea trepido discedens agmine Magnus,
 Moenia Dardanii tenuit Campana coloni:
 Hæc placuit belli sedes, hinc summa moventis
 Hostis in occursum sparsas extendere partes,
 Umbrosis mediam qua collibus Appenninus
 Erigit Italiam, nullo quo vertice tollas
 Altius intumuit propiusve accessit Olympo.
 Mons inter geminas medius se porrigit undas
 Inferi superiq; maris: collesq; coercent
 Hinc Tyrrenæ vado frangentes æquora Rissæ,
 Illinc Delmaticis obnoxia fluctibus Anconæ
 Fontibus hic vastis inmensos concipit amnes,
 Fluminaq; in gemini spargit divortia pontis
 In lævum cedere latus; veloxq; Metaurus,
 Crustumiumq; rapax, & juncto Sapis Isairo,
 Sænaque, & Adriacas qui verberat Aufidus undas:
 Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem,
 Eridanus, fractas devolvit in æquora silvas,
 Hesperienq; exhaurit aquis. Hunc fabula primum
 Populi fluvium ripas umbrasse coronas
 Quumq; diem prœnum transverso limite ducens,
 Succendit Phaeton flagrantibus æthera loris,
 Gurgitibus raptis penitus tellure perusta,

Hanc habuisse pares Phœbeis ignibus undas;
 Non minor hic Nilus, si non per plana jacentis
 Aegypti Libyas Nilus stagneret arenas.
 Non minor hic Ister, nisi quod, dum permeat orbem
 Isterque casuros in quolibet æquora fontes
 Accipit; & Scythicas exit non solus in undas
 Dexterora petens montis declivis Thybrim
 Unda facit, Rutubamque cavum. Delabitur inde
 Vulturiusque celer, nocturnæque editor auræ
 Sarnus, & umbrosæ Liris per regna Maricæ
 Vestinis impulsus aquis, radensque Salerni
 Culta Siler, nullasque vado, quæ Macra moratus
 Alnos, vicinæ percurrit in æquora Lunæ
 Longior educto, qua surgit in aera dorsus,
 Gallica rara videt, devertexque excipit Alpes.
 Tunc Umbris Marsisque ferax, domitusque Sabellæ
 Vomere, piniferis amplexus rupibus omnes
 Indigenas Larli (1) populos, non deserit ante
 Hesperiam, quam quam Scyllæis clauditur undis,
 Extenditque suas in templa Lacinia rupes.
 Longior Italia, donec confinis pontus
 Solveret incumbens; terrasque impelleret (2) æquor.
 At postquam gemino tellus elisa profundo est,
 Extremi colles Siculo cessere Peloro.

Cæsar in arma furens, nullas, nisi sanguine fuso;

(1) Late MSS. duo, & ed. vet.

(2) repelleret *unus*.

Gaudet habere vias, quod non terat hoste vacantes
 Hesperiae fines, vacuosque irrumpat in agros,
 Atque ipsum non perdat iter, consortaque bellis
 Bella gerat. Non tam portas intrate patentes
 Quam fregisse juvat: nec tam patiente colono
 Arva premi, quam si ferro populetur, & igni.
 Concessa pudet ire via, civemque videri.
 Tunc urbes Latii dubiae, varioque favore
 Ancipites, quamquam primo terrore ruentis
 Cessurae belli, denso tamen aggere firmant
 Mœnia, & abrupto circumdant undique vallo:
 Saxorumque orbis, & quæ super èminus hostem
 Tela petant, altis murorum turribus aptant.
 Pronior in Magnam populus, pugnatque minaci
 Cum terrore fides: ut quum mare possidet Auster
 Flatibus horribilibus, hunc æquora tota sequuntur:
 Si rursus tellus, pulsu laxata tridentis
 Æoli, tumidis immittit fluctibus Eurum,
 Quamvis icta novo, ventum tenuene priorem
 Æquora, nubiferoque polus quum cesserit Euro,
 Vindicat unda Notum. Facilis sed vertere mentes
 Terror erat, dubiamque fidem fortuna ferebat.
 Gens Hetrusca fuga trepidi nudata Libonis,
 Jusque sui pulso jam perdidit Umbria Therme.
 Nec gerit auspiciis civilia bella paternis
 Cæsaris audito conversus nomine Sulla.
 Varus, ut admotæ pulsarunt Auxilium alæ,

Per diversa ruens neglecto mœnia tergo,
Qua silvæ, qua saxa, fugit. Depellitur arce
Lentulus Asculea. Victor cedentibus instat,
Devertitque acies: solusque ex agmine tanto
Dux fugit, & nullas ducentia signa cohortes.
Tu quoque nudatam commissæ deseris arcem
Scipio Nuceriz: quamquam firmissima pabes
His sedeat castris, jampridem Cæsaris armis
Parthorum seducta metu: qua Gallica damna
Supplevit Magnus, dumque ipse ad bella vocaret,
Donavit sôcero Romani sanguinis usum.

At te Corfini validis circumdata muris
Tecta tenent, pugna Domiti: tua classica servat
Oppositus quondam polluto tiro Miloni.
Ut procul inmensam campis consurgere nubem,
Arduentesque acies percussis sole corusco
Conspexit telis, „Socii decurrite (1), dixit,
„Fluminis ad ripas, undisque innorgite pontem:
„Et tu montanis totus nunc fontibus exi,
„Atque omnes trahe gurgēs aquas, ut spumeus alnos,
„Discussa compage, feras. Hoc limite bellum
„Hæreat, hac hostis lentus terat otia ripa.
„Præcipitem cohibete ducem: victoria nobis
„Hic primum stans Cæsar erit.“ Nec plura locutus,
Devolvitur rapidum nequidquam mœnibus agmen.

(1) concurrere MSS. duo.

Nam prior ~~et~~ campis ut conspicit, amne soluto,
 Rumpi ~~Cæsari~~ iter, calida prolatus ab ira,
 „Non, satis est muros latebras quæsisse pavori?
 „Obstruitis campos, fluviisque arcere paratis,
 „Ignavi? non, si tumido me iurgite Ganges
 „Submoveat, stabit jam flumine Cæsar in ullo;
 „Post Rubiconis aquas. Equitum properate catervæ:
 „Ite simul pedites: raiturum adscendite pontem.“
 Hæc ubi dicta, levis totas accepit habenas
 In campum sonipes: crebroque simillima nimbo
 Trans ripam validi torserunt tela lacerti.
 Ingreditur pulsa fluvium statione vacantem
 Cæsar, & ad tutas hostis compellitur arces:
 Et jam moturas ingentia pondera turres
 Erigit, & mediis subrepsit vinea muris.
 Ecce, nefas belli, reseratis agmina portis,
 Captivum traxere ducem, civisque superbi
 Constitit ante pedes. Vultu tamen alta minaci
 Nobilitas resta ferrum cervice poposcit.
 Scit Cæsar: poenamque peti, veniamque timeri.
 „Vive, licet nolis, & nostro munere, dixit,
 „Cerne diem: Victis jam spes bona partibus esto,
 „Exemplumque mei: vel, si libet, arma retenta;
 „Et nihil hac venia, si viceris ipse, pacisoor.“
 Fatur: & adstrictis laxari vincula palmis:
 Imperat. Heu quanto melius vel cæde peracta
 Parcere Romano potuit fortuna pudori!

Pœnarum extremum civi, quod castra secutus
 Sit patriæ, Magnumque ducem, totumque senatum,
 Ignosci. Premit ille graves interritus iras,
 Et secum: „Romamne petès, pacisque recessus,
 „Degener? in medios belli non ire furores
 „Jamdudum moriture paras? rue certus, & omnis
 „Lucis rumpe moras, & Cæsaris effuge munus,

Nescius interea capti ducis arma parabat
 Magnus, ut admixto firmaret robore partes.
 Jamque secuturo jussurus classica Phœbo,
 Tentandasque ratus moturi militis iras,
 Adloquitur tacitas veneranda voce cohortes:
 „O scelerum ultores, melioraque signa secuti:
 „O, vere Romana manus: quibus arma senatus
 „Non privata dedit, votis deposcite pugnam.
 „Ardent Hesperii sævis populatibus agri:
 „Gallica per gelidas rabies effunditur Alpes;
 „Jam tetigit sanguis pollutos Cæsaris enses.
 „DI! melius, belli tulimus quod damna priores:
 „Cœperit inde nefas. Jam jam; me præside, Roma
 „Supplicium, pœnamque petat. Neque enim ista vocari
 „Prœlia justa decet; patriæ sed vindicis iram.
 „Nec magis hoc bellum est, quam quo Catilina paravit
 „Arsuras in testa fâces, sociusque furoris
 „Lentulus, exsertique manus vesana Cethegi.
 „O rabies miseranda ducis! quum fata Camillis
 „Te, Cæsar, magnisque velint miscere Metellis,

„Ad Cinnas Mariosque venis. Sternere profecto,
 „Ut Catulo jacuit Lepidus, nostrasque secures
 „Passus, Sicanio tegitur qui Carbo sepulcro,
 „Quique feros movit Sertorius exsul Iberos.
 „Quamquam, si qua fides, his te quoque jungere Cæsar
 „Invideo, nostrasque manus quod Roma furenti
 „Opposuit. Parthorum utinam post prælia sospes,
 „Et Scythiæ Crassus victor remeasset ab arvis,
 „Ut simili causa caderes, qua Spartacus hostis.
 „Te quoque si superi titulis accedere nostris
 „Jusserunt, valet, en! (1) torquendo dextera pilo:
 „Fervidus hæc iterum circum præcordia sanguis
 „Incaluit: discas non esse ad bella fugaces,
 „Qui pacem potuere pati. Licet ille solutum,
 „Defectumque vocet, ne vos mea terreat ætas.
 „Dux sit in his castris senior, dum miles in illis.
 „Quo potuit civem populus perducere liber,
 „Adscendi, supraque nihil, nisi regna, reliqui.
 „Non privata cupis (2), Romana quisquis in urbe
 „Pompejum transire paras. Hinc consul uterque,
 „Hinc acies statura ducum. Cæsarne senatus
 „Victor erit? non tam cæco trahis omnia cursu,
 „Teque nihil, Fortuna, pudet. Multisne rebellis
 „Gallia jam lustris, ætasque impensa labori
 „Dant animos? Rheni gelidis quod fugit ab undis,

(1) valet in *vulgo*.

(2) cupit *Jo. Salisbergensis*.

„Oceanumque vocans incerti stagna profundi;
 „Territa quæsitis ostendit terga Britannis?
 „An vanæ tumuere minæ, quod fama furoris
 „Expulit armatam patriis & sedibus urbem?
 „Heu demens, non te fugiunt, me cuncta (1) sequuntur:
 „Qui quam signa tuli toto fulgentia ponto,
 „Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem,
 „Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
 „Angusta que domum terrarum in sede poposcit.
 „Idem ego per Scythici profugum divortia Ponti
 „Indomitum regem, Romanaque fata morantem,
 „Ad mortem, Sulla felicior, ire coegi.
 „Pars mundi mihi nulla vacat: sed tota tenetur
 „Terra meis, quocumque jacet sub sole, tropæis.
 „Hinc me victorem gelidas ad Phasidos undas
 „Arctos habet: medius calida mihi cognitus axis
 „Ægypto, atque umbras nusquam (2) flectente Syenæ.
 „Occasus mea jura timet, Tethymque fugacem
 „Qui ferit Hesperius post omnia flumina Bætis.
 „Me domitus cognovit Arabs, me Marte feroces
 „Heniochi, notique erepto vellere Colchi.
 „Cappadoces mea signa timent: & dedita sacris
 „Incerti Judæa dei, mollisque Sophænæ.
 „Armenios, Cilicasque feros, Taurosque subegit
 „Quod socero bellum, præter civile, reliqui?

(1) castra MS.

(2) numquam Macrobius.

Verba ducis nullo partes clamore sequuntur,
 Nec matura petunt promissæ classica pugnae.
 Sensit & ipse metum Magnus; placuitque referri
 Signa, nec in tanti discrimina mittere Martis.
 Jam victum fama non visi Cæsaris agmen,
 Pulsus, ut armentis primo certamine taurus
 Sævarum secreta petit, vacuosque per agros
 Exsul in adversis explorat cornua truncis:
 Nec redit in pastus, nisi quum cervice recepta
 Excussi placuere tori: mox reddita victor
 Quos libet in saltus comitantibus agmina tauris
 Invito pastore trahit; sic viribus impar
 Tradidit Hesperiam; profugusque per Appula rura
 Brundisii tutas conscendit (1) Magnus in arces.
 Urbs est Dictæis olim possessa colonis,
 Quos Greta profugos vexere per æquora puppes
 Cæcropiæ, victum mentitis Thesea velis.
 Qua latus angustum jam se cogentis in arcum
 Hesperia, tenuem producit in æquora linguam,
 Hadriacas flexis claudit qua cornibus undas.
 Nec tamen hoc artis inmissum faucibus æquor
 Portus erat, si non violentos insula Coros
 Exciperet saxis, lassasque retunderet undas.
 Hinc illinc montes scopulosæ rupis aperto
 Opposuit naturæ mari, flatusque removit,
 Ut

(1) concedit *vulgo*.

Ut tremulo starent contentæ fune carinæ.
 Hinc late patet omne fretum, seu vela ferantur
 In portus, Corcyra, tuos, seu læva petatur
 Illyris Jonias vergens Epidamnos in undas.
 Huc fuga nautarum, quum totas Hadria vires
 Movit, & in nubes abiire Ceraunia, quumque
 Spumoso Calaber perfunditur æquore Sason.

Ergo ubi nulla fides rebus post terga relictis,
 Nec licet ad duros Martem convertere Iberos,
 Quum mediæ jaceant immensis tractibus Alpes:
 Tum sobole ex tanta natum, cui firmior ætas,
 Adfatur: „Mundi jubeo tentare recessus.
 „Euphraten, Nilonque move, quo nominis usque
 „Nostri fama venit, quas est vulgata per urbes
 „Post me Roma ducem: sparsos per rura colonos
 „Redde mari Cilicas: Pharios hinc concute reges,
 „Tigranemque meum. Nec Pharnacis arma relinquas,
 „Admoneo, nec tu populos utraque vagantes
 „Armenia, Pontique feras per litora gentes,
 „Riphæasque manus, & quas tenet æquore denso
 „Pigra palus Scythici patiens Mæotia plaustris.
 „Sed quid plura moror? totos mea, nate, per ortus
 „Bella seres, totoque urbes agitabis in orbe
 „Perdomitas: omnes redeant in castra triumphis.
 „Et vos, qui Latios signatis nomine fastus,
 „Primus in Epiron Boreas agat: inde per arva
 „Grajorum, Macetumque novas adquirite vires;

E

„Dum paci dat tempus hiems.“ Sic fatur, & omnes
Jussa gerunt, solvuntque cavas a litore puppes.

At numquam patiens pacis, longæque quietis
Armorum, ne quid fatis mutare liceret,
Adsequitur, generique premit vestigia Cæsar.
Sufficerent aliis primo tot mœnia cursu
Rapta, tot obsessæ depulsis hostibus arces:
Ipsa caput mundi bellorum maxima merces,
Roma capi facilis: sed Cæsar in omnia præceps,
Nil credens acti, quum quid superaret agendum,
Instat atrox: & adhuc, quamvis possederat omnem
Italiam, extremo sedeat quod litore Magnus,
Communem tamen esse dolet: nec rursus aperto
Vult hostes errare freto, sed molibus undas
Obstruit, & latum dejectis rupibus æquor.
Cedit in immensum cassus labor: omnia pontus
Haurit saxa vorax, montesque inmiscet arenis.
Ut maris Ægæi medias si celsus in undas
Depellatur Eryx, nullæ tamen æquore rupes
Eminent, vel convulso si vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus stagnantis Averni.
Ergo ubi nulla vado tenuit sua pondera moles,
Tunc placuit cæsis innectere vincula silvis,
Roboraque immensis late religare catenis.
Talis fama canit tumidum super æquora Persen
Construxisse vias, multum quum pontibus ausus,
Europamque Asiæ, Sæstonque admovit Abydo,

Incessitque fretum rapidi super Hellesponti,
 Non Eurum, Zephyrumque timens, quum vela, ratesque
 In medium deferret Athos. Sic ora profundi
 Artantur nemonum casu: tunc aggere multo
 Surgit opus, longæque tremunt super æquore turres.

Pompejus tellure nova compressa profundi
 Ora videns, curis animum mordacibus angit,
 Ut reseret pelagus, spargatque per æquora bellum.
 Sæpe Noto plenæ, tensisque rudentibus actæ
 Ipsa maris per claustra rates fastigia molis
 Discussere salo, spatiumque dedere carinis:
 Tortaque per tenebras validis ballista lacertis,
 Multifidas jaculata faces. Ut tempora tandem
 Furtivæ placuere fugæ: ne litora clamor
 Nauticus exagitet, neu buccina dividat horas,
 Neu tuba præmonitos perducatur ad æquora nautas
 Præcepit sociis. Jam cœperat ultima virgo
 Phœbum laturas ortu præcedere Chelas,
 Quum tacitas (1) solvere rates. Non ancora voces
 Movit, dum spissis avellitur uncus arenis:
 Dum juga curvantur mali, dumque ardua pinus
 Erigitur, pavidæ classis siluere magistri:
 Strictæque pendentes (2) deducunt carbasa nautæ,
 Nec quatiunt validos, ne sibilet aura, rudentes.
 Dux etiam votis hoc te, Fortuna, precatur,

(1) quum taciti *vulgo*.

(2) pendentes *vulgo*.

„Quam retinere vetas, liceat sibi perdere saltem
„Italiam.“ Vix fata sinunt: nam murmure vasto
Impulsum rostris sonuit mare, fluctuat unda,
Totque carinarum permixtis æquora sulcis.

Ergo hostes portis, quas omnes solverat urbis
Cum fato conversa fides, murisque recepti,
Præcipiti cursu flexi per cornua portus
Ora petunt, pelagusque dolent contingere classes.
Heu pudor! exigua est fugiens victoria Magnus.
Angustus puppes mittebat in æquora limes
Artior Euboica, qua Chalcida verberat, unda.
Hic hæserè rates geminæ, classique paratas
Excepere manus: tractoque ad litora bello,
Hic primum rubuit civili sanguine Nereus.
Cetera classis abitis summis spoliata carinis:
Ut Pagasæa rates peteret quum Phasidos undas,
Cyaneas tellus emisit in æquora cautes,
Rapta puppe minor subducta est montibus Argo,
Vanaque percussit pontum Symplegas inanem,
Et statura redit. Jam Phœbum urguere monebat
Non idem Eoi color ætheris, albaque nondum
Lux rubet, & flammæ proploribus eripit astris;
Et jam Plias hebet, flexi jam plaustra Bootæ
In faciem puri redeunt languentia cœli,
Majoresque latent stellæ, calidumque refugit
Lucifer ipse diem. Pelagus jam Magne tenebas,
Non ea fata ferens, quæ, quum super æquora victor

Prædonem sequerere maris. Lassata triumphis
Destituit (1) fortuna tuis. Cum conjuge pulsus,
Et natis, totosque trahens in bella penates,
Vadis adhuc ingens, populis comitantibus, exsul.
Quæritur indignæ sedes longinqua ruinæ.
Non, quia te superi patrio privare sepulcro
Maluerint, Phariæ busto damnantur arenæ:
Parcitur Hesperia; procul hoc ut in orbe remoto
Abscondat Fortuna nefas, Romanaque tellus
Inmaculata sui servetur sanguine Magni.

(1) Descivit *vulgo*.





LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

*Tertius insinuat Pompeji insomnia dira,
 Conjugis umbra sui quibus intimat omina dura.
 Cæsaris adventu, legum præeunte ruina,
 Tempa Jovis Romæ tristi spoliata rapina.
 Nomine Pompeji motas in prælia gentes
 Quantas vix memorant bellorum extrema gementes.
 Massiliæ cives ingentia mentibus ausos,
 Præcipitis belli currentia sistere nisos.
 Quos licet in primo juvit fortuna labore,
 Decepit misere extremo revoluta tenore.
 Denique tentantes navalibus ultima fati
 Igne, mari, ferro pæne omnes mortificati.*

P Ropulit (1) ut classem velis cedentibus Auster
 Incumbens, mediumque rates movere profundum,

(1) protulit aliquot.

Omnis in Jonios spectabat navita fluctus:
 Solus ab Hesperia non flexit lumina terra
 Magnus, dum patrics portus, dum litora numquam
 Ad visus reditura suos, tectumque cacumen
 Nubibus, & dubios cernit vanescere montes.
 Inde soporifero cesserunt languida somno
 Membra ducis: diri quum plena horroris imago
 Visa caput mœstum per hiantes Julia terras
 Tollere, & accenso furialis stare sepulcro.
 „Sedibus Elysiis, campoque expulsa piorum
 „Ad Stygias, inquit, tenebras manesque nocentes,
 „Post bellum civile trahor. Vidi ipsa tenentes
 „Eumenidas, quaterent vestris quas lampadas armis.
 „Præparat innumeras puppes Acherontis adusti
 „Portitor: in multas laxantur Tartara pœnas.
 „Vix operi junctæ (1) dextra properante sorores
 „Sufficiunt: lassant rumpentes stamina Parcas.
 „Conjuge me lætos duxisti, Magne, triumphos:
 „Fortuna est mutata toris: semperque potentes
 „Detrahère in cladem fato damnata maritos
 „En! nupsit tepido pellex Cornelia basto.
 „Hæreat illa tuis per bella, per æquora signis,
 „Dum non securos liceat mihi rumpere somnos,
 „Et nullum vestro vacuum sit tempus amori,
 „Sed teneant Cæsarque dies, & Julia noctes.

(1) cunctæ vulgo.

„Me non Lethææ, conjux, obliviam ripæ
 „Inmemorem fecere tui, regesque silentum
 „Permisere sequi. Veniam, te bella gerente,
 „In medias acies. Numquam tibi, Magne, per umbras
 „Perque meos manes genero non esse licebit.
 „Abscidis frustra ferro tua pignora. Bellum
 „Te faciet civile meum.“ Sic fata, refugit
 Umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti.

Ille, dei quamvis cladem, manesque minentur,
 Major in arma ruit, certa cum mente malorum.
 „Et, quid, ait, vani terremur imagine visus?
 „Aut nihil est sensus animis a morte relictum,
 „Aut mors ipsa nihil.“ Titan jam pronus in undas
 Ibat, & igniferi tantum demerserat orbis,
 Quantum deesse solet lunæ seu plena futura est,
 Seu jam plena fuit: tunc obtulit hospita tellus
 Puppibus accessum facilem: legere rudentes,
 Et posito remis petierunt litora malo.

Cæsar, ut emissas venti rapuere carinas,
 Absconditque fretum classes, & litore solus
 Dux stetit Hesperio, non illum gloria pulsi
 Lætificat Magni: queritur quod tuta per æquor
 Terga ferant hostes. Neque enim jam sufficit ulla
 Præcipiti fortuna viro: nec vincere tanti,
 Ut bellum differret, erat. Tunc pectore curas
 Expulit armorum, pacique intentus agebat,
 Quoque modo vanos populi conciret amores,

Gnarus & irarum caussas, & summa favoris
Annota momenta trahi. Namque adserit urbes
Sola fames, emiturque metus, quum segne potentes
Vulgus alunt. Nescit plebes jejuna timere.
Curio Sicanias transcendere jussus in urbes,
Qua mare tellurem subitis aut obruit undis,
Aut scidit, & medias fecit sibi litora terras.
Vis illic ingens pelagi, semperque laborant
Æquora, ne rupti repetant confinia montes:
Bellaque Sardoas etiam sparguntur in oras.
Utraque frugiferis est insula nobilis arvis,
Nec plus Hesperiam longinquis messibus ullæ,
Nec Romana magis complerunt horrea terræ:
Ubere vix glebæ superat, cessantibus Austris,
Quum medium nubes Borea cogente sub axem
Effusis magnum Libye tulit imbris annum.

Hæc ubi sunt provisa duci, tunc agmina victor (1)
Non armata trahens, sed pacis habentia vultum,
Tecta petit patriæ. Pro, si remeasset in urbem,
Gallorum tantum populis, Arctoque subacta,
Quam seriem rerum longa præmittere pompa,
Quas potuit belli facies! ut vincula Rheno,
Oceanoque daret: celso ut Gallia currus
Nobilis, & flavis sequeretur mixta Britannis.
Perdidit o qualem vincendo plura triumphum!

(1) ductor MSS. *quidam*.

Non illum lætis vadantem cœtibus urbes,
Sed tacitæ videre metu: non constitit usquam
Obvia turba duci. Gaudet tamen esse timori
Tam magno pœpulis, & non se mallet amari.

Jamque & præcipites superaverat Anxuris arces,
Et qua Pœmtinas (1) via dividit uda paludes,
Qua sublime nemus, Scythicæ qua regna Dianæ,
Quaque iter est Latiis ad summam fascibus Albam:
Et celsa de rupe procul jam prospicit urbem,
Arctoi toto non visam tempore belli:
Miratusque suæ, sic fatur, mœnia Romæ:
„Tene, desm sedes, non ullo Marte coacti
„Deseruere viri! pro qua pugnabitur urbe?
„DI! melius, quod non Latias Eous in oras
„Nunc furor incubuit, nec juncto Sarmata velox
„Pannonio, Dacisque Getes admixtus: habenti
„Tam pavidum tibi Roma ducem Fortuna pepercit,
„Quod bellum civile fuit.“ Sic fatur, & urbem
Adtonitam terrore subit. Namque ignibus atris
Creditor, ut captæ, rapturus mœnia Romæ,
Sparsurusque deos. Fuit hæc mensura timoris:
Velle putant, quodcumque potest. Non omina festa,
Non fictas læto voces simulare tumultu:
Vix odisse vacat. Phœbea palatia complet
Turba Patrum, nullo cogendi jure senatus,

(1) Pontinas *vulgg.*

E latebris educla suis; non consule sacrae
 Fulserunt sedes; non proxima lege potestas
 Prætor adest; vacuæque loco cessere curules.
 Omnia Cæsar erat. Privatæ curia vocis
 Testis adest. Sedere Patres consere parati,
 Si regnum, si templa sibi, jugulumque senatus,
 Exsiliumque petat. Melius, quod plura jubere
 Erubuit, quam Roma pati. Tamen exit in iram,
 Viribus an possint obsistere jura, per unum
 Libertas experta virum. Pugnaque Metellus
 Ut videt ingenti Saturnia templa revelli
 Mole, rapit gressus, & Cæsaris agmina rumpens,
 Ante fores nondum resecratæ constitit ædis;
 (Usque adeo ferrum solus, mortemque timere
 Auri nescit amor. Pereunt discrimine nullo
 Amissæ leges; & pars vilissima rerum
 Certamen movistis opes) prohibensque rapina
 Victorem, clara testatur voce Tribunus:
 „Non nisi per nostrum vobis percussa patebunt
 „Templa latus, nullasque feres nisi sanguine sacro (1)
 „Sparsas, raptor, opes. Certe violata potestas
 „Invenit ista deos: Crassumque in bella secuta
 „Læva tribunitiæ voverunt prælia diræ.
 „Detoge jam ferrum. Neque enim tibi turba verenda est.
 „Spectatrix scelerum: deserta stamus in urbe.

(1) sanguine nostro MSS. quidam.

„Non feret e nostro sceleratus præmia miles;
 „Sunt quot prosternas populi, quæ moenia dones.
 „Pacis ad exhaustæ (1) spoliū non cogit egestas;
 „Bellum Cæsar habes.“ His magnam victor in iram
 Vocibus accensus: „Vanam spem mortis honestæ
 „Concipis: haud, inquit, jugulo se polluet isto
 „Nostra, Metelle, manus. Dignum te Cæsaris ira
 „Nullus honos faciet. Te vindice tuta relicta est
 „Libertas? non usque adeo permiscuit imis
 „Longus summa dies, ut non, si voce Metelli
 „Servantur leges, malint a Cæsare tolli.“

Dixerat: & nondum foribus cedente tribuno
 Acrior ira subit: sævos circumspicit enses,
 Oblitus simulare togam. Tum Cotta Metellum
 Compulit audaci nimium desistere cœpto.
 „Libertas, inquit, populi, quem regna coercent,
 „Libertate perit; cuius servaveris umbram,
 „Si, quidquid jubeare, velis. Tot rebus iniquis
 „Paruimus victi: venia est hæc sola pudoris,
 „Degenerisque metus, nil jam potuisse negari.
 „Ocius avertat diri mala semina belli.
 „Damna movent populos, si quos sua jura tuentur,
 „Non sibi, sed domino gravis est, quæ servit, egestas.“
 Protinus abducto patuerunt templa Metello.
 Tunc rupes Tarpeja sonat, magnoque revulsas

(1) exustæ MS.

Testatur stridore fores: tunc conditus imo
 Eruitur templo multis non tactus ab annis
 Romani census populi, quem Punica bella,
 Quem dederat Perses, victi quem præda Philippi:
 Quod tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
 Quo te Fabricius regi non vendidit auro (1),
 Quidquid parcorum mores servastis avorum,
 Quod dites Asiæ populi misere tributum,
 Victoriq; dedit Minoia Creta Metello,
 Quod Cato longinqua vexit super æquora Cypro.
 Tunc Orientis opes, captorumque ultima (2) regum
 Quæ Pompejanis prælata est gaza triumphis
 Egeritur (3): tristi spoliantur templa rapina;
 Pauperiorque fuit tunc primum Cæsare Roma.

Interea totum Magni fortuna per orbem
 Secum casuras in prælia moverat urbes.
 Proxima vicino vires dat Græcia bello.
 Phocaicas Amphisa manus scopulosaque Cyrrha,
 Parnasosque jugo misit desertus utroque.
 Bæoti coiere duces, quos impiger ambit
 Fatidica Cephisos aqua, Cadmeaque Dirce,
 Pisææque manus, populisque per æquora mittens
 Sicaniis Alpheos aquas. Tunc Mænala liquit
 Arcas, & Herculeam miles Trachinius Eten.

(1) aurum MS.

(2) victima MS.

(3) Erulur, erigitur, eripitur MS.

Thesproti, Dryopesque ruunt, quercusque silentes
 Chaonio veteres liquerunt vertice Sellæ.
 Exhaustit totas, quamvis dilectus, Athenas,
 Exiguæ Phœbea tenent navalia puppes,
 Tresque petunt veram credi Salamina carinæ.
 Jam dilecta Jovi centenis venit in arma
 Creta vetus populis, Cnososque agitare pharetras
 Docta, nec Eois peior Gortyna sagittis.
 Tunc qui Dardanium tenet Oricon, & vagus altis
 Dispersus silvis Athamas, & nomine prisco
 Enchelidæ versi testantes funera Cadmi,
 Colchis & Adriacas spumans Apsyrtis in undas.
 Penei qui rura colunt, quorumque labore
 Thessalus Æsoniam vomer proscindit Iolcon.
 Inde lacessitum primo mare, quum rudis Argo
 Miscuit ignotas temerato litore gentes,
 Primaque cum ventis, pelagique furentibus undis
 Composuit mortale genus, fatisque per illam
 Accessit mors una ratem. Tum linquitur Æmus
 Thracius, & populum Pholoe mentita biformem.
 Deseritur Strymon tepido committere Nilo
 Bistonias consuetus aves, & Barbara Cone
 Sarmaticas ubi perdit aquas, sparsamque profundo
 Multifidi Peuceen unum caput adluit Istri:
 Mysiaque, & gelido tellus perfusa Caico
 Idalis, & nimium glebis exilis Arisbe.
 Quique colunt Pitanen, & quæ tua munera Pallas

Lugent damnatæ Phœbo victore Celenæ:
 Qua celer & rectis (1) descendens Marsya ripis
 Errantem Mæandron adit, mixtusque refertur:
 Passaque ab auriferis tellus exire metallis
 Paclolon: qua culta secat non vilior Hermus.
 Iliacæ quoque signa manus, perituraque castra
 Ominibus petiere suis: nec fabula Trojæ
 Continuit, Phrygiæque ferens se Cæsar Juli.

Accedunt Syriæ populi, desertus Orontes,
 Et felix, scit fama, Ninos: ventosa Damascos,
 Gazaque, & arbusto palmarum dives Idume.
 Et Tyros instabilis, pretiosaque marice Sidon.
 Has ad bella rates non flexo limite ponti,
 Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.
 Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
 Mansuram rudibus vocem signare figuris.
 Nondum flumineas Memphis contexere biblos
 Noverat: & saxis tantum, volucresque feræque,
 Sculptaque servabant magicas animalia linguas.
 Deseritur Taurique nemus, Perseæque Tarsos,
 Coryciumque patens exesis rupibus antrum,
 Mallos, & extremæ resonant navalibus Ægæ.
 Itquæ Cilix juxta jam non pirata carina.
 Movit & Eoos bellorum fama recessus,
 Qua colitur Ganges, toto qui solus in orbe

(1) erectis vulgo. ereptis vet. edd.

Ostia nascenti contraria solvere Phœbo
 Audet, & adversum fluctus adtollit in Eurum:
 Hic ubi Pellæus, post Tethyos æquora, ductor
 Constitit, & magno vinci se fassus ab orbe est.
 Qua feriens rabidum diviso gurgite pontum
 Vastis Indus aquis mixtum non sentit Hydaspem.
 Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos,
 Et qui tinguentes croceo medicamine crinem
 Fluxa coloratis adstringunt carbasa gemmis.
 Quique suas struxere pyras, vivique calentes
 Conscendere rogos. Pro, quanta est gloria genti,
 Injocisse manum fatis, vitæque repletos,
 Quod superest, donasse deis! Venère feroces
 Cappadoces, duri populus non cultor (1) Amani,
 Armeniusque tenens volventem saxa Niphaten:
 Æthera tangentes silvas liquere Coatræ.
 Ignotum vobis Arabes venistis in orbem,
 Umbras mirati nemorum non ire sinistras.
 Tunc furor extremos movit Romanus Oretas,
 Carmanosque duces, quorum jam flexus in Austrum
 Æther, non totam mergi tamen adspicit Arcton,
 Lucet & exigua velox ibi nocte Bootes.
 Æthiopumque solum, quod non premeretur ab ulla
 Signiferi regione poli, nisi, poplite lapso,
 Ultima curvati procederet ungula Tauri.

(1) nunc cultor *vulgo*.

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
 Euphrates, quos non diversis fontibus edit
 Persis, & incertum, tellus si misceat amnes,
 Quod potius sit nomen aquis. Sed sparsus in agros
 Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur (1) undæ:
 At Tigrin subito tellus absorbet hiatu,
 Occultosque tegit cursus, rursumque renatum
 Fonte novo flumen pelagi non abnegat undas.
 Inter Cæsareas acies, diversaque signa
 Pugnaces dubium Parthi tenuere favorem,
 Contenti fecisse duos. Unxere sagittas
 Errantes Scythiæ populi, quos gurgite Baëtros
 Includit gelido, vastisque Hyrcania silvis.
 Hinc Lacedæmonii, moto gens aspera freno,
 Heniochi, sævisque adfinis Sarmata Moschis.
 Colchorum qua rura secat ditissima Phasis:
 Qua Cræso fatalis Halys, qua vertice lapsus
 Riphæo Tanais divisi nomina mundi
 Imposuit ripis, Asiæque, & terminus idem
 Europæ, mediæ dirimens confinia terræ,
 Nunc hunc, nunc illum, qua flectitur, ampliat orbem.
 Quaque fretu torrens Mæotidas egerit undas
 Pontus, & Herculeis aufertur gloria metis,
 Oceanumque negat solas admittere Gades.
 Hinc Essedoniæ gentes, auroque ligatas

(1) funditur MSS. vetustiss.

Substringens, Arimaspe, comas: hinc fortis Arius,
 Longaque Sarmatici solvens jejunia belli
 Massagetes quo fugit equo; volucresque Geloni.

Non, cum Memnoniis deducens agmina regnis
 Cyrus, & effusis numerato milite telis

Descendit Perses, fraternique ultor amoris
 Æquora quum tantis percussit classibus, unum
 Tot reges habuere ducem. Coiere nec unquam
 Tam variæ cultu gentes, tam dissona vulgi

Ora. Tot inmensæ comites missura ruinæ
 Excivit populos, ac dignas funere Magni
 Exsequias Fortuna dedit. Non corniger Hammon

Mittere Marmaricas cessavit in arma catervas:
 Quidquid ab occiduis Libye patet arida Mauris,
 Usque Parætonias Eoa ad litora Syrtes.

Acciperet felix ne non semel omnia Cæsar,
 Vincendum pariter Pharsalia præstitit orbem.

Ille ubi deseruit trepidantis mœnia Romæ,
 Agmine nubiferam raptò superevolat Alpen:
 Quumque alii famæ populi terrore paverent,
 Phocais in dubiis ausa est servare juventus
 Non Graja levitate fidem, signataque jura,
 Et caussas, non fata, sequi. Tamen ante furorem
 Indomitum duramque viri deflectere mentem
 Pacifero sermone parant, hostemque propinquum
 Orant Cecropiæ prælata fronde Minervæ.

„Semper in externis populq communia vestro

„Massiliam bellis testatur fata tulisse,
 „Comprensa est Latius quæcumque annalibus ætas.
 „Et nunc, ignoto si quos petis orbe triumphos,
 „Accipe devotas externa in prælia dextras.
 „At si funestas acies, si dira paratis
 „Prælia discordes, lacrimas civilibus armis
 „Secretumque damus. Tractentur vulnera nulla
 „Sacra manu. Si cœlicollis furor arma dedisset,
 „Aut si terrigenæ tentarent astra gigantes,
 „Non tamen auderet pietas humana vel armis,
 „Vel votis prodesse Jovi; sortesque deorum
 „Ignarum mortale genus, per fulmina tantum
 „Sciret adhuc solum cœlo regnare Tonantem.
 „Adde quod innumeræ concurrunt undique gentes,
 „Nec sic horret iners scelerum contagia mundus,
 „Ut gladiis egeant civilia bella coactis.
 „Sit mens ista quidem cunctis, ut vestra recusent
 „Fata, nec hæc alius comitetur (1) prælia miles.
 „Cui non conspecto languebit dextra parente?
 „Telaque diversi prohibebunt spargere fratres.
 „Finis adest rerum, si non committitis illis
 „Arma, quibus fas est. Nobis hæc summa precandi,
 „Terribiles aquilas, infestaque signa relinquo
 „Urbe procul, nostrisque velis te credere muris,
 „Excludique sinas, admisso Cæsare, bellum.

(1) committat *vulgo*.

„Sit locus exceptus sceleri, Magnoque, tibiue
 „Tutus, ut invictæ fatum si consulat urbi,
 „Fœdera si placeant, sit, quo veniatis inermes.
 „Vel, quum tanta vocent discrimina Martis Iberi,
 „Quid rapidum deflectis iter? non pondera rerum,
 „Non momenta sumus: numquam felicibus armis
 „Usa manus, patriæ primis ab sedibus exsul,
 „Et post translatas exustæ Phocidos arces,
 „Mœnibus exiguis alieno in litore tuti,
 „Illustrat quos sola fides. Si claudere muros
 „Obsidione paras, & vi perfringere portas,
 „Excepisse faces testis, ac tela parati,
 „Undarum raptos aversis fontibus haustus
 „Quærere, & effossam sitientes lambere terram:
 „Et desit si larga Ceres, tunc horrida cerni,
 „Fœdaque contingi maculato carpere (1) morsu.
 „Nec pavet hic populus pro libertate subire,
 „Obsessum Pœno gessit quæ Marte Saguntum.
 „Pectoribus rapti matrum, frustraue trahentes
 „Ubera sicca fame medios mittentur in ignes;
 „Uxor & a caro poscet sibi fata marito.
 „Vulnera miscebunt fratres, bellumque coacti
 „Hoc potius civile gerent.“ (2) Sic Graja juvenus
 Finierat: quum turbato jam prodita vultu
 Ira ducis, tandem testata & voce dolorem.

(1) tangere, corpore *MSS. alii.*

(2) gerant *duo vet. edd.*

„Vana movet Grajos nostri fiducia cursus.
„Quamvis Hesperium mundi properemus ad axem,
„Massiliam delere vacat. Gaudete cohortes:
„Obvia præbentur fatorum munere bella.
„Ventus ut amittit vires, nisi robore denso
„Occurrant silvæ, spatio diffusus inani:
„Utque perit magnus nullis obstantibus ignis,
„Sic hostes mihi deesse nocet: damnumque putamus
„Armorum, nisi, qui vinci potuere, rebellant.
„Sed si solus eam dimissis degener armis,
„Tunc mihi tecta patent. Jam non excludere tantum,
„Inclusisse volunt. At enim contagia belli
„Dira fugant. Pœnas dabit pro pace petita:
„Et nihil esse meo discetis tutius ævo,
„Quam duce me bellum.“ Sic postquam fatus, ad urbem
Haud trepidam convertit iter: tum mœnia clausa
Conspicit; & densa juvenum vallata corona.
Haud procul a muris tumulus surgentis in altum
Telluris parvum diffuso vertice campum
Explicat; hæc patiens longo munimine cingi
Visa duci rupes, tutisque aptissima castris.
Proxima pars urbis celsam consurgit in arcem
Par tumulo, mediisque sedent convallibus arva.
Tunc res inmenso placuit statura labore,
Aggere diversos vasto committere colles.
Sed prius ut totam, qua terra cingitur, urbem
Clauderet, a summis perduxit ad æquora castris

Longum Cæsar opus, fontesque & pabula cæmpi
 Amplexus fossa, densas tollentia pinnas.

Cespitibus, crudaque extruxit brachia terra.

Jam satis hoc Grajæ memorandum contigit urbi,
 Æternumque decus, quod non impulsa, neque ipso
 Strata metu, tenuit flagrantis in omnia belli
 Præcipitem cursum: raptisque a Cæsare cunctis,
 Vincitur una mora. Quantum est, quod fata tenentur!
 Quodque virum toti properans imponere mundo
 Perdidit hos Fortuna dies! tunc omnia late
 Procumbunt nemora, & spoliantur robore silvæ:
 Ut, quum terra levis mediam virgultaque molem
 Suspendant, structa laterum compage ligatam
 Artet humum, pressus ne cedat turribus agger.
 Lucus erat longo numquam violatus ab ævo,
 Obscurum cingens connexis æra ramis,
 Et gelidas alte submotis solibus umbras.
 Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
 Silvani Nymphæque tenent, sed barbara ritu
 Sacra deûm, structæ diris altaribus (1) aræ;
 Omnis & humanis lustrata cruoribus arbos.
 Si qua fidem meruit superos mirata vetustas,
 Illis & volucres metnunt insistere ramis,
 Et lustris recubare fertæ: nec ventus in illas
 Incubuit silvas, excussa que nubibus atris,

(1) sacris feralibus *vulgo*.

Fulmina: non ullis frondem præbentibus auris,
Arboribus suus horror inest. Tum plurima nigris
Fontibus unda cadit, simulacraque mœsta deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis.
Ipse situs, putrique facit jam robore squalor
Adtonitos: non vulgatis sacrata figuris
Namina sic metuunt: tantum terroribus addit,
Quos timeant non nosse deos. Jam fama ferebat
Sæpe cavas motu terræ mugire cavernas,
Et procumbentes iterum consurgere taxos,
Et non ardentis fulgere incendia silvæ,
Roboraque amplexos circumfluxisse dracones.
Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed cœssere deis. Medio quum Phœbus in axe est,
Aut cœlum nox atra tenet, pavet ipse sacerdos
Accessus, dominumque timet deprendere luci.

Hanc jubet inmisso silvam procumbere ferro:
Nam vicina operi, belloque intacta priore
Inter nudatos stabat densissima montes.
Sed fortes tremuere manus, motique verenda
Majestate loci, si robora sacra ferirent,
In sua credebant redituras membra secures.
Implicitas magno Cæsar torpore cohortes
Ut vidit primus raptam librare bipennem
Ausus, & aeriam ferro proscindere quercum,
Effatur merso violata in robora ferro:
„Jam ne quis vestrûm dubitet subvertere silvam,

„Credite me fecisse nefas.“ Tunc paruit omnis
 Imperiis non sublato secura pavore
 Turba, sed expensa superûmque & Cæsaris ira.
 Proçumbunt orni, nodosa impellitur ilex,
 Silvaque Dodonis, & fluctibus aptior alnus,
 Et non plebejos lucus testata cupressus,
 Tum primum posuere comas, & fronde carentes
 Admisere diem: propulsaque robore denso
 Sustinuit se silva cadens. Gemuere videntes
 Gallorum populi: muris sed clausa Juventus
 Exsultat. Quis enim læsos impune putaret
 Esse deos? servat multos fortuna nocentes;
 Et tantum miseris irasci numina possunt.
 Utque satis cæsi nemoris, quæsitæ per agros
 Plaustra ferunt: curvoque soli cessantis aratro
 Agricolæ raptis annum flevære juvencis.

Dux tamen impatiens hæsurî ad mœnia Martis
 Versus ad Hispanas acies, extremaque mundi,
 Jussit bella geri. Stellatis axibus agger
 Erigitur, geminasque æquantes mœnia turres
 Accipit: hæ nullo fixerunt robore terram,
 Sed per iter longum caussa repseræ latentî.
 Quum tantum nutaret onus, telluris inanes
 Concussisse sinus quærentem erumpere ventum
 Credidit, ac muros mirata est stare Juventus,
 Illinc tela cadunt excelsas urbis in arces.
 Sed major Grajo Romana in corpora ferro

Vis inerat. Neque enim solis excussa lacertis
 Lancea, sed tenso ballistæ turbine rapta,
 Haud unum contenta latus transire, quiescit:
 Sed pandens perque arma viam, perque ossa, relicta
 Morte, fugit: superest telo post vulnera cursus.
 At saxum quoties ingenti verberis actu (1)
 Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis
 Abscidit (2) impulsu ventorum adjuta vetustas,
 Frangit cuncta ruens: nec tantum corpora pressa
 Exanimat: totos cum sanguine dissipat artus.
 Ut tamen hostiles densa testudine muros
 Tecta subit virtus, armisque innexa priores
 Arma ferunt, galeamque extentus protegit umbo,
 Quæ prius ex longo nocuerunt missa recessu,
 Jam post terga cadunt: nec Grajis flectere jactum,
 Aut facilis labor est longinqua ad tela parati
 Tormenti mutare modum: sed pondere solo
 Contenti, nudis evolvunt saxa lacertis.
 Dum fuit armorum series, ut grandine tecta
 Innocua percussa sonant, sic omnia tela
 Respuit: at postquam virtus incensa (3) virorum
 Perpetuam rupit defesso milite cratem,
 Singula continuis cesserunt ictibus arma.
 Tunc adopena levi procedit vinea terra,

(1) ponderis ictu *vulgo*.

(2) abstulit *MSS. pervert.*

(3) incerta *MSS. vert.*

Sub ejus pluteis, & tecta fronte latentes
 Moliri nunc ima parant, & vertere ferro
 Moenia: nunc aries suspensio fortior ictu
 Incussus densi compagem solvere muri
 Tentat, & impositis unum subducere saxis.
 Sed super & flammis, & magnæ fragmine molis,
 Et sudibus crebris, & adusti roboris ictu
 Percussæ cedunt crates, frustra que labore
 Exhausto fessus repetit tentoria miles.

Summa fuit Grajis starent ut moenia voti.
 Ultro acies inferre parant: armisque coruscas
 Nocturnis texere faces: audaxque juvenus
 Erupt: non hasta viris, non letifer arcus,
 Telum flamma fuit, rapiensque incendia ventus
 Per Romana tulit celeri munimina cursu.
 Nec, quamvis viridi lætetur robore, lentas
 Ignis agit vires: tædæ sed raptus ab omni
 Consequitur nigri spatiosa volumina fumi:
 Nec solum silvas: sed saxa ingentia solvit,
 Et crudæ putri fluxerunt pulvere cautes.
 Præcubuit, majorque jacens adparuit agger.

Spes victis telluris abit, placuitque profundo
 Fortunam tentare mari. Non robore picto
 Ornatas decuit fulgens tutela carinas,
 Sed rudis, & qualis procumbit montibus arbos,
 Conseritur stabilis navalibus area bellis.
 Et jam turrigeram Bruti comitata carinam

Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite classis,
 Stœchados arva tenens. Nec non & Graja juvenus,
 Omne suum fatis voluit committere robur:
 Grandævusque senes mixtis armavit ephebis.
 Accepit non sola viros, quæ stabat in undis
 Classis; & emeritas repetunt navalibus alnos.
 Ut matutinos spargens super æquora Phœbus
 Fregit aquis radios, & liber nubibus æther,
 Et posito Borea, pacemque tenentibus Austris,
 Servatum bello jacuit mare, movit ab omni
 Quisque suam statione ratem, paribusque lacertis
 Cæsaris hinc puppes, hinc Grajo remige classis
 Tollitur: impulsæ tonsis tremuere carinæ,
 Crebraque sublimes convellunt verbera puppes.
 Cornua Romanæ classis, validæque triremes,
 Quasque quater surgens extructi remigis ordo
 Commovet, & plures quæ mergunt æquore pinus,
 Multiplices cinxere rates. Hoc robur aperto
 Oppositum pelago. Lunata fronte recedunt,
 Ordine contentæ gemino crevisse liburnæ.
 Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis
 Verberibus senis agitur molemq; profundo
 Invehit, & summis longe petit æquora remis.

Ut tantum medii fuerat maris, utraque classis-
 Quod semel excussis posset transcurrere tonsis,
 Innumeræ vasto miscentur in æthere voces:
 Remorumque sonus premitur clamore: nec ullæ

Audiri potuere tubæ. Tunc cærula verrunt,
 Arque in transtra cadunt, & remis pectora pulsant.
 Ut primum rostris crepuerunt obvia rostra:
 In puppim rediere (1) rates, emissaque tela
 Aera texerunt, vacuumque cadentia pontum.
 Et jam diductis extendunt cornua proris,
 Diversæque rates laxata classe receptæ.
 Ut, quoties æstu Zephyris, Eurisve repugnat,
 Huc abeunt fluctus, illuc mare (2): sic ubi puppes
 Sulcato varios duxerunt gurgite tractus,
 Quod tulit illa ratis remis, hæc retulit (3) æquor.
 Sed Grajis habiles, pugnamque lacessere pinus
 Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
 Cursum, nec tarde flectenti cedere clavo.
 At Romana ratis stabilem præbere carinam
 Certior, & terræ similem bellantibus usum.
 Tunc in signifera residenti puppe magistro
 Brutus ait, „Paterisne acies errare profundo,
 „Artibus & certas pelagi? jam consere bellum:
 „Phocaicis medias rostris adpone (4) carinas.“
 Paruit, obliquas & præbuit hostibus alnos.
 Tunc quæcumque ratis tentavit robora Bruti,
 Ictu victa suo, percussæ & capta cohæsit.
 Ast alias manicæque ligant, teretesque catenæ,

(1) cecidere *MS.*

(2) illo mare *MSS. optimi.*

(3) repulit *vulgo.*

(4) oppone *vulg.*

Seque tenent remis: tecto stetit æquore bellum.

Jam non excussis torquentur tela lacertis,
Non longinqua cadunt jaculato vulnera ferro:
Miscenturque manus. Navali plurima bello
Esis agit. Stat quisque suæ de robore puppis
Pronus in adversos ictus: nullique peremti
In ratibus cecidere suis. Cruor altus in undas
Spumat, & obducti concreto sanguine fluctus.
Et quas inmissi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent jungi conferta cadavera puppes.
Semianimes alii vastum subiere profundum,
Hauseruntque suo permixtum sanguine pontum.
Hi luctantem animam lenta cum morte trahentes,
Fractarum subita ratium periire ruina.
Irrita tela suas peragunt in gurgite cædes;
Et quodcumque cadit frustrato pondere ferrum,
Exceptum mediis invenit vulnus in undis.
Phocaicis Romana ratis vallata carinis,
Robore diducto lævum dextrumque tuetur
Æquo Marte latus: ejus dum pugnat ab alta
Puppe Tagus, Grajumque audax aplustre retentat,
Terga simul pariter missis & peïora telis
Transigitur: medio concurrit pectore ferrum,
Et stetit incertus flueret quo vulnere sanguis,
Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas,
Divisitque animam, sparsitque in vulnera letum.
Dirigit huc puppim miseri quoque dextra Telonis,

Qua nullam melius, pelago turbante, carinæ
 Audivere manum: nec lux est notior ulli
 Crastina, seu Phœbum videat, seu cornua lunæ,
 Semper venturis componere carbasa ventis.
 Hic Latiae rostro compagem ruperat alni:
 Pila sed in medium venero trementia pectus,
 Avertitque ratem morientis dextra magistri.
 Dum cupit in sociam Gyareos erepere puppim,
 Excipit inmissum suspensa per ilia ferrum,
 Adfixasque rati, telo retinente, pependit.

Stant gemini fratres, secundæ gloria matris,
 Quos eadem variis genuerunt viscera fati.
 Discrevit mors sæva viros: unumque relictum
 Agnorunt miseri, sublato errore, parentes,
 Æternis caussam lacrimis: tenet ille dolorem
 Semper, & amissum fratrem lugentibus obfert (1).
 Quorum alter, mixtis obliquo pectine remis
 Ausus Romanæ Graja de puppe carinæ
 Injicere manum: sed eam gravis insuper ictus
 Amputat; illa tamen nisu quo prenderat, hæsit,
 Deriguitque (2) tenens strictis immortua nervis.
 Crevit in adversis virtus: plus nobilis iræ
 Truncus habet: fortique instaurat prælia læva,
 Rapturusque suam procumbit in æquora dextram.
 Hæc quoque cum toto manus est abscissa lacerto.

(1) obfert MSS. *vetustiss.* adfert reliqui.

(2) deriguit ex MSS. diriguit vulgo.

Jam clipeo, telisque carens, non conditur ima
Puppe: sed expositus, fraternaue pectore nudo
Arma tegens, crebra confixus cuspidē perstat;
Telaque multorum leto casura suorum
Emerita jam mortē tenet. Tum vulnere multo
Effugientem animam lassos collegit in artus;
Membraque contendit toto, quicumque manebat,
Sanguine, & hostilem, defectis robore nervis,
Insiluit, solo nociturus pondere, puppim.
Strage virūm cumulata ratis, multoque cruore
Plena; per obliquum crebros latus accipit ictus.
At postquam ruptis pelagus compagibus hausit,
Ad summos repleta foros, desedit in undas,
Vicinum involvens contorto vertice pontum,
Æquora discedunt mersa diducta carina,
Inque locum puppis cecidit mare. Multaque ponto
Præbuit ille dies varii miracula fati.
Ferrea dum puppi rapidos manus inserit uncōs,
Adfixit Lycidan. Mersus foret ille profundo,
Sed prohibent socii, suspensaue crura retentant.
Scinditur avulsus; nec, sicut vulnere, sanguis
Emicuit lentus; ruptis cadit undique venis;
Discursusque anithæ diversa in membra meantis
Interceptus aquis. Nullius vita peremti
Est tanta dimissa via; pars ultima trunci
Tradidit in letum vacuos vitalibus artus,
At tumidus qua pulmo jacet, qua viscera fervent,

Hæserunt ibi fata diu: luctataque multum
Hac cum parte viri vix omnia membra tulerunt.

Dum nimium pugnae unius turba carinae
Incumbit prono lateri, vacuamque relinquit,
Qua caret hoste, ratem: congesto pondere puppis
Versa, cava texit pelagus, nautasque carina:
Brachia nec licuit vasto jactare profundo,
Sed clauso periere mari. Tunc unica diri
Conspecta est leti facies, quum forte natantem
Diversæ rostris juvenem fixere carinae.
Discessit medium tam vastos pectus ad ictus:
Neo prohibere valent obtritis ossibus artus,
Quo minus æra sonent; eliso ventre, per ora
Ejectat saniem permixtus viscere sanguis.
Postquam inhiunt remis puppes, ac rostra recedunt,
Dejectum in pelagus perfosso pectore corpus
Vulneribus transmisit aquas. Pars maxima turbæ
Naufraga, jactatis morti obluata lacertis,
Puppis ad auxilium sociæ concurret: at illis,
Robora quum vetitis prensarent altius ulnis,
Nutaretque ratis populo peritura recepto,
Impia turba super medios ferit ense lacertos:
Brachia linquentes Graja pendentia puppi,
A manibus cecidere suis: non amplius undæ
Sustinuere graves in summo gurgite truncos.
Jamque omni fuis nudato milite telis
Invenit arma furor: remum contorsit in hostem

Al-

Alter: at hi tortum validis aplustre lacertis,
Avulsasque rotant, excusso remige, sedes.
In pugnam fregere rates. Sidentia pessum
Corpora cæsa tenent, spoliantque cadavera ferro.
Multi inopes teli, jaculum letale revulsum
Vulneribus traxere suis, & viscera læva
Oppressere mann, validos dum præbeat ictus
Sanguis & hostilem quum torserit exeat hastam.
Nulla tamen plures hoc edidit æquore clades,
Quam pelago diversa lues. Nam pinguibus ignis
Adfixus tedis, & tecto sulfure vivax
Spargitur: at faciles præbere alimenta carinæ
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.
Nec flammam superant undæ: sparsisque per æquor
Jam ratibus fragmenta ferus sibi vindicat ignis.
Hic recipit fluctus, extinguat ut æquore flammæ;
Hi, ne mergantur, tabulis ardentibus hærent.
Mille modos inter leti, mors una timori est,
Qua cœpere mori. Nec cessat naufraga virtus.
Tela legunt dejecta mari, ratibusque ministrant:
Incertasque manus ictu languente per undas
Exercent. Nunc, rara datur si copia ferri,
Utuntur pelago. Sævus completitur hostem
Hostis, & implicitis gaudent subsidere membris,
Mergentesque mori. Pugna fuit unus in illa
Eximius Phoceus animam servare sub undis,
Scrutarique fretum si quid mersisset arenis,

Et nimis adfixos unci convellere morsus,
 Adductum quoties non senserat ancora funem.
 Hic ubi compressum penitus deduxerat hostem,
 Victor & incolumis summas remeabat in undas,
 Sed se per vacuos credit dum surgere fluctus,
 Puppibus occurrit, tandemque sub æquore mansit.
 Hi super hostiles jecerunt brachia remos,
 Et ratium tenuere fugam. Non perdere letum
 Maxima cura fuit, multus sua vulnera puppi
 Adfixit moriens, & rostris abstulit ictus.

Stantem sublimi Tyrrhenum culmine proræ
 Lygdamos excussa Balearis tortor habenæ.
 Glande petens calido (1) fregit cava tempora plumbo.
 Sedibus expulsi, postquam cruor omnia rupit
 Vincula, procurrunt (2) oculi: stat lumine raptò
 Adtonitus, mortisque illas putat esse tenebras.
 At postquam membris sensit constare vigorem,
 „Vos, ait, o socii, sicut tormenta soletis,
 „Me quoque mittendis rectum componite telis.
 „Egere quod superest animæ Tyrrhene per omnes
 „Bellorum casus. Ingentem militis usum
 „Hoc habet ex magna defunctum parte cadaver:
 „Viventis feriere loco.“ Sic fatus in hostem
 Cæca tela manu, sed non tamen irrita mittit.
 Excipit hæc juvenis generosi sanguinis Argus,

(1) solido *vulgo*.

(2) procumbunt *vulgo*.

Qua jam non medius descendit in ilia venter;
Adjuvitque suo procumbens pondere ferrum.

Stabat diversa victæ jam parte carinæ
Infelix Argi genitor, (non ille juventæ
Tempore Phocæicis ulli cessurus in armis:
Victum ævo robur cecidit, fessusque senectæ
Exemplum, non miles erat) qui funere viso,
Sæpe cadens longæ senior per transtra carinæ
Pervenit ad puppim spirantesque invenit artus.
Non lacrimæ cecidere genis, non pectora tundit,
Distentis toto riguit sed corpore palmis.
Nox subit, atque oculos vastæ obduxere tenebræ,
Et miserum cernens agnoscere desinit Argum.
Ille caput labens, & jam languentia colla
Viso patre levat: vox fauces nulla solutas
Prosequitur: tacito tantum petit oscula vultu.
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.
Ut torpore senex caruit, viresque cruentus
Cœpit habere dolor: „Non perdam tempora, dixit,
„A sævis permissa deis, jugulumque senilem
„Confodiam. Veniam misero concede parenti,
„Arge, quod amplexus, extrema quod oscula fugi.
„Nondum destituit calidus tua vulnera sanguis,
„Semianimusque jaces, & adhuc potes esse superstes.“
Sic fatus, capulum quamvis per viscera mersi
Polluerat gladii, tamen alta sub æquora tendit
Præcipiti saltu. Letum præcedere nati

Festinantem animam morti non credidit uni.

Inclinant jam fata ducum: nec jam amplius anceps
Belli casus erat: Grajæ pars maxima classis
Mergitur: ast aliæ mutato remige puppes
Victores vexere suos: navalia paucae
Præcipiti tenere fuga. Quis in turbe parentum
Fletus erat! quanti matrum per litora planctus!
Conjux sæpe sui, confusis vultibus unda,
Credidit ora viri, Romanum amplexa cadaver:
Accensisque rogis miseri de corpore trunco (1)
Certavere patres. At Brutus in æquore victor,
Primus Cæsareis pelagi decus addidit armis.

(1) trunci MSS. *quidam*.





LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

*Quartus habet castus, quos vidit Iberica vallis,
Quos gravidus variis annus tulit ille procellis.
Inde novas cades et monstros æquiparatas,
Pompejanorum scelera inter basia latas.
Quos Cæsar fossa spectantes flumina cinxit,
Confectosque siti nudos discedere sivit.
Hinc Opiterginæ ratis improba funera nescit,
Quæ sibi tota cohors per mutua vulnera fecit.
Post Libycas clades, quas Curio pertulit acer,
Quas sibi cum Væro Juba rex super intulit Afer.
Quem digno planctu vivam censura Poeta
Persequitur prisca recolens insignia vite.*

AT præcul extremis tertarum Cæsar in oris
Martem sævus agit non multa cæde nocentem (1).

(1) cæde rubentem MSS. 1709.

Maxima sed fati ducibus momenta daturum.

Jure pari rector castris Afranius illis,

Ac Petrejus erat: concordia duxit in æquas

Imperium commune vices, tutelaque valli

Pervigil alterno paret custodia signo.

His præter Latias acies erat impiger Astur,

Vettonesque leves, profugique a gente vetusta

Gallorum Celtae miscentes nomen Iberis.

Colle tumet modico, lenique excrevit in altum

Pingue solum tumulo: super hunc fundata vetusta

Surgit Ilorda manu: placidis (1) prælabitur undis

Hesperios inter Sicoris non ultimus annes,

Saxeus ingenti quem pons ampliflcat arcu,

Hybernas pasturus aquas. At proxima rupes

Signa tenet Magni: nec Caesar colle minore

Castra levat: medius dirimit ventoria gorges.

Explicat hinc vallis campos effusa patentes,

Vix oculo prendente modum, camposque coerces,

Cinga rapax, vetitus fluctus, & litora cursu

Oceani pepulisse tuo: nam gurgite minto,

Qui præstat terris, auferit tibi nomen Iberis.

Prima dies belli cessavit Marte cruento,

Spectandasque ducum vires, numerosaque (2) signa

Exposuit: piguit sceleris, pudor arma furentum

Continuit, patriæque, & ruptis legibus unum

(1) blandis MS.

(2) numeros atque MSS. ~~verum~~.

Donavere diem. Prono tum Cæsar Olympo
 In noctem subita circumdedit agmina fossa,
 Dum primæ præstant acies, hostemque fefellit,
 Et prope consertis obduxit castra manipulis.
 Luce nova collem subito conscendere cursu,
 Qui mediis tutam castris dirimebat Iberdam,
 Imperat, huc hostem pariter terrorque, pudorque
 Impulit: & raptò tumulum prior agmine cepit.
 His virtus, ferrumque locum promittit: at illis
 Ipse locus. Miles rupes oneratus in altas
 Nititur: adversoque acies in monte supina
 Hæret, & in tergum casura, umbone sequentis
 Erigitur. Nulli telum vibrare vacabat,
 Dum labat, aut fixa firmat vestigia pilo;
 Dum scopulos, stirpesque tenent, atque hoste relicto
 Cædunt ense viam. Vidit lapsura mina
 Agmina dux, equitumque jubet succedere bello,
 Muniturque latus lævo præducere gyro.
 Sic pedes ex facili nulloque urgente receptus,
 Irritus & victor, subdūcto Marte, pependit.

Hactenus armorum discrimina, Cetera bello
 Fata dedit variis incertus motibus ær.
 Pigro bruma gelu, siccisque Aquilonibus horrens (1)
 Æthere constricto pluvias in nube tenellat.
 Urabant montana nives, camposque jacentes

(1) hærens *vulgg.*

Non duraturæ conspecto sole pruinae:
 Atque omnis propior mergenti sidera cœlo
 Aruerat tellus hiberno dura sereno.
 Sed postquam calidum vernus Titana recepit
 Sidera respiciens delapsæ portitor Helles,
 Atque iterum, æquatis ad justæ pondera Libræ
 Temporibus, vicere dies: tunc, sole relicto,
 Cynthia quo primum cornu dubitanda refulsit,
 Exclusit Borean, flammæque accepit in Euro.
 Ille suo nubes quascumque invenit ab axe,
 Torsit in occiduum Nabatæis flatibus orbem:
 Et quas sentit Arabs, & quas Gangetica tellus
 Exhalat (1) nebulas, quidquid concrescere primus
 Sol patitur, quidquid cœli fuscator Eoi
 Intulerat Corus, quidquid defenderat Indos,
 Incendere diem: nubes oriente remotæ;
 Nec medio potuere graves incumbere mundo,
 Sed nimbos rapuere fuga. Vacat imbris Arctos,
 Et Notus, in solam Calpen fluit humidus aer.
 Hic ubi jam Zephyri fines, & summus Olympi
 Cardio tenet Tethyn: vetitæ transcurrere densos
 Involvere globos, congestumque aeris atri
 Vix recipit spatium, quod separat æthere terras.
 Jamque polo pressæ largos densantur in imbres;
 Spissatæque coeunt: nec servant fulmina cursum,

(1) exaltat MS.

Quamvis crebra micent: moriuntur fulgura nimbis.
 Hinc imperfecto complectitur aera gyro
 Arcus, vix ulla variatus luce colorem,
 Oceanumque bibit; raptosque ad nubila fluctus
 Pertulit & cœlo diffusum reddidit æquor.
 Jamque Pyrenææ quas numquam solvere Titan
 Evaluit, fluxere nives, fractoque madescent
 Saxa gelu. Tunc, quæ solitis e fontibus exit,
 Non habet unda vias: tam largas alveus omnis
 A ripis accepit aquas. Jam naufraga campo
 Cæsar's arma natant, impulsaque gurgite multo
 Castra labant: alto restagnant flumina vallo.
 Non pecorum raptus faciles, non pabula mersi
 Ulla ferunt sulci: tectarum errore viarum
 Fallitur occultis sparsus populator in agris.
 Jamque comes semper magnorum prima malorum
 Sæva fames aderat; nulloque obsessus ab hoste
 Miles eget, toto censu non prodigus emit
 Exiguam Cererem. Pro lucris pallida tabes!
 Non deest prolato jejūnus venditor auro.
 Jam tumuli collesque latent: jam flumina cuncta
 Condidit una palus, vastaque voragine mersit:
 Absorpsit penitus rupes, ac tecta ferarum
 Detulit, atque ipsas hausit: subitisque frementes
 Verticibus contorsit aquas, & reppulit æstus
 Fortior Oceani. Nec Phœbum surgere sentit
 Nox subtexta polo; rerum discrimina miscet

Deformis cœli facies, junctæque tenebræ.
 Sic mundi pars ima jacet, qua zona nivalis
 Perpetuæque premunt hiemes, non sidera cœlo
 Ulla videt, sterili non quidquam a frigore gignit,
 Sed glacie medios signorum temperat ignes.
 Sic, o summe parens mundi, sic sorte secunda
 Æquorei rector facias Neptune tridentis:
 Et tu perpetuis impendas (1) æra nimbis;
 Tu remeare vetes quoscunque iuniberis æstus.
 Non habeant amnes declivem ad litora cursum,
 Sed pelagi referantur aquis: concussa que tellus
 Laxet iter fluviis. Hos campos Rhenus inundet,
 Hos Rhodanus: vastos obliquent flumina fontes.
 Rhiphæas huc solve nives, huc stagna, lacusque,
 Et pigras, ubicumque jacent, effunde (2) paludes:
 Et miseras bellis civilibus eripe terras.

Sed parvo Fortuna viri contenta pavore,
 Plena redit, solitoque magis favere secundi,
 Et venlam meruere dei. Jam rarior aer,
 Et par Phœbus aquis, densas in vellera nubes
 Sparserat, & noctes ventura luce rubebant:
 Servatoque loco rerum, discessit ab astris
 Humor, & ima petit quidquid pendebat aquarum.
 Tollere silva comas: stagnis emergere colles
 Incipiunt, visoque die durescere calles.

(1) intentas MSS. aliquot.

(2) dissolve MSS. quinque.

Unque habuit ripas Sicoris, camposque reliquit,
 Primum cana salix madefacto vimine parvam
 Textitur in puppim, casoque inducta juvenco
 Vectoris patiens tumidum superenatat amnem.
 Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
 Navigat Oceano: sic quum tenet omnia Nilus,
 Conseritur bibula Memphis cymba papyro.
 His ratibus transiecta manus festinat utrumque
 Succisum curvare nequus; fluviiue ferocis
 Incrementa timens, non primis robora ripis
 Imposuit: medios pontem distendit in agros.
 Ac ne quid Sicoris repetitis audeat undis,
 Spargitur in sulcos, & scisso gurgite rivus.
 Dat pœnas majoris aquæ. Postquam omnia fatis
 Cæsaris ire videt, celsam Petrejus Ilerdam
 Deserit: & noti diffusis viribus orbis,
 Indomitos querit populos, & semper in arma
 Mortis (1) amore feros, & tendit in ultima mundi.
 Nudatos Cæsar colles, desertaque castra
 Conspiciens, capere arma jubet: nec querere pontem,
 Nec vada, sed duris fluvium superare lacertis,
 Paretur: rupitque ruens in proelia miles,
 Quod fugiens timuisset, iter. Mox vada receptis
 Membra foveant armis, gelidosque a gurgite cursu
 Restituunt artus, donec decreveret umbra

(1) Martis vulgo.

In médium surgente die. Jamque agmina summa
Carpit eques, dubique fugæ, pugnaeque tenentur.

Adtollunt geminae campo juga saxea rupes
Valle cavæ media: tellus hinc ardua celsos
Continuat colles: tutæ quos inter opaco
Anfractu latuere viæ: quibus hoste potito
Faucibus, emitti terrarum in devia Martem,
Inque feras gentes Cæsar videt. „Ite sine ullo
„Ordine, ait, raptumque fuga convertite bellum,
„Et faciem pugnae, vultusque inferte minaces;
„Nec liceat pavidis ignava occumbere morte:
„Excipiant recto fugientes pectore ferrum.“
Dixit: & ad montes tendentem prævenit hostem.

Illic, exiguo paullum distantia vallo
Castra locant. Postquam spatio languentia nullo
Mutua conspicuos habuerunt lumina vultus;
Ac fratres, natosque suos videre, patresque;
Depreñsum est civile nefas. Tenuere parumper
Ora metu: tantum nutu, motoque salutant
Ense suos. Mox ut stimulis majoribus ardens
Rupit amor leges, audet transcurrere vallum
Miles, in amplexus effusas tendere palmas.
Hospitis ille ciet nomen; vocat ille propinquum:
Admonet hunc studiis consors puerilibus ætas:
Nec Romanus erat, qui non agnoverat hostem.
Arma rigant lacrimis, singultibus oscula rumpunt:
Et quamvis nullo maculatus sanguine miles,

Quæ potuit fecisse, timet. Quid pectora pulsas?
Quid vesane gemis? fletus quid fundis ipanes,
Nec te sponte tua sceleri parere fateris?
Usque adeone times, quem tu facis ipse timendum?
Classica dent bello; sævos tu negliges cantus:
Signa ferant; cessa: jam jam civilis Erinnyes
Concidet, & Cæsar generum privatus amabit.
Nunc ades, æterno complectens omnia nexu,
O rerum, mixtique salus, Concordia, mundi,
Et sacer orbis amor: magnum nunc sæcula nostra
Venturi discrimen habent. Periere latebræ
Tot scelerum: populo venia est erepta nocenti:
Agnovere suos. Pro numine fata sinistro
Exigua requie tantas augentia clades!
Pax erat, & miles castris permixtus utrisque
Errabat: duro concordem cespitem mensas
Instituunt, & permixto libamina Baccho
Gramineis fluxere focis: (1) junctoque cubili
Extrahit insomnes bellorum fabula noctes:
Quo primum steterint campo, qua lancea dextra
Exierit. Dum, quæ gesserunt fortia, jactant,
Et dum multa negant, quod solum fata petebant,
Est miseris revocata fides, atque omne futurum
Crevit amore nefas. Nam postquam fœdera pacis
Cognita Petrejo, sequere, & sua tradita venum.

(1) luxere foci *vulgo*.

Castra videt, famulas scelerata ad prœlia dextras
 Excitat, atque hostes turba stipatus inermes
 Præcipitat castris, junctosque amplexibus ense
 Separat, & multo disturbat sanguine pacem.

Addidit ira ferox moturas prœlia voces:

- „Inmemor o patriæ, signorum oblite tuorum,
 „Non potes hoc caussæ miles præstare senatus
 „Adsertor, victo redeas ut Cæsare; certe
 „Ut vincere potes. Dum ferrum, incertaque fata,
 „Quique fluat multo non deerit vulnere sanguis
 „Ibitis ad dominum? damnataque signa feretis?
 „Utque habeat famulos nullo discrimine Cæsar
 „Exorandus erit? ducibus quoque vita petenda est.
 „Numquam nostra salus pretium, mercesque nefandæ
 „Proditionis erit: non hoc civilia bella,
 „Ut vivamus, agunt. Trahimur sub nomine pacis.
 „Non chalybem gentes penitus fugiente metallo
 „Eruerent, nulli vallarent oppida muri,
 „Non sonipes in bella ferox, non iret in æquor
 „Turrigeras classis pelago sparsura carinas,
 „Si bene libertas umquam pro pace daretur.
 „Hostes nempe meos sceleri jurata nefando
 „Sacramenta tenent: at vobis vilior hoc est
 „Vestra fides, quod pro caussa pugnantibus æqua
 „Et veniam sperare licet. Pro dira pudoris
 „Funera! (1) nunc toto fatorum ignarus in orbe

(1) fœdera MSS.

„Magne paras acies, mündique extrema tenentes.
„Sollicitas reges, forsam quum foedere nostro
„Jam tibi sit promissa salus.“ Sic fatur, & omnes
Concussit mentes, scelerumque reduxit amorem.
Sic ubi desuetæ silvis in carcere clauso
Mansuevero feræ, & vultus posuere minaces,
Atque hominem didicere pati: si torrida parvus
Venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque,
Admonitæque tument gustato sanguine fauces:
Fervet, & a trepido vix abstinet ira magistro.
Itur in omne nefas: & quæ Fortuna, deorum
Invidia, cæca bellorum in nocte tulisset,
Fecit monstra fides: inter mensasque, torosque,
Quæ modo complexu foverunt pectora, cadunt.
Et quamvis ferrum primo strinxero gementes,
Ut dextræ justî gladius dissuasor adhæsit,
Dum feriunt, odere suos, animosque labantes
Confirmant ictu. Fervent jam castra tumultu,
(Et scelerum turba: rapiuntur colla parentum.)
Ac velut occultum pereat scelus, omnia monstra
In faciem posuere ducum: juvat esse nocentes.

Tu Cæsar, quamvis spoliatus milite multo
Agnoscis superos: neque enim tibi major in arvis
Emathiis fortuna fuit, nec Phocidos undis
Massiliæ, Phario nec tantum est æquore gestum.
Hoc siquidem solo civilis crimine belli
Dux caussæ melioris eris. Polluta nefanda

Agmina cæde duces junctis committere castris
 Non audent, altæque ad mœnia rursus Ilerdæ
 Intendère fugam. Campos eques obuius omnes
 Abstulit, & siccis inclusit collibus hostem.
 Tunc inopes undæ prærupta cingere fossa
 Cæsar avet, nec castra pati contingere ripas,
 Aut circum largos curvari brachia fontes.

Ut leti videre viam, conversus in iram
 Præcipitem timor est. Miles non utile clausis
 Auxilium maclavit equos: tandemque coactus
 Spe posita damnare fugam, casurus in hostes
 Fertur. Ut effuso Cæsar decurrere passu (1)
 Vidit, & ad certam devotos tendere mortem:
 „Tela tene jam miles, ait, ferrumque ruenti
 „Subtrahe: non ullo constet mihi vulnere bellum:
 „Vincitur haud gratis, jugulo qui provocat hostem.
 „En! sibi vilis adest invisa luce juvenus,
 „Jam damno peritura meo. Non sentiet ictus,
 „Incumbet gladiis, gaudebit sanguine fuso.
 „Deserat hic fervor mentes, cadat impetus amens,
 „Perdant velle mori. “ Sic deflagrare minaces
 Incassum, vetito & passus languescere bello,
 Substituit merso dum nox sua lumina Phœbo.
 Inde ubi nulla data est miscendæ copia mortis,
 Paullatim fugit ira ferox, mentesque tepescunt.

Sau-

(1) campo MS.

Saucia majores animos ut pectora gestant
 Dum dolor est, iclusque recens, & mobile nervis
 Conamen calidus præbet cruor, ossaque nondum
 Adduxere cutem: si conscius ensis adacti
 Stat victor, tenuitque manus. Tunc frigidus (1) artus
 Adligat atque animum subducto robore torpor,
 Postquam sicca rigens adstrinxit vulnera sanguis.

Jamque inopes undæ, primum tellure refossa,
 Occultos latices, abstrusaque flumina quærunt;
 Nec solum rastris, durisque lignonibus arva,
 Sed gladiis fodere suis: puteusque cavati
 Montis ad irrigui præmitur fastigia (2) campi.
 Non se tam penitus, tam longe luce relicta
 Merserit Asturii scrutator pallidus auri.
 Non tamen aut telluris sonuerunt cursibus amnes,
 Aut micuere novi, percusso pumice, fontes:
 Antra nec exiguo stillant sudantia rore,
 Aut impulsa levi turbatur glareæ vena.
 Tunc exhausta super multo sudore juvenus
 Extrahitur, duris silicibus lassata medullis.
 Quoque minus siccos possent tolerare vapores,
 Quæsitæ fecistis aquæ. Nec languida fessi
 Corpora sustentant epulis, mensasque perosi
 Auxilium fecere famem. Si mollius arum
 Prodidit humorem, pingues manus utraque glebas

(1) dum frigidus MSS. *quidam*.

(2) vestigia MSS. *tres*.

Exprimit ora super. Nigro si turbida limo
 Coluvies innota jacet, cadit omnis in haustus
 Certatim obscenos miles; moriensque recepit,
 Quas nollet victurus, aquas: rituque ferarum
 Dimentas (1) siccant pecudes, & lacte negato,
 Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis;
 Tunc herbas; frondesque terunt, & rore madentes
 Destringunt ramos: & si quos palmita crudo,
 Arboris aut tenera succos pressere medulla.

O fortunati, fugiens quos barbarus hostis
 Fontibus inmixto stravit per rura veneno.
 Hos licet in fluvios saniet, tabemque ferarum,
 Pallida Diæris, Caesar, nascentia saxis
 Infundas acônita palam, Romana juventus
 Non decepta bibet. Torreatur viscera flamma,
 Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis.
 Jam marcent venæ, nulloque humore rigatus
 Aeris alternos angustat pulmo meatus,
 Recisoque nocent suspiria dura palato.
 Pandunt ora tamen, (2) nocturnumque aeris captant.
 Exspectant imbres, quorum modo cuncta natabant
 Impulsu; & siccis vultus in nubibus hærent.
 Quoque magis miseros undæ jejunia solvant,
 Non superarentem Merden, Cæsarique sub axe,
 Qua nudi Garamantes arant, sedêre: sed inter

(1) distensas MS. & ed. princeps.

(2) ora siti vulgo.

Stagnantem Sicorim, & rapidum deprensus Iberum
Spectat vicinos sitiens exercitus amnes.

Jam domiti cessere duces: pacisque petendæ
Auctor damnatis supplex Afranius armis,
Semianimes in castra trahens hostilia turmas,
Victoris stetit ante pedes. Servata precanti
Majestas, non fracta malis, interque priorem
Fortunam, casusque novos, gerit omnia victi,
Sed ducis, & veniam securo pectore poscit.

„ Si me degeneri stravissent fata sub hoste,
„ Non deerat fortis rapiendo dextera leto:
„ At nunc causa mihi est orandæ sola salutis,
„ Dignum donanda, Cæsar, te credere vita.
„ Non partis studiis agimur, nec sumsimus arma
„ Consiliis inimica tuis. Nos denique bellum
„ Invenit civile duces: causæque priori,
„ Dum potuit, servata fides. Nil fata moramur:
„ Tradimus Hesperias gentes, aperimus Eoas,
„ Securusque orbis patimur post terga relictæ.
„ Nec cruor effusus campis tibi bella peregit,
„ Nec ferrum, lassæque manus. Hoc hostibus unum,
„ Quod vincas, ignosce tuis. Nec magna petuntur.
„ Otia des fessis, vitam patiaris, inermem
„ Degere, quam tribuis: campis prostrata jacere
„ Agmina nostra putes: neque enim felicibus armis
„ Misceri damnata decet, partemque triumphæ
„ Captos ferre tui: turba hæc sua fata peregit.

„Hoc petimus, victos ne tecum vincere cogas.“

Dixerat. At facilis Cæsar, vultuque serenus
 Flebitur, atque usum belli, pœnasque remittit.
 Ut primum justæ placuerunt fœdera pacis,
 Non custoditos decurrit miles ad amnes;
 Incumbunt ripis, permissaque flumina turbant.
 Continuus multis subitarum tractus aquarum
 Aera non passus vacuis discurrere venis,
 Artavit, clausitque animam: nec fervida pestis
 Cedit adhuc: sed morbus egens jam gurgite plenis
 Visceribus sibi poscit aquas. Mox robora nervis,
 Et vires rediere viris. O prodiga rerum
 Luxuries, numquam parvo contenta paratu,
 Et quæditorum pelago terraque ciborum
 Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ,
 Discite, quam parvo liceat producere vitam,
 Et quantum natura petat. Non erigit ægros
 Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus:
 Non auro, murrhaque (1) bibunt: sed gurgite puro
 Vita redit. Satis est populis fluviusque Ceresque.
 Heu miseri, qui bella gerunt. Tunc arma relinquens
 Victori miles spoliato pectore tutus,
 Innocuusque suas curarum liber in urbes
 Spargitur. O quantum donata pace potitos!
 Excussis umquam ferrum librasse læertis

(1) gammaque MS.

Pœnituit, tolerasse sitim, frustra que rogasse
 Prospera bella deos. Nempe usis Marte secundo
 Tot dubiæ restant acies, tot in orbe labores:
 Ut numquam fortuna labet successibus anceps,
 Vincendum toties: terras fundendus in omnes
 Est cruor, & Cæsar per tot sua fata sequendus.
 Felix, qui potuit mundi nutante ruina,
 Quo jaceat jam scire loco. Non prælia fessos
 Ulla vocant, certos non rumpunt classica somnos.
 Jam conjux, nati que rudes, & sordida tecta,
 Et non deductos recipit sua terra colonos.
 Hoc quoque securis oneris fortuna remisit,
 Sollicitus menti quod abest favor: ille salutis
 Est auctor, dux ille fuit. Sic prælia soli
 Felices nullo spectant civilia voto.
 Non eadem belli totum fortuna per orbem
 Constitit: in partes aliquid sed Cæsaris ausa est,
 Qua maris Hadriaci longas ferit unda Salonas,
 Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iadar.
 Illic bellaci confusus gente Curitum, (1)
 Quos alit Hadriaco tellus circumflua ponto,
 Clauditur extrema residens Antonius ora,
 Cautus ab incursu belli, si sola recedat,
 Expugnat quæ tuta, fames. Non pabula tellus
 Pascendis submittit equis, non proserit ullam

(1) Curitum plures.

Flava Ceres segetem: spoliabat gramine campum
 Miles, & adtonso miseris jam dentibus arvo
 Castrorum siccas de cespite vulserat herbas.
 Ut primum adversæ socios in litore terræ
 Et Basilum videre ducem: nova fusta per æquor
 Exquisita fugæ. Neque enim de more carinas
 Extendunt, puppesque levant, sed firma gerendis
 Molibus insolito contexunt robora ductu.
 Namque ratem vacuæ sustentant undique cupæ,
 Quarum porrectis series constricta catenis
 Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.
 Nec gerit expositum telis in fronte patenti
 Remigium: sed, quod trabibus circumdedit æquor,
 Hoc ferit, ac taciti præbet miracula cursus,
 Quod nec vela ferat, nec apertas verberet undas.
 Tunc freta servantur, dum se declinibus (1) undis
 Æstus agat, refluxoque mari nudentur arenæ.
 Jamque relabenti crescebant litora ponto;
 Missa ratis prono defertur lapsa profundo,
 Et geminæ comites. Cunctas super ardua turris
 Eminent, & tremulis tabulata minantia pinnis.
 Noluit Illyricæ custos Octavius oræ
 Confestim tentare ratem, celeresque carinas
 Continuit, cursu crescat dum præda secundo:
 Et timore ingressos repetendum invitat ad æquor

(1) declivibus *vulgo*.

Pace maris. Sic dum pavidos formidine cervos
 Claudat odoratæ metuentes aera pinnæ: (1)
 Aut dum dispositis adcollat retia varis:
 Venator, tenet ora levis clamosa Molossi,
 Spartanos, Cretasque ligat: nec creditur ullæ
 Silva cani; nisi qui presso vestigia rostro
 Colligit, & præda nescit latrare reperta,
 Contentus tremulo monstrasse cubilia loro.
 Nec mora. Complentur moles, avideque petitis
 Insula deseritur ratibus: quo tempore primas
 Impedit ad noctem jam lux extrema tenebras.
 At Pompejanas fraudes innectere ponto
 Antiqua parat arte Ciliæ, passusque vacare
 Summa freti, medio suspendit vincula ponto,
 Et laxas fluitare sinit religatque catenas
 Rupis ab Illyricæ scopulis. Nec prima, neque illa,
 Quæ sequitur, tardata ratis: sed tertia moles
 Hæsit, & ad cautes adducto fune secuta est.
 Impendent cava saxa mari: ruituraque semper
 Stat (miram) moles: & silvis æquor inumbrat.
 Huc fractas Aquilone rates, submersaque pontus
 Corpora sæpe tulit, cæcisque abscondit in antris,
 Restituit raptus totum mare: quamque cavernæ
 Evomuere fretum, contorti verticis undæ
 Tauromenitanam vincunt fervore Charybdim.

(1) pinnæ *vulgo*.

Hic Opiterginis moles onerata colonis
 Constitit: hanc omni puppes statione solutæ
 Circumeunt: alii rupes, ac litora complent.
 Vultejus tacitas sensit sub gurgite fraudes,
 Dux erat ille ratis, frustra qui vincula ferro
 Rumpere conatus, poscit spe proelia nulla,
 Incertus qua terga daret, qua pectora bello.
 Hoc tamen in casu, quantum deprensa valebat,
 Effecit virtus: inter tot millia captæ
 Circumfusa rati, & plenam vix inde cohortem,
 Pugna fuit, non longa quidem. Nam condidit umbra
 Nox lucem dubiam, pacemque habuere tenebræ.

Tunc sic adtonitam, venturaque fata paventem
 Rexit magnanima Vultejus voce cohortem:

- „Libera non ultra parva quam nocte juvenus,
- „Consulte extremis angusto in tempore rebus.
- „Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
- „Quærendæ sibi mortis habet: nec gloria leti
- „Inferior, juvenes, admoto occurrere fato.
- „Omnibus incerto venturæ tempore vitæ,
- „Par animi laus est, & quos speraveris annos
- „Perdere, & extremæ momentum abrumpere lucis
- „Arcessas dum fata manu. Non cogitur ullus
- „Velle mori. Fuga nulla patet: stant undique nostris
- „Intenti jugulis cives. Dæcernite letum,
- „Et metus omnis abest: cupias quodcumque necesse est,
- „Non tamen in cæca bellorum nube cadendum est,

„Ut, quum permixtis acies sua tela tenebris
 „Involvunt, conferta jacent quum corpora campo,
 „In medium mors omnis abit, perit obruta virtus.
 „Nos in conspicua sociis, hostique carina
 „Constituere dei. Præbebunt æquora testes,
 „Præbebunt terræ, summis dabit insula saxis:
 „Spectabunt geminas diverso e litore partes.
 „Nescio quod nostris magnum & memorabile fatis
 „Exemplum, Fortuna, paras. Quæcumque per ævum
 „Exhibuit monumenta fides, servataque ferro
 „Militiæ pietas, transibit (1) nostra juvenus.
 „Namque suis pro te gladiis ineumbere, Cæsar,
 „Esse parum scimus: sed non majora supersuat
 „Obsessis, tantû quæ pignora demus amoris.
 „Abscidit nostræ multum Fors invida laudi,
 „Quod non eum senibus capti natisque tenemur.
 „Indomitos sciat esse viros, timeatque furentes,
 „Et morti faciles animos, & gaudeat hostis
 „Non plures hæsisse rates. Tentare parabunt
 „Fœderibus, turpique volent corrumpere vita.
 „O utinam, quo plus habeat mors unica famæ,
 „Promittant veniam, jubeant sperare salutem:
 „Ne nos, quum calido fodiemus viscera ferro,
 „Desperasse putent. Magna virtute merendum est,
 „Cæsar ut, amissis, inter tôt millia, paucis,

(1) transisset MSS. *vetustiss.*

„Hoc damnum, clademque vocet. Dent fata recursum,
 „Emittantque licet, vitare instantia nolim.
 „Proieci vitam, comites, rotasque futuræ
 „Mortis agor stimulis: furor est. Agnoscere solis
 „Permissum, quos jam tangit vicina fati,
 „Victurosque dei celant, ut vivere durent,
 „Felix esse mori.“ Sic cunctas extulit ardor.
 Nobilium mentes juvenum: quin sidera cœli,
 Ante ducis voces, oculis humentibus omnes
 Adspicerent, flexoque Ursæ temone paverent:
 Idem, quum fortes animos præcepta subissent,
 Optavere diem. Nec segnis vergere ponto
 Tunc erat astra polus: nam sol Ledæa tenebat
 Sidera, vicino quum lux altissima Cancro est:
 Nox tum Thessalias arguebat parva sagittas.
 Detegit orta dies stantes in rupibus Istros,
 Pugnaesque mari Graja cum classe Liburnos.
 Tentavere prius suspenso vincere bello
 Fœderibus, fieret captis si dulcior ipsa
 Mortis vita mora. Stabat devota juvenus,
 Damnata jam luce ferox, securaque pugnae
 Promisso sibi fine manu: nullique tumultus
 Excussere viris mentes ad summa paratas:
 Innumerasque simul pauci terræque marique
 Sustinuere manus: tanta est fiducia morti.
 Utque satis bello visum est fluxisse erroris,
 Versus ab hoste furor: primus dux ipse carinæ

Vultejus jugulo posceas sibi fata relecto,
„Equis, ait, juvenum, cujus sit dextra cruore
„Digna meo, certa que fide per vulnera nostra
„Testetur se velle mori?“ nec plura locuto
Viscera non unus jamdudum transigit ensis.
Collaudat cunctos: sed eum, cui vulnera prima
Debebat, grato moriens interficit ictu.
Concurrunt alii, totumque in partibus unis
Bellorum fecere nefas. Sic semine Cadmi
Emicuit Dircaea cohors, ceciditque suorum
Vulneribus, dirum Thebanis fratribus omen.
Phasidos & campis insomni dente creati
Terrigenæ, missa magicis e cantibus ira,
Cognato tantos complerunt sanguine sulcos:
Ipsaque, inexpertis primum quod fecerat herbis,
Expavit Medea nefas. Sic mutua passi
Fata cadunt juvenes: nimirumque (1) in morte virorum
Mors virtutis habet: pariter sternuntque, caduntque
Vulnere letali: nec quemquam dextra fefellit,
Quum feriat moriente manu. Nec vulnus adactis
Debetur gladiis: percussus est pectore ferrum,
Et jugulis pressere manum. Quum sorte cruenta
Fratribus incurrant fratres, natusque parenti;
Haud trepidante tamen toto cum pondere dextra
Exegere enses. Pietas ferientibus una,

(1) minimumque *vulgo*.

Non repetisse, fuit. Jam latis viscera lapsa
 Semianimes traxere foris, multumque cruoris
 Infudere mari. Despectam cernere lucem,
 Victoresque suos vultu spectare superbo,
 Et mortem sentire juvat. Jam strage cruenta
 Conspicitur cumulata ratis: bustisque remittunt
 Corpora victores, ducibus mirantibus, ulli
 Esse ducem tanti. Nullam majore locuta est
 Ore ratem totum discurrens fama per orbem.
 Non tamen ignavæ post hæc exempla virorum
 Percipient gentes, quam sit non ardua virtus
 Servitium fugisse manu. Sed regna timentur
 Ob ferrum, & sævis libertas uritur armis:
 Ignoratque datos, ne quisquam serviat, enses.
 Mors utinam pavidos vitæ subducere nolles,
 Sed virtus te sola daret! Non segnior illo
 Marte fuit, qui tunc Libycis exarsit in arvis (1).
 Namque rates audax Lilybæo litore solvit
 Curio: nec forti velis Aquilone recepto
 Inter semirutas magnæ Garthaginis arces,
 Et Clupeam, tenuit stationis litora notæ:
 Præmaque castra locat cæno procul æquore, qua se
 Bagrada lentus agit siccæ sulcator arenæ.
 Inde petit tumulos, exesasque undique rupes,
 Antæi quæ regna vocat non vana vetustas.

(1) exarsit arenis MS.

Nominis antiqui cupientem noscere causas,
Cognita per multos docuit rudis incola partes.
„Nondum post genitos Tellus effeta gigantas,
„Terribilem Libycis partum concepit in antris.
„Nec tam justa fuit terrarum gloria Typhon,
„Aut Tityos, Briareusque ferox: cœloque pepercit,
„Quod non Phlegræis Antæum sustulit arvis.
„Hoc quoque tam vastas cumulavit munere vires
„Terra sui foetus, quod, quum tetigere parentem,
„Jam defecta vigent renovato robore membra.
„Hæc illi spelunca domus: latuisse sub alta
„Rupe ferunt, epulas raptos habuisse leones:
„Ad somnos non terga feræ præbere cubile
„Adsuerunt, non silva torum: viresque resumit
„In nuda tellure jacens. Periere coloni
„Arvorum Libyes: pereunt, quos adpulit æquor,
„Auxillioque dlu virtus non usa cadendi,
„Terræ spernit opes: invictus robore cunctis,
„Quamvis staret, erat. Tandem vulgata cruenti
„Fama mali, terras monstris æquorque levantem,
„Magnanimum Alciden Libycas exclvit in oras,
„Ille Cleonei projecit terga leonis,
„Antæus Libyei. Perfudit membra illo
„Hospes, Olympiæ servato more palæstræ,
„Ille parum fidens pedibus contingere matrem,
„Auxilium membris calidas infundit arenas.
„Conseruere manus, & multo brachia nexu.

- „Colla diu gravibus frustra tentata lacertis:
 „Immotumque caput fixa cum fronte tenetur.
 „Miranturque habuisse parem. Nec viribus uti
 „Alcides primo voluit certamine totis,
 „Exhausitque virum: quod creber anhelitus illi
 „Prædidit, & fesso gelidus de corpore sudor.
 „Tunc cervix lassata quatit: tunc pectore pectus
 „Urgueri: tunc obliqua percussa labare
 „Crura manu. Jam terga viri cedentia victor
 „Adligat, & medium, compressis ilibus, artat:
 „Inguinaque insertis pedibus distendit, & omnem
 „Explicuit per membra virum. Rapit arida tellus
 „Sudorem: calido complectatur sanguine venas.
 „Intumero tori, totosque induruit artus,
 „Herculeosque novo laxavit corpore nodos.
 „Constitit Alcides stupefactus robore tanto:
 „Nec sic Inachiis, quamvis rudis esset, in undis
 „Desectam (1) timuit reparatis anguibus hydram.
 „Confluxere pares, telluris viribus ille,
 „Ille suis. Numquam sævæ sperare novæ:
 „Plus licuit. Videt exhaustos sudoribus artus
 „Cervicemque viri, siccam quum ferret Olympum.
 „Utque iterum fessis injecit brachia membris,
 „Non expectatis Antæus vimibus hostis,
 „Sponte cadit, majorque, accepto robore, surgit.

(1) Desectam *vulgo*.

„Quisquis inest terris, in fessos spiritus artus
 „Egeritur; tellusque viro luctante laborat.
 „Ut tandem auxilium tactas prodesse parentis
 „Alcides sensit: *Standum est tibi*, dixit, *& ultra*
 „*Non credere solo, sternique rotabere terra.*
 „*Hærebis pressis intra mea pectora membris:*
 „*Huc Antææ cades.* Sic fatus, sustulit alte
 „Nitentem in terras juvenem. Morientis in artus
 „Non potuit sati Tellus, permittere vires.
 „Alcides medium tenuit: jam pectora pigro
 „Stricta gelu: terrisque diu non credidit hostem.
 „Hinc ævi veteris custos famosa vetustas,
 „Miratrixque sui signavit nomine terras.
 „Sed majora dedit cognomina collibus istis,
 „Pœnum qui Latjis revocavit ab arcibus hostem,
 „Scipio. Nam sedes Libyca tellure potito
 „Hæc fuit. En, veteris cernis vestigia valli:
 „Romana hos tenuit primum victoria campos.“

Curio lætatus, tamquam fortuna locorum
 Bella gerat, servetque ducum sibi fata priorum,
 Felici non fausta loco tentoria ponens,
 Indulsit (1) castris, & collibus abstulit omen,
 Sollicitatque feros non æquis viribus hostes.
 Omnis Romanis quæ cesserat Africa signis,
 Tunc Vari sub jure fuit: qui robore quamquam

(1) inclusit MSS.

Confusus Latio, regis tamen undique vires
 Excivit Libyæ gentis, extremaque mundi
 Signa suum comitata Jubam. Non fusior ulli
 Terra fuit domino: qua sunt longissima regni,
 Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
 Terminat: a medio, confinis Syrtibus Hammon.
 At qua lata jacent, vasti plaga fervida mundi
 Distinet Oceanum, zonæque exusta calentis
 Sufficiunt spatio. Populi tot castra sequuntur:
 Autololes, Numidæque vagi, semperque paratus
 Incultus Gætulus equo: tum concolor Indo
 Maurus, inops Nasamon, mixti Garamante perusto
 Marmaridæ volucres, æquaturusque sagittas
 Medorum, tremulum quum torsit missile, Mazax;
 Et gens, quæ nudo residens Massylia dorso
 Ora levi flectit frenorum nescia virga:
 Et solitus vacuis errare mapalibus Afer
 Venator, ferrique simul fiducia non est,
 Vestibus iratos taxis operire leones.

Nec solum studiis civilibus arma parabat,
 Privatae sed bella dabat Juba concitus (1) iræ.
 Hunc quoque, quo superos humanaque polluit anno,
 Lege tribunicia solio depellere avorum
 Curio tentarat; Libyamque auferre tyranno,
 Dum regnum te Roma facit. Memor ille doloris
 Hoc

(1) conscius MS.

Hoc bellum sceptri fructum putat esse retenti.
 Hac igitur tristis trepidat jam Curio fama,
 Et quod Cæsareis numquam devota juvenus
 Illa nimis castris, nec Rheni miles in undis
 Exploratus erat, Corfini captus in arce,
 Infidusque novis ducibus, dubiusque priori,
 Fas utrumque putat. Sed postquam languida segni
 Cernit cuncta metu, nocturnaue munia valli
 Desolata fuga, trepida sic mente profatur:

„Audendo magnus tegitur timor: arma capessam.
 „Ipse prior: campum miles descendat in æquum,
 „Dum meus est: variam semper dant otia mentem.
 „Eripe consilium pugna: quum dira voluntas
 „Ense subit presso, galeæ texere pudorem,
 „Quis conferre duces meminit? quis pendere causas?
 „Qua stetit, inde favet: veluti fatalis arenas
 „Muneribus non ira vetus concurrere cogit
 „Productos: odere pares. Sic fatus, apertis
 Instruxit campis acies: quem blanda futuris
 Deceptura malis belli fortuna recepit.
 Nam pepulit Varum campo, nudataque foeda
 Terga fuga, donec vetuerunt castra, cecidit.
 Tristia sed postquam superati prœlia Vari
 Sunt audita Juba: lætus, quod gloria belli
 Sit rebus servata suis, rapit agmina furtim,
 Obscuratque suam per jussa silentia famam;
 Hoc solum metuens incautus ab hoste timeri.

Mittitur, exigua qui proelia prima lacescat,
 Eliciatque manu, Numidis a rege secundus,
 Ut sibi commissi simulator Sabura belli.
 Ipse cava regni vires in valle retentat:
 Aspidas ut Pharias cauda sollertior hostis
 Ludit, & iratas incerta provocat umbra:
 Obliquusque caput vanas serpentis in auras
 Effusæ tuto comprehendit guttura morsu
 Letiferam citra saniem: tunc irrita pegis
 Enprimitur, faucesque fluunt pereunte veneno.
 Fraudibus eventum dederat fortuna: feroxque
 Non exploratis occulti viribus hostis,
 Curio nocturnum castris erumpere cogit,
 Ignotisque equitem late discurrere campis.
 Ipse sub auroræ primos excedere motus
 Signa jubet castris, imultum, frustraue rogatus
 Ut Libycas metuat fraudes, infestaque semper
 Punica bella, dolis. Leti fortuna propinqui
 Tradiderat fatis juvenem: bellumque trahebat
 Auctorem civile suum. Super illud ducit
 Saxa, super cantes, abrupto limite (1), signa
 Quum procul, e summis conspecti collibus hostes
 Fraude sua cessere parum, dum colle relicto
 Effusam patulis agiem committeret arvis,
 Ille fugam credens, simulatæ nescius artis,

(1) abrupto milite MSS. quat.

Ut victor, medios aciem dejecit in agros.
 Tunc primum patuere doli, Numidæque fugaces (1).
 Undique completis clauferunt montibus agmen.
 Obstupuit dux ipse simul, perituraque turba.
 Non timidi petiere fugam, non proelia fortes:
 Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum
 Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frenos
 Ora terens, spargitque jubar, & subrigit aures,
 Incertoque pedum pugnat non stare tumultu.
 Fessa jacet cervix. Fumant sudoribus artus
 Oraque projecta squalent arentia lingua:
 Pectora rauca gement, quæ creber anhelitus urget;
 Et defecta gravis longe trahit ilia pulsus:
 Siccaque sanguineis durescit spuma hepatis.
 Jamque gradum neque verberibus, stimulisque coacti,
 Nec, quamvis crebris jussi calcaribus, addunt.
 Vulneribus coguntur equi. Nec profuit ulli
 Cornipedis rupisse moras: neque enim impetus illis
 Incursusque fuit: tantum profertur ad hostes,
 Et spatium jaculis oblato vulnere donat.
 At vagus Afer equos ut primum emisit in agmen:
 Tunc campi tremuere sono: terraque soluta,
 Quantus Bistonio torquetur turbine pulvis,
 Aera nube sua texit, traxitque tenebras.
 Ut vero in pedites fatum miserabile belli

(1) feroces MS.

Incubuit: nullo dubii discrimine Martis
 Ancipites steterunt casus, sed tempora pugnae
 Mors tenuit. Neque enim licuit procurrare contra,
 Et miscere manus. Sic undique septa Juventus
 Comminus obliquis, & rectis eminus hastis
 Obruitur: non vulneribus, nec sanguine, solum
 Telorum nimbo peritura, ac pondere ferri.
 Ergo acies tantæ parvum spissantur in orbem:
 Ac, si quis medium metuens correpsit in agmen,
 Vix impune suos inter convertitur enses.
 Densaturque globus, quantum pede prima relato
 Constrinxit gyros acies. Non arma movendi
 Jam locus est: pressis: stipataque membra teruntur,
 Frangitur armatum colliso pectore pectus.
 Non tam læta tulit victor spectacula Maurus,
 Quam fortuna dabat: fluvios non ille cruoris (1),
 Membrorumque videt lapsum, & ferientia terram
 Corpora: compressum turba stetit omne cadaver.
 Excitet invisas diræ Carthaginis umbras
 Inferiis fortuna novis: ferat ista cruentus
 Hannibal, & Pœni tam dira piacula manes,
 Romanarum, superi, Libyca tellure ruinam
 Pompejque prodesse nefas, votisque senatus.
 Africa nos potius vincat sibi. Curio fusas
 Ut vidit campis acies, & cernere tantas

(1) non ire cruoris MS.

Permisit clades compressus sanguine pulvis,
 Non tulit adflictis animam producere rebus,
 Aut spectare fugam: ceciditque in strage suorum
 Impiger ad letum, & fortis virtute coacta.

Quid nunc rostra tibi prosunt turbata, forumque,
 Unde tribunicia plebejus signifer arce
 Arma dabas populis, quid prodita jura senatus,
 Et gener, atque socer bello concurrere jussi?
 Ante jaces, quam dira duces Pharsalia confert,
 Spectandumque tibi bellum civile negatum est.
 Has urbi miseræ vestro de sanguine pœnas
 Nempe datis (1): luitis jugulo sic arma potentes.
 Felix Roma quidem, civesque habitura beatos,
 Si libertatis superis tam cura placeret,
 Quam vindicta placet. Libycas, en! nobile corpus
 Pascit aves, nullo contactus (2) Curio busto.
 At tibi nos (quando non proderit ista silere
 A quibus omne ævi senium sua fama repellet,)
 Digna damus, juvenis, meritæ præconia vitæ,
 Haud alium tanta civem tulit indole Roma,
 Aut cui plus leges deberent recta sequenti.
 Perdita tunc urbi nocuerunt sæcula, postquam
 Ambitus, & luxus, & opum metuenda facultas
 Transverso mentem dubiam torrente tulerunt,
 Momentumque fuit mutatus Curio rerum,

(1) ferre datis *ulgo*.

(2) contentus *MSS. multi*.

Gallorum captus spoliis, & Cæsaris auro.
Jus licet in jugulos nostros sibi fecerit ense
Sulla potens, Mariusque ferox, & Cinna cruentus,
Cæsareæque domus series: cui tanta potestas
Concessa est? emere omnes, hic vendidit urbem.





LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

*Quintus in Epiro memorat decreta Senatus,
 Pompejæque datam regionem summaque ducatus.
 Hinc steriles curæ decepti sortibus Appi,
 In latere Euboico sperantis anarchia regni.
 Caesaris in reditu, postquam dominasset Hibernis,
 Milite peraso pæne obruta calumnia vorum.
 Hinc prope collatis Magni cum Cæsare castris,
 Spem fore damnatis reparandi fœdera bellis.
 Inde procellosi tentanda pericula ponti,
 Jam desperantem revocatum ad litus eundi.
 Magnum collatis in prælia Cæsaris armis,
 Conjugii pondus Lesbi calatæ latebris.*

SIC alterna duces bellorum vulnera passos
 In Macetum terras, miscens adversa secundis,
 Servavit fortuna pares. Jam sparserat Æmo

Bruma nives, gelidoque cadens Atlantis Olympo:
 Instabatque dies, qui dat nova nomina fastis,
 Quique colit primus ducentem tempora Janum.
 Dum tamen emeriti remanet pars ultima juris,
 Consul uterque vagos belli per munia Patres
 Elicit Epiron. Peregrina ac sordida sedes
 Romanos cepit procures: secretaque rerum
 Hospes in externis audivit curia testis,
 Nam quis castra vocet strictas tot jure secures,
 Tot fascēs? docuit populos venerabilis ordo
 Non Magni partes, sed Magnum in partibus esse.
 Ut primum mœstum tenuere silentia cœtum,
 Lentulus excelsa (1) sublimis sede profatur:
 „Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
 „Robur inest animis, non qua tellure coacti,
 „Quamque procul rectis captæ sedeamus ab urbis
 „Cernite: sed vestræ faciem cognoscite turbæ:
 „Cunctaque jussuri primum hoc decernite Patres,
 „Quod regnis, populisque liquet, nos esse senatum.
 „Nam, vel Hyperboreæ plaustrum glaciæ sub ursæ,
 „Vel plaga qua torrens, claususque vaporibus axis
 „Nec patitur noctes, nec iniquos crescere soles,
 „Si fortuna ferat, verum nos summa sequetur,
 „Imperiumque comes. Tarpeja sede perusta
 „Gallorum facibus, Vejosque habitante Camillo,

(1) e' celsa MSS. *quindéc.*

„Illic Roma fuit. Non unquam perdidit ordo
 „Mutato sua jura solo. Mercentia tota
 „Cæsar habet, vacuasque domos, lægæque silentes,
 „Chausaque justitio tristi fora. Curia solos
 „Illa vidit Patres, plena quos urbe fugavit.
 „Ordine de tanto quisquis non exulat, hic est.
 „Ignaros scelerum, longaque in pace quietos
 „Bellorum primus sparsit furor; omnia rursus
 „Membra loco redeunt. Totis, en! viribus orbis
 „Hesperien pensant superi: jacet hostis in undis
 „Obrutus Illyricis: Libyes squalentibus arvis
 „Curio Cæsarei cecidit pars magna senatus.
 „Tollite signa duces: fatorum impellite cursum:
 „Spem vestram præstate deis: fortunaque tantos
 „Det vobis animos, quantos fugientibus hostem
 „Causa dabat. Nostrum exhausto jure clauditur anno:
 „Vos, quorum finem non est censura potestas,
 „Consulte in medium Patres, Magnumque jubete
 „Esse ducem. “ Læto nomen clamore senatus
 Excipit: & Magno fatum patriæque suumque
 Imposuit. Tunc in reges, populosque merentes
 Sparsus honos, pelagique potens Phœbeja donis
 Exornata Rhodos, gelidique inculta juventus
 Taygeti: famæ veteris laudantur Athenæ:
 Massiliæque suæ donatur libera Phocis.
 Tunc Sadalen, fortemque Cotyn, fidumque per arma
 Dejotarum, & gelidæ dominum Rhascypolin oræ

Collaudant: Libyenque jubent auctore senatu
 Sceptrafero parere Iubæ. Pro tristia fata!
 Et tibi non fidæ gentis dignissime regno,
 Fortunæ, Ptolemate, pudor, crimenque deorum,
 Cingere Pellæo pressos diademate crines
 Permissum. Sævum in populos puer accipit ensem:
 Atque utinam in populos! donata est regia Lagi;
 Accessit Magni iugulus: regnumque sorori
 Ereptum est, soceroque nefas. Jam turba soluto
 Arma petit cætu, quæ quum populique ducesque
 Casibus incertis, & cæca sorte pararent,
 Solus in ancipites metuit descendere Martis.
 Appius eventus: finemque expromere rerum
 Sollicitat superos, multosque obducta per annos
 Delphica fatidici restrat penetralia Phoebio
 : Hesperio tantum, quantum submotus Eoo
 Cardine, Parnasos gemino petit æthera colle,
 Mons Phoebo, Bromioque sacer: cui numine mixto
 Delphica Thebanae referunt trieterica Bacchæ.
 Hoc solum fluctu terras mergente cacumen
 Emicuit (1), pontoque fuit discrimen, & astris.
 Tu quoque vix suramam seductus ab æquore rupem
 Extuleras, unoque iugo Parnase lacebas.
 Ultor ibi expulsæ; premeret quum viscera partus,
 Matris, adhuc rudibus Pæan Pythona sagittis.

(1) Eminuit *vulgo*.

Explicuit, quum regna Themis, tripedasque teneret,
 Ut vidit Pæan vastos telluris hiatus
 Divinam spirare fidem, ventosque loquaces
 Exhalare solum, sacris se condidit antris,
 Incubuitque adyto, vates ibi factus, Apollo.

Quis latet hic superûm? quod numen ab æthere pressum
 Dignatur cæcas inclusum habitare cavernas?
 Quis terram coeli patitur deus, omnia cursus
 Æterni secreta tenens; mundoque futuri
 Conscius, ac populis sese proferre paratus,
 Contactusque ferens hominis, magnusque potensque,
 Sive canit fatum, seu quod jubet ille canendo
 Fit fatum? Forsan terris inserta regendis,
 Aere libratum vacuo quæ sustinet orbem,
 Totius pars magna Jovis; Cirrhæa per antra
 Exit, & ætherio trahitur connexa Tonanti.
 Hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen,
 Humanam feriens animam sonat, oraque vates
 Solvit, cœu Siculus flammis urguentibus Æænen
 Undat apex: Campana fremeas cœu saxa, vaporat
 Conditus Inarimes æterna mole Typhœus.

Hoc tamen expositum cunctis, nullique negatum
 Numen, ab humani solum se labe furoris
 Vindicat. Haud illic tacito mala vota susurro
 Concipiunt. Nam fixa cœuens, mutandaque nulli
 Mortales optare vetat: justisque benignus
 Sæpe dedit sedem notas mutantibus urbes,

Ut Tytiis: dedit ille minas impellere belli,
Ut Salaminicum meminit mare: sustulit iras
Telluris sterilis, monstrato fine: resolvit
Aera tabificum. Non ullo sæcula dono
Nostra carent majore deum, quam Delphica sedes (1)
Quod siluit, postquam reges timuere futura,
Ac superos vetuere loqui. Nec voce negata
Cirrhææ moerent vates, templique fruuntur
Justitio. Nam si qua deus sub pectora venit,
Numinis aut poena est mors inmatura recepti,
Aut pretium: quippe stimulis fluctuque furoris
Compages humana labat, pulsusque deorum
Concutiunt fragiles animas. Sic tempore longo
Non motos tripodas, vastæque silentia rupis
Appius Hesperii scrutator ad ultima fati
Sollicitat. Jussus sedes laxare verendas
Antistes, pavidamque deis inmittere vatem,
Castalios circum latices, nemorumque recessus
Phemonoen errore vagam, curisque vacantem
Corripuit, cogitque fores irrumpere templi.
Limine terrifico metuens consistere Phœbas,
Absterrere ducem noscendi ardore futura
Cassa fraude parat. „Quid spes, ait, improba veri
„Te Romane trahit? muto Parnasos hiatu
„Conticuit, pressisque deum: seu spiritus istas

(1) fides MS.

„Destituit fauces, mundique in devia verstim
 „Duxit iter: seu barbarica quum lampade Python.
 „Arsit, in immensas cineres abiere cavernas,
 „Et Phœbi tenuere viam: seu sponte deorum.
 „Cirrha silet, fatigue sat est arcana futuri.
 „Carmina longævæ vobis commissa Sibyllæ:
 „Seu Pæan solitus templis arcere nocentes,
 „Ora quibus solvat nostro non invenit ævo.“

Virginei patuere doli, fecitque negatis
 Numinibus, metus ipse fidem. Tum torta priores
 Stringit vitta comas, crinesque in terga solutos
 Candida Phocaica complectitur infula lauro.
 Hærentem, dubiamque præmens in templa sacerdos
 Impulit. Illa pavens adyti penetrale remoti
 Fatidicum, prima templorum in parte resistit:
 Atque deum simulans, sub pectore ficta quieto
 Verba refert, nullo confusæ murmure vocis.
 Instinctam sacro mentem testatâ furore,
 Haud æque læsura ducem, cui falsa canebat,
 Quam tripodas, Phœbique fidem. Non rupta trementi
 Verba sono, nec vox antri complere capaxis
 Sufficiens spatium, nulloque horrore comarum
 Excussæ laurus, innotaque culmina (1) templi,
 Securumque nemus, veritam se credere Phœbo
 Prodiderant. Sensit tripodas cessare, furensque

(1) limina MSS. aliquot.

Appius : „ Et nobis meritas dabis impia pœnas,
 „ Et superis, quos fingis, ait, nisi mergeris antris,
 „ Deque orbis trepidi tanto consalta tumultu
 „ Desinis ipsa loqui.“ Tandem conterrita virgo
 Confugit ad tripodas, vastisque abducta cavernis
 Hæsit, & insueto concepit pectore numen,
 Quod non exhaustæ per tot jam sæcula rûpiæ
 Spiritus ingessit vati: tandemque potitas
 Pectore Cirræo, non umquam plenior artes
 Phœbados irrupit Pæan: mentemque priorem
 Expulit, atque hominem toto sibi cedere jussit
 Pectore. Bacchatur demens aliena per antrum
 Colla ferens, vittasque dei, Phœbeaque sorta
 Erectis discussa comis, per inania templi
 Ancipiti cervicæ rotat, spargitque vaganti
 Obstantes tripodas, magnoque existuat igni,
 Iratum te, Phœbe, ferens: nec verbere solo
 Uteris, ac stimulis; flammæ in viscera mergis.
 Accipit & frenos: nec tantum prodere vati,
 Quantum scire, licet. Venit ætas omnis in unam
 Congeriem: miserumque premunt tot sæcula pœnis.
 Tanta patet rerum series, atque omne futurum
 Nititur in lucem: vocemque potentia facta
 Luctantur: non prima dies, non ultima mundi,
 Non modus Océani, numerus non decrat arenæ.
 Qualis in Euboico vates Cumana recessu,
 Indignata suum multis servire furorem

Gentibus, ex tanta fatorum strage, superba
 Excerpsit Rutilia manu: sic plena laboras,
 Phemonoe Phorbo, dum te consultor operti
 Castalia tellure dei vix invenit, Appi,
 Intersata diui quævis tam magna latentem.
 Spumea tum primum rabies vesana per ora
 Effluit, & gemitus, & anhalo clara meatu
 Murmura: tunc moestus vastis ululatus la-antis,
 Extremaeque sonant, domita jam virgine, voces,
 „Effugis, ingentes, tanti discriminis, expers,
 „Bellorum Romæ minas: solusque quietem
 „Euboici vasta lateris convallis tenebis.“
 Cetera subpresit, faucesque obstruxit Apollo

Castodes tripedes fatorum, arceaque mundi,
 Tuque potens verū Parca, nullumque futuri
 A superis celate diem, supremamque mentis
 Imperii, cæcosque vires, & funera regum,
 Et tot in Hesperio collapsas sanguine gentes
 Cur aperire timeas? nec nondum humina tantum
 Decrevere nefas? & adhuc dubitantibus astris
 Pompeji damnum caput, tot fata tenentur?
 Vindictis, an gladiū facinus, pomæque furoris,
 Regnaque ad ultores iterum redeuntis Brutos,
 Ut peragat fortuna, taces? tunc pectore vatis
 Impactæ, cæsare fœga, excussæque (1) templis

(1) expulsæque MSS. & add. veti. pleræque.

Prosiluit: perstat rabies, nec cuncta locutæ
 Quem non emisit, apparet dens. Ille feroces
 Torquet adhuc oculos, totoque vagantia cœlo
 Lumina, nunc vultu pavido, nubæ torva minaci:
 Stat numquam facies: rubor igneus inficit ora,
 Liventesque genas: nec, qui solent esse timentæ,
 Terribilis sed pallor inest: nec fessa quiescunt
 Corda; sed ut tumidus Boreæ post flamina pontus
 Rauca gemit; sic muta levant suspiria vatem.
 Dumque a luce sacra, qua vidit fata, refertur
 Ad vulgare jubar, mediæ venere tenebræ.
 Inmisit Stygiam Pæan in viscera Lethen,
 Quæ raperet secreta deûm. Tam pectore verum
 Fugit & ad Phœbi tripodas rediere futura:
 Vixque resecta cadit. Nec te vicinia leti
 Territat ambiguis frustratum sortibus, Appi:
 Jure sed incerto mundi, subsidere regnum,
 Chalcidos Euboicæ vana spe rapte parabas.
 Heu demens, nullum belli sentire fragorem,
 Tot mundi caruisse malis, præstare deorum
 Excepta quis morte potest! secreta tenebis
 Litoris Euboici memorando condite busto,
 Qua maris angustat fauces saxosa Carystos,
 Et tumidis infesta colit qua numina Rhamnus,
 Artatus rapido fervet qua gurgite pontus,
 Euripusque trahit, cursum mutantibus undis,
 Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulin.

Inte-

Interea domitis Cæsar remeabat Iberis,
Viâtrices aquilas alium laturus in orbem:
Quum prope fatorum tantos per prospera cursus
Avertere dei. Nullo nam Marte subactus
Intra castrorum timuit tentoria ductor
Perdere successus scelerum: quum pæne fideles
Per tot bella manus satiata sanguine tandem
Destituere ducem: mœsto seu classica paullum
Intermissa sono, claususque, & frigidus ensis,
Expulerant belli furias: seu præmia miles
Dum majora petit, damnat caussamque, ducemque,
Et scelere imbutos etiam nunc venditat enses.
Haud magis expertus discrimine Cæsar in ullo est,
Quam non ex stabili, tremulo sed culmine cuncta
Despiceret, staretque super titubantia fultus:
Tot raptis truncus manibus, gladioque relictus
Pæne suo, qui tot gentes in bella trahebat,
Scit non esse ducis strictos, sed militis, enses.
Non pavidum jam murmur erat, nec pectore tecto (1)
Ira latens: nam quæ dubias constringere mentes
Causa solet, dum quisque pavet, quibus ipse timori est,
Seque putat solum regnorum injusta gravari,
Haud retinet. Quippe ipsa metus exsolverat audax
Turba suos. Quidquid multis peccatur, inultum est.
Effudere minas:, Liceat discedere Cæsar

(1) pectore toto MSS. tres.

- „A scelerum rabie. Quæris terraque marique
„His ferrum jugulis, animasque effundere viles
„Quolibet hoste paras: partem tibi Gallia nostri
„Eripuit: partem duris Hispania bellis:
„Pars jacet Hesperia: totoque exercitus orbe
„Te vincente perit. Terris fudisse cruorem
„Quid juvat Arctois, Rheno, Rhodanoque subactis?
„Tot mihi pro bellis bellum civile dedisti.
„Cepimus expulso patriæ quum tecta senatu,
„Quos hominum, vel quos licuit spoliare deorum?
„Imus in omne nefas, manibus, ferroque nocentes,
„Paupertate pii. Finis quis quæritur armis?
„Quid satis est, si Roma parum? jam respice canos,
„Invalidasque manus, & inanes cerne lacertos.
„Usus abit vitæ, bellis consumsumus ævum:
„Ad mortem dimitte senes. En! improba vota:
„Non duro liceat morientia cespite membra
„Ponere, non anima glebam fugiente ferire,
„Atque oculos morti clausuram quærere dextram,
„Conjugis illabi lacrimis, unique paratum
„Scire rogum. Liceat morbis finire senectam.
„Sit præter gladios aliquod sub Cæsare fatum.
„Quid, velut ignaros ad quæ portenta paremur,
„Spe trahis? usque adeo soli civilibus armis
„Nescimus cujus sceleris sit maxima merces?
„Nil actum est bellis, si nondum comperit istas
„Omnia posse manus. Nec fas, nec vincula juris

„Hoc audere vetant. Rheni mihi Cæsar in undis
„Dux erat, hic socius. Facinus quos inquinat, æquat.
„Adde, quod ingrato meritorum iudice virtus
„Nostra perit. Quidquid gerimus, fortuna vocatur.
„Nos fatum sciat esse suum. Licet omne deorum
„Obsequium speres, irato milite, Cæsar,
„Pax erit.“ Hæc fatus, totis discurrere castris
Cœperat, infestoque ducem deposcere vultu.

Sic eat, o superi, quando pietasque, fidesque
Destituunt, moresque malos sperare relictum est;
Finem civili faciat discordia bello.

Quem non ille ducem potuit terrere tumultus!
Fata sed in præceps solitus dimittere Cæsar,
Fortunamque suam per summa pericula gaudens
Exercere, venit: nec, dum desæviat ira,
Exspectat: medios properat tentare furores.
Non illis urbem, spoliandaque templa negasset,
Tarpejamque Jovis sedem, matresque senatus,
Passurasque infanda nurus. Vult omnia certe
A se sæva peti, vult præmia Martis amari:
Militis indomiti tantum mens sana timetur.
Non pudet, heu Cæsar, soli tibi bella placere
Jam manibus damnata tuis? hos ante pigebit
Sanguinis? his ferri grave ius erit? ipse per omnes
Fasque nefasque rues? lassare, & disce sine armis
Posse pati: liceat scelerum sibi ponere finem.
Sæve quid insequeris? quid jam nolentibus instas?

Bellum te civile fugit. Stetit aggere fultus
 Cespitis, intrepidus vultum, meruitque timeri
 Non metuens: atque hæc ira distante profatur:

- „Qui modo in absentem vultu, dextraque furebas
 „Miles, habes nudum, promptumque ad vulnera pectus.
 „Hic fuge, si belli finis placet, ense relicto.
 „Detegit imbelles animas nil fortiter ausa
 „Seditio, tantumque fugam meditata juventus,
 „Ac ducis invicti rebus lassata secundis,
 „Vadite, meque meis ad bella relinquire fatis:
 „Invenient hæc arma manus, vobisque repulsis
 „Tot reddet Fortuna viros, quot tela vacabunt.
 „An ne fugam Magni tanta cum classe sequentur
 „Hesperiae gentes, nobis victoria turbam
 „Non dabit, impulsi tantum quæ præmia belli
 „Auferat, & vestri rapta mercede laboris,
 „Lauriferos nullo comitetur vulnere currus?
 „Vos defecta senes, exhaustaque sanguine turba
 „Cernetis nostros jam plebs Romana triumphos.
 „Cæsaris an cursus vestræ sentire putatis
 „Damnum posse fugæ? Veluti, si cuncta minentur
 „Flumina, quos miscent pelago, subducere fontes,
 „Non magis ablatis umquam descenderet æquor,
 „Quam nunc crescit, aquis: an vos momenta putatis.
 „Ulla dedisse mihi? numquam sic cura deorum
 „Se premet, ut vestræ morti, vestræque saluti
 „Fata vacent. Procerum motus hæc cuncta sequuntur.

„Humanum paucis vivit genus. Orbis Iberi
 „Horror, & Arctoi, nostro sub numine miles,
 „Pompejo certe fugeras duce. Fortis in armis
 „Cæsareis Labienus erat: nunc transfuga vilis
 „Cum duce prælato terras, atque æquora lustrat.
 „Nec melior mihi vèstra fides, si bella nec hoste,
 „Nec duce me geritis, quisquis mea signa relinquens
 „Non Pompejanis tradit sua partibus arma,
 „Hic numquam vult esse meus. Sunt ista profecto
 „Curæ castra deis, qui me committere tantis,
 „Non nisi mutato voluerunt milite, bellis.
 „Heu, quantum Fortuna humeris jam pondere fessis
 „Amolitur onus! sperantes omnia dextras
 „Exarmare datur, quibus hic non sufficit orbis.
 „Jam certe mihi bella geram: discedite castris,
 „Tradite nostra viris ignavi signa, Quirites.
 „At paucos, quibus hæc rabies auctoribus arsit,
 „Non Cæsar, sed pœna tenet. Procumbite terræ (1)
 „Infidumque caput, feriendaque tendite colla.
 „Et tu, quo solo stabunt jam robore castra,
 „Tiro rudis, specta pœnas, & disce ferire,
 „Disce mori.“ Tremuit sæva sub voce minantis
 Vulgus iners: unumque caput, tam magna juvenus
 Privatum factura timet: velut ensibus ipsia
 Imperet, invito moturus milite ferrum.

(1) terra MSS. & edd. omni.

Ipsæ pavet, ne tela sibi dextræque negentur
Ad scelus hoc Cæsar: vincit patientia sævi
Spem ducis, & jugulos, non tantum præstitit enses.
Nil magis, adsuetas sceleri quam perdere mentes,
Atque perire timet. Tam diro fœderis ictu
Parta quies, pœnaque redivit placata juvenus.

Brundisium decimis jubet hanc adtingere castris,
Et cunctas revocare rates, quas avius Hydrus,
Antiquusque Taras, secretaque litora Leucæ,
Quas recipit Salapina palus, & subdita Sipus
Montibus: Ausoniam torquens qua frugifer oram,
Delmatis Boreæ, Calabroque obnoxius Austro
Appulus Hadriacas exit Garganus in undas.

Ipsæ petit trepidam tutus sine milite Romam
Jam doctam servire togæ: populoque præcanti
Scilicet indulgens, summo dictator honori
Contigit, & lætos fecit se consule fastus.
Namque omnes voces, per quas jam tempore tanto
Mentimur dominis, hæc primum reperit ætas,
Qua sibi ne ferri jus ullum Cæsar abesset,
Ausonias gladiis voluit miscere secures.
Addidit & fasces aquilis, & nomen inane
Imperii rapiens, signavit tempora digna
Mœsta nota. Nam quo melius Pharsalius annus
Consule notus erit? fingit sollemnia campus,
Et non admissæ dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus, & vana versat in urna.

Nec cœlum servasse licet: tonat augure surdo,
 Et lætæ jurantur aves, bubone sinistro.
 Inde perit primum quondam veneranda potestas
 Juris inops: careat tantum ne nomine tempus,
 Menstruus in fastus distinguit sæcula consul.
 Nec non Iliacæ numen quod præsidet Albæ,
 Haud meritum Latio sollemnia sacra subactō,
 Vidit flammifera confectas nocte Latinas.

Inde rapit cursus, & quæ piger Appulus arva
 Deservit rastris, & inertī tradidit herbæ,
 Ocior & cœli flammis, & tigrīde fœta.
 Transcurrit: curvique tenens Minoja tecta
 Brundisii, clausas ventis brumalibus undas
 Invenit, & pavidas hyberno sidere classes.
 Turpe duci visum, rapiendi tempora belli
 In segnes exisse moras, portuque teneri,
 Quum pateat tutum vel non felicibus æquor.
 Expertes animos pelagi sic robore complet:
 „Fortius hiberni flatus, cœlumque fretumque
 „Quum cepere, tenent, quam quos incumbere certos
 „Perfida nubiferi vetat inconstantia veris.
 „Nec maris anfractus, lustrandaque litora nobis,
 „Sed recti fluctus, soloque Aquilone secandis
 „Hic utinam summi curvet carchesia mali,
 „Incumbatque furens, & Graja ad mœnia perflet,
 „Ne Pompejani Phæacum e litore toto
 „Languida jactatis comprehendant carbasa remis:

„Rumpite, quæ retinent felices vincula proras.
„Jamdudum nubes, & sævas perdimus undas.“

Sidera prima poli Phœbo labente sub undas
Exierant, & luna suas jam fecerat umbras:
Quum pariter solvère rates, tortosque (1) rudentes
Laxavere sinus: & flexo navita cornu
Obliquat lævo pede carbasa, summaque pandens
Suppara velorum perituras colligit auras.
Ut primum levior propellere lintea ventus
Incipit, exiguumque tument, mox reddita malo
In mediam cecidere ratem: terraque relicta
Non valet ipsa sequi puppes, quæ vexerat aura.
Æquora lenta jacent: alto torpore ligatæ
Pigrius inmotis hæserè paludibus undæ.
Sic stat iners Scythicas adstringens Bosporos undas
Quum, glaciè retinente, fretum non impulit Ister,
Imensumque gelu tegitur mare: comprimit unda,
Deprendit quascumque rates: nec pervia velis
Æquora frangit eques, fluctuque latente sonantem
Orbita migrantis scindit Mæotida Bessi.
Sæva quies pelagi, mæstoque ignava profundo
Stagna jacentis aquæ: veluti deserta rigente
Æquora natura cessant, pontusque vetustas
Oblitus servare vices, non commeat æstu,
Non horrore tremit, non solis imagine vibrat.

(1) totosque *vulgo*.

Casibus innumeris fixæ patuere carinæ.
Illinc infestæ classes & inertia tonsis
Æquora moturæ, gravis hinc languore profundi
Obsessis ventura famēs. Nova vota timori
Sunt inventa novo, fluctus nimiasque precari
Ventorum vires, dum se torpētibz unda
Excutiat stagnis, & sit mare. Nubila nusquam,
Undarumque minæ: cœlo languente frētoque,
Naufragii spes omnis abit. Sed nocte fugata
Læsum nube dies jubar extulit, imaque sensim
Concussit pelagi, movitque Ceraunia nautis.
Inde rapi cœpere rates, atque æquora classem
Curva sequi, quæ jam vento fluctuque secundo
Lapsa Palæstinas uncis confixit arenas.

Prima duces junctis vidit consistere castris
Tellus, quam volucer Genusus, quam mollior Apsus
Circumeunt ripis. Apso gestare carinas
Causa palus, leni quam fallens egerit unda.
At Genusum nunc sole nives, nunc Imbre solutæ
Præcipitant: neuter longo se gurgite lassat,
Sed minimum terræ, vicino litore, norunt.
Hoc fortuna loco tantæ duo nomina famæ
Composuit: miserique fuit spes irrita mundi,
Posse duces parva campi statione diremtos
Admotum damnare nefas. Nam cernere vultus,
Et voces audire datur: multosque per annos
Dilectus tibi, Magne, socer, post pignora tanta

Sanguinis, infaustam sobolis mortemque nepotum,
Te nisi Niliaca propius non vidit arena.

Cæsaris adtonitam miscenda ad praelia mentem
Ferre moras scelerum partes jussere relictæ.

Ductor erat cunctis audax Antonius armis,

Jam tum civili meditatus Lencada bello.

Illum sæpe minis Cæsar, precibusque morantem

Evocat: „ O mando tantorum caussa laborum (1),

„ Quid superos, & fata tenes? sunt cetera cursu

„ Acta meo, summam rapti per prospera belli

„ Te poscit Fortuna manum. Num rupta vadosis

„ Syrtibus incerto Libye nos dividit æstu?

„ Numquid inexperto tua credimus arma profundo,

„ Inque novos traheris casus? ignave, venire

„ Te Cæsar, non ire, jubet. Prior ipse per hostes

„ Percussi medias alieni juris arenas.

„ Tu mea castra times? pereuntia tempora fati

„ Conqueror: in ventos impendo vota, fretumque?

„ Ne retine dubium cupientes ire per æquor:

„ Si bene nota mihi est, ad Cæsaris arma juvenus

„ Naufragio venisse volet. Jam vocé doloris

„ Utendum est: non ex æquo divisimus orbem.

„ Epiro Cæsarque tenet, totusque senatus:

„ Ausoniam tu solus habes.“ His terque, quaterque

Vocibus excitum postquam cessare videbat,

(1) malorum vulgo.

Dum se deesse deis, ac non sibi numina, credit,
 Sponte per incultas audet tentare tenebras,
 Quod jussi timuere, fretum: temeraria probo.
 Expertus cecidisse deo: fluctusque verendos
 Classibus, exigua sperat superare carina.

Solverat armorum fessas nox languida curas:
 Parta quies miseris, in quorum pectora somno
 Dat vires fortuna minor: jam castra silebant:
 Tertia jam vigilas commoverat hora secundos,
 Cæsar sollicito per vasta silentia gressu
 Vix famulis audenda parat: cunctisque relictis,
 Sola placet Fortuna comes. Tentoria postquam
 Egressus, vigilum somno cedentia membra
 Transsiliit, questus: tacite quod fallere posset;
 Litora curva legit, primisque invenit in undis
 Rupibus exesis hærentem fune carinam.
 Rectorem, dominumque ratis secure tenebat
 Haud procul inde domus, non ullo robore fulta,
 Sed sterili junco, cannaque intexta (1) palustri,
 Et latus inversa (2) nudum munita phaselo.
 Hæc Cæsar bis terque manu quassantia tectum
 Limina commovit: molli quum surgit Amyclas,
 Quem dabit alga, toro. „Quisnam mea naufragus, inquit,
 „Tecta petit? aut quem nostræ Fortuna coegit
 „Auxilium sperare casæ?“. Sic fatus, ab alto

(1) intexta *ed. vet. Lovan.*

(2) inverso *scripti septem.*

Aggere, jam tepidæ sublato fune (1) favillæ,
 Scintillam tenuem commotos pavit in ignes:
 Securus belli: prædam civilibus armis
 Scit non esse casus. O vitæ tuta facultas
 Pauperis, angustique laris! o munera nondum
 Intellecta deûm! quibus hoc contingere templis,
 Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu
 Cæsarea pulsante manu? Tum poste reclusa,
 Dux, ait, „ Exspecta votis majora modestis,
 „ Spesque tuas laxa, juvenis: si iussa secutus
 „ Me velis Hesperiam, non ultra cuncta carinæ
 „ Debebis, manibusve inopem duxisse senectam.
 „ Ne cessa præbere deo tua fata, volenti.
 „ Angustos opibus subitis implere Penates.“
 Sic fatur: quamquam plebejo tectus amictu,
 Indocilis privata loqui. Tum pauper Amyclas:
 „ Multa quidem prohibent nocturno credere ponto.
 „ Nam sol non rutilas deduxit in æquora nubes,
 „ Concordesque tulit radios: Noton altera Phœbi,
 „ Altera pars Borean diducta luce vocabat.
 „ Orbe quoque exhaustus medio, languensque recessit,
 „ Spectantes oculos infirmo lumine passus.
 „ Lunaque non gracili surrexit lucida cornu,
 „ Aut orbis mediû puros exesa recessus:
 „ Nec duxit recto tenuata cacumina cornu,

(1) fuste MSS. vetustiss.

„Ventorumque notam rubuit: tum lurida pallens
„Ora tulit, vultu sub nubem tristis itura.
„Sed mihi nec motus nemorum, nec litoris ictus,
„Nec placet incertus, qui provocat æquora, Delphin.
„Aut siccum quod mergus amat: quodque ausa volare
„Ardea sublimis pennæ confisa natanti:
„Quodque caput spargens undis, velut occupet imbrem,
„Instabili gressu metitur litora cornix.
„Sed si magnarum poscunt discrimina rerum,
„Haud dubitem præbere manus: vel litora tangam
„Jussa, vel hoc potius pelagus, flatusque negabunt.“
Hæc fatur, solvensque ratem dat carbasa ventis:
Ad quorum motus non solum lapsa per altum
Aera dispersos traxere cadentia sulcos
Sidera: sed summis etiam quæ fixa tenentur
Astra polis, sunt visa quati. Niger inficit horror
Terga maris: longo per multa volumina tractu
Æstuat unda minax, flatusque incerta futuri:
Turbida testantur conceptos æquora ventos.
Tunc rector trepidæ fatur ratis: „Adspice sævum
„Quanta paret pelagus: Zephyros intendat, an Euros,
„Incertum est: puppim dubius ferit undique pontus,
„Nubibus, & cœlo Notus est: si murmura ponti
„Consulimus, Cori verrent (1) mare. Gurgite tanto,
„Nec ratis Hesperias tanget, nec naufragus oras.

(1) verrunt, volvent, veniunt *alii*.

„Desperare viam, & vetitos convertere cursus
 „Sola salus. Liceat vexata litora puppe
 „Prendere, ne longe nimium sit proxima tellus.“

Fisus cuncta sibi cessura pericula Cæsar,
 „Sperne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti.
 „Trade sinus. Italiam si cœlo auctore recusas,
 „Me pete. Sola tibi caussa est, ac justa timoris,
 „Vectorem non nosse tuum, quem numina numquam
 „Destituunt, de quo male tunc Fortuna meretur,
 „Quum post vota venit. Medias perrumpo procellas
 „Tutela secure mea. Cœli iste fretique,
 „Non puppis nostræ labor est: hanc Cæsare pressam
 „A fluctu defendet onus. Nec longa furori
 „Ventorum sævo dabitur mora: proderit undis
 „Ista ratis. Ne flecte manus: fuge proxima velis
 „Litora: tum Calabro portu te crede potitum,
 „Quum jam non poterit puppi, nostræque saluti
 „Altera terra dari. Quid tanta strage paretur
 „Ignoras? quærit pelagi, cœlique tumultu
 „Quod præstet Fortuna mihi.“ Non plura locuto
 Avulsit laceros, percussa puppe, rudentes
 Turbo rapax, fragilemque super volitantia malum
 Vela tulit: sonuit victis compagibus alnus.
 Inde ruunt toto concita pericula mundo.
 Primus ab Oceano caput exeris Atlanteo,
 Core, movens æstus: jam te tollente furebat
 Pontus, & in scopulos totas erexerat iras.

Occurrit gelidus Boreas, pelagusque retundit:
Et dubium pendet, vento cui concidat (1), æquor.
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, & undas
Torsit, & abstrusas penitus vada fecit arenas.
Nec perfert pontum Boreas ad saxa, suumque
In fluctus Cori frangit mare: motaque possunt
Æquora subductis etiam concurrere ventis.
Non Euri cessasse minas: non imbribus atrum
Æolii jacuisse Noton sub carcere saxi
Crediderim: cunctos solita de parte ruentes
Defendisse suas violento turbine terras,
Sic pelagus mansisse loco. Nec parva procellis
Æquora rapta ferunt: Ægeas transit in undas
Tyrrhenum: sonat Jonio vagus Hadria ponto.
A, quoties frustra pulsatos æquore montes
Obruit illa dies! quam celsa cacumina pessum
Tellus victa dedit! non illo litore surgunt
Tam validi fluctus, alioque ex orbe voluti
A magno venère mari, mundumque coercens
Monstriferos agit unda sinus. Sic rector Olympi
Cuspide fraterna lassatum in sæcula fulmen
Adjuvit, regnoque accessit terra secundo,
Quum mare convolvit gentes, quum litora Tethys
Noluit ulla pati, cœlo contenta teneri.
Nunc quoque tanta maris moles crevisset in astra,

(1) pareat *edd. Aldina & Junr.*

Ni superum rector pressisset nubibus undas.
Non coeli nox illa fuit: latet obsitus aer
Infernæ squalore domus, nimbisque gravatus
Deprimatur, fluctusque in nubibus accipit imbrem.
Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt
Clara, sed obscurum nimbosus dissilit aer.
Tunc superum convexa tremunt, atque ardens axis
Insonuit, motaque poli compage laborant.
Extimuit natura chaos: rupisse videntur
Concordes elementa moras, rursusque redire
Nox manes mixtura deis. Spes una salutis,
Quod tanta mundi nondum periere ruina.
Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Despicitur; tantum nautæ videre trementes
Fluctibus e summis præceps mare: quumque tumentes
Rursus hiant undæ, vix eminent æquore malus.
Nubila tanguntur velis, & terra carina.
Nam pelagus, qua parte sedet, non celat arenas:
Exhaustum in cumulos, omnisque in fluctibus unda est.
Artis opem vicere metus: nescitque magister
Quam frangat, cui cedat aquæ. Discordia ponti
Succurrit miseris, fluctusque evertere puppim
Non valet in fluctus: victum latus unda repellens
Erigit, atque omni surgit ratis ardua vento.
Non humilem Sæona vadis, non litora curvæ
Thessaliæ saxosa pavent, oræque malignos
Ambraciæ portus: scopulosa Ceraunia nautæ

Sum-

Summa timent. Credit jam digna pericula Cæsar
 Fatis esse suis., Tantusne evertere, dixit,
 „Me superis labor est: parva quem puppe sedentem
 „Tam magno petiere mari? si gloria leti
 „Est pelago donata mei, bellisque negamur;
 „Intrepidus, quamcumque datis mihi numina, mortem
 „Accipiam. Licet ingentes abruperit actus
 „Festinata dies fatis; sat magna peregi.
 „Arctas domui gentes: inimica subegi
 „Arma metu: vidit Magnum mihi Roma secundum.
 „Jussa plebe tuli fasces per bella negatos.
 „Nulla meis aberit titulis Romana potestas,
 „Nec sciet (1) hoc quisquam, nisi tu, quæ sola meorum
 „Conscia votorum es, me, quamvis plenus honorum,
 „Et dictator eam Stygias, & consul ad umbras,
 „Privatum, Fortuna, mori. Mihi funere nullo
 „Est opus, o superi: lacerum retinete cadaver
 „Fluctibus in mediis: desint mihi busta, rogosque,
 „Dum metuar semper, terraque expecter ab omni.“
 Hæc fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
 Invalida cum puppe levat: nec rursus ab alto
 Aggere dejecit pelagi, sed pertulit unda,
 Scruposisque angusta vacant ubi litora saxis,
 Imposuit terræ. Pariter tot regna, tot urbes
 Fortunamque suam, tacta tellure, recepit.

(1) nesciet MSS. *plures*.

Sed non tam remeans Cæsar jam luce propinqua,
 Quam tacita sua castra fuga, comitesque fefellit.
 Circumfusa duci flevit, gemituque suorum,
 Et non ingratis incessit turba querelis.

„Quo te dure tulit virtus temeraria Cæsar?
 „Aut quæ nos viles animas in fata relinquens,
 „Invitis (1) spargenda dabas tua membra procellis?
 „Quum tot in hac anima populorum-vita, salusque
 „Pendeat, & tantus caput hoc sibi fecerit orbis,
 „Sævicia est voluisse mori. Nullusne tuorum
 „Emeruit comitum, fatis non posse superstes
 „Esse tuis? quum te raperet mare, corpora segnis
 „Nostra sopor tenuit. Pudet, heu! tibi caussa petendæ
 „Hæc fuit Hesperiae, visum est quod mittere quemquam
 „Tam sævo crudele mari. Sors ultima rerum
 „In dubios casus, & prona pericula mortis
 „Præcipitare solet. Mundi jam summa tenentem
 „Permississe mari! tantum quid numina lassas?
 „Sufficit ad belli summam favor iste, laborque
 „Fortunæ, quod te nostris impegit arenis?
 „Hinc usus placuere deum, non rector ut orbis,
 „Nec dominus rerum, sed felix naufragus esses?“
 Talia jactantes, discussa nocte, serenus
 Oppressit cum sole dies, fessumque tumentes
 Composuit pelagus, ventis patientibus, undas.

(1) Invisis MSS. aliquot.

Nec non Hesperū lassatum fluctibus æquor
Ut videre duces, purumque insurgere cœlo
Fracturum pelagus Borean, solvere carinas,
Quas ventus, ductæque pari moderamine dextræ
Permixtas habuere diu: latumque per æquor,
Ut terrestre, coit, consertis puppibus, agmen.
Sed nox sæva modum venti, velique tenorem
Eripuit nantis, excussitque ordine puppes.
Strymona sic gelidum, bruma pellente, relinquunt
Poturæ te, Nile, grues, primoque volatu
Effingunt varias, casu monstrante, figuras.
Mox ubi percussit tensas Notus altior alas:
Confusos temere inmixtæ glomerantur in orbes,
Et turbata perit dispersis littera pennis.
Quum primum redeunte die violentior aer
Puppibus incubuit, Phœbeo concitatus ortu,
Prætereunt frustra tentati litora Lissi,
Nymphæumque tenent, nudas Aquilonibus undas
Succedens Boreæ jam portum fecerat Auster.
Undique collatis in robur Cæsaris armis,
Summa videns duri Magnus discrimina Martis
Jam castris instare suis: seponere tutum
Conjugii decrevit onus, Lesboque remotam
Te procul a sævi strepitu Cornelia belli
Occulere. Heu quantum mentes dominatur in æquas
Justa Venus! dubium, trepidumque in prælia, Magne,
Te quoque fecit amor: quod nolles stare sub igne

Fortunæ, quo mundus erat, Romanaque fata,
 Conjux sola fuit. Mentem jam verba parata
 Destituunt, blandæque juvat ventura trahentem
 Indulgere moræ, & tempus subducere fatis.
 Nocte sub extrema, pulso torpore quietis,
 Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis
 Pectus, & aversi petit oscula grata mariti:
 Humentes mirata genas, percussaque cæco
 Vulnere, non audet flentem deprendere Magnum.
 Ille gemens: „Non nunc, vita mihi dulcior, inquit,
 „Quum tædet vitæ, læto sed tempore, conjux,
 „Venit moestadies, & quam minimumque, parumque,
 „Distulimus: jam totus adest in prælia Cæsar.
 „Cedendum est bellis: quorum tibi tuta latebra
 „Lesbos erit, desiste preces tentare: negavi
 „Jam mihi; non longos a me patiæ recessus.
 „Præcipites aderunt casus; properante ruina,
 „Summa cadunt. Satis est audisse pericula Magni.
 „Meque tuus decipit amor, civilia bella
 „Si spectare potes. Nam me jam, Marte parato,
 „Securos cepisse pudet cum conjuge somnos,
 „Eque tuo, miserum quatiunt quum classica mundum,
 „Surrexisse sinu. Vereor civilibus armis
 „Pompejum nullo tristem committere damno.
 „Tutior interea populis, & tutior omni
 „Rege, late, positamque procul fortuna mariti
 „Non tota te mole premat, Si numina nostras

„Impulerint acies, maneat pars optima Magni;
 „Sitque mihi, si fata premunt, victorque cruentus,
 „Quo fugisse velim.“ Vix tantum infirma dolorem
 Cepit, & adtonito cesserunt pectore sensus.
 Tandem vix mœstas potuit proferre querelas:
 „Nil mihi de fati thalami, superisque relictum est,
 „Magne, quæri: nostros non rumpit funus amores,
 „Nec diri fax summa rogi: sed sortæ frequenti,
 „Plebejaque nimis careo dimissa marito.
 „Hostis ad adventum rumpamus fœdera tædæ:
 „Placemus socerum. Sic est tibi cognita, Magne,
 „Nostra fides? credisne aliquid mihi tutius esse,
 „Quam tibi? non olim casu pendemus ab uno?
 „Fulminibus me sæve jubes, tantæque ruinæ
 „Absentem præstare caput? segura videtur
 „Sors tibi, quum facias etiam nunc vota, perisse?
 „Ut nolim servire malis, sed morte parata,
 „Te sequar ad manes; feriat dum mœsta remotas
 „Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes.
 „Adde, quod adsuescis fati, tantumque dolorem
 „Crudelis me ferre doces. Ignosce fatenti:
 „Posse pati, timeo. Quod si sunt vota, deisque
 „Audior, eventus rerum (1) sciet ultima conjux.
 „Sollicitam rupes, jam te victore, tenebunt,
 „Et puppim, quæ fata feret tam læta, timebo.

(1) eventus vestros MS. belli Acron.

„Nec solvent audita metus mihi prospera belli,
 „Quum vacuis projecta locis a Cæsare possim
 „Vel fugiente capi. Notescent litora clari
 „Nominis exsilio, positaque ibi conjuge Magni,
 „Quis Mitylenæas poterit nescire latebras?
 „Hoc precor extremum, si nil tibi victa relinquunt
 „Tutius arma fuga, quam te cominiseris undis,
 „Quolibet infaustam potius deflecte carinam:
 „Litoribus quærere meis.“ Sic fata, relictis
 Exsiluit stratis amens, tormenta que nulla
 Vult differre mora. Non mœsti pectora Magni
 Sustinet amplexu dulci, non colla tenere:
 Extremusque perit tam longi fructus amoris:
 Præcipitantque suos luctus (neuterque recedens
 Sustinuit dixisse, vale) vitamque per omnem
 Nulla fuit tam mœsta dies. Nam cetera damna
 Durata jam mente malis, firmaque tulerunt.
 Labitur infelix, manibusque excepta suorum
 Fertur ad æquoreas, ac se prosternit, arenas,
 Litora & ipsa tenet, tandemque illata carinæ est.
 Non sic infelix patriam, portusque reliquit
 Hesperios, sævi premerent quum Cæsaris arma.
 Fida comes Magni vadit duce sola relicto,
 Pompejumque fugit. Quæ nox sibi proxima venit,
 Insomnis. Viduo tum primum frigida lecto,
 Atque insueta quies uni, nudumque marito
 Non hærente latus, Somno quam sæpe gravata

Deceptis vacuum manibus complexa cubile est,
Atque oblita fugæ quæsiuit nocte maritum!
Nam, flamma quamvis tacitas (1) urgente medullas,
Non juvat in toto corpus jactare cubili:
Servatur pars illa tori. Caruisse timebat
Pompejo: sed non superi tam læta parabant.
Instabat, miseræ Magnum quæ redderet hora.

(1) tectus MS.





LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

*Sextus conjunctis hostes prope sistere castris
Edocet, & longis septos a Cæsare claustris.
Hinc lue, sive fame confectos narrat utrosque.
Prælia miscendi pertæsos immemoresque.
Hinc Pompejanos septis erumpere nisos,
Unius virtute viri in sua terga recisos.
Cæsar in angusto fortunam passus amaram,
Transit in Emathiam fatis ad bella paratam.
Illo Pompejus agitatus turbine mentis,
Castra sibi statuit magicæ prope mœnia gentis,
Quarum responsis inbians secordia Sexti
Infera monstra videns valuit nil prendere certi.*

Postquam castra duces, pugnae jam mente propinqui,
Imposuere jugis, admotaque comminus arma,
Parque suum videre dei, capere omnia Cæsar
Mœnia Grajorum spernit, Martemque secundum
Jam nisi de genero fatis debere recusat.

Funestam mundo votis petit omnibus horam,
 In casum quæ cuncta ferat. Placet alea fati.
 Alterutrum mensura caput. Ter collibus (1) omnes
 Explicuit turmas, & signa minantia pugnam,
 Testatus Latiae numquam se deesse ruinae.
 Ut videt ad nullos exciri posse tumultus
 In pugnam generum, clauso sed fidere vallo,
 Signa movet, testusque via dumosa per arva
 Durrhachii præceps rapiendas tendit ad arces.
 Hoc iter æquoreo præcepit limite Magnus,
 Quemque vocat collem Taulantius incola Petram,
 Insedit castris, Ephyreaque moenia servat,
 Defendens tutam vel solis turribus urbem.
 Non opus hanc veterum, nec moles structa tuetur,
 Humanusque labor, facilis, licet ardua tollat,
 Cedere vel bellis, vel cuncta moventibus annis.
 Sed munimen habet nullo quassabile ferro,
 Naturam, sedemque loci. Nam clausa profundo
 Undique, & illisum scopulis revomentibus æquor,
 Exiguo debet, quod non est insula, colli.
 Terribiles ratibus sustentant moenia cautes,
 Ioniumque furens rabido quam tollitur Austro,
 Tempia, domusque quatit, spumatque in culmina pontus.
 Hic avidam belli rapuit spes improba mentem
 Caesaris, ut vastis diffusum collibus hostem :

(1) tunc collibus MSS. *quinque*.

Cingeret ignarum, ducto procul aggere valli.
 Metatur terras oculis: nec cespite tantum
 Contentus fragili subitos adtollere muros,
 Ingentes cautes, avulsaque saxa metallis,
 Grajorumque domus, direptaque (1) moenia transfert.
 Extruitur, quod non aries impellere sævus,
 Quod non ulla queat violenti machina belli.
 Franguntur montes, planumque per ardua Cæsar
 Ducit opus: pandit fossas, turrिताque summis
 Disponit castella jugis, magnoque recessu
 Amplexus fines, saltus, nemorosaque tesqua,
 Et silvas, vastasque feras indagine claudit.
 Non desunt campi, non desunt pabula Magno,
 Castraque Cæsareo circumdatus aggere mutat.
 Flumina tot cursus illic exorta fatigant,
 Illic mersa suos: operumque ut summa revisat,
 Defessus Cæsar mediis intermanet agris.
 Nunc vetus Iliacos adtollat fabula muros,
 Adscribatque deis: fragili circumdata testa
 Moenia mirentur refugi Babylonia Parthi.
 En! quantum Tigris, quantum celer ambit Orontes,
 Assyriis quantum populis telluris Eoæ
 Sufficit in regnum, subitum, bellicque tumultu
 Raptum clausit opus. Tanti periære labores
 Tot potuere manus adjungere Seson Abydo,

(1) dereptaque, diruptaque *alii*.

Igestoque solo Phryxiunt elidere pontum,
 Aut Pelopis latis Ephyren abrumperè regnis,
 Et ratibus longæ flexus donare Maleæ,
 Aut aliquem mundi, quamvis natura negasset,
 In melius mutare locum. Coit arena belli:
 Hic alitur sanguis terras fluxurus in omnes,
 Hic & Thessaliæ clades, Libyæque tenentur.
 Æstuat, angusta rabies civilis arena.
 Prima quidem surgens operum structura fefellit
 Pompejum: veluti mediæ qui tutus in arvis
 Sicaniaë rapidum nescit latrare Pelorum:
 Aut vaga quum Tethys, Rutupinaque litora fervent,
 Unda Caledonios fallit turbata Britannos.
 Ut primum vasto septas videt aggere terras:
 Ipse quoque a tuta deducens agmina petra
 Diversis spargit tumulis, ut Cæsaris arma
 Laxet, & effuso claudentem milite tendat.
 Ac tantum septi vallo sibi vindicat agri,
 Parva Mycenææ quantum sacrata Dianæ
 Distat ab excelsa nemoralis Aricia Roma:
 Quoque modo Romæ prælapsus moenia Thybris
 In mare descendit (1), si nusquam torqueat amnem.
 Classica nulla sonant, injussaue tela vagantur:
 Et fit sæpe nefas, jaculum tentante lacerto.
 Major cura duces miscendis abstrahit armis.

(1) descendat MSS. tres potiores.

Pompejum exhaustæ præbenda ad gramina terræ,
 Quæ currens adtrivit eques, gradibusque citatis
 Ungula frondentem decussit cornea campum.
 Belliger adtonsus semipes diffusus (1) in arvis,
 Advectos quum plana ferant præsepia culmos,
 Ore novas poscens moribundus labitur herbas,
 Et tremulo medios abruptit poplite gyros.
 Corpora dum solvit tabes, & digerit artus,
 Traxit iners cælum fluvidæ contagia pestis
 Obscuram in nubem. Tali spiramine Nesis
 Erigit elisum (2) nebulosis aera saxis,
 Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant.
 Inde labant populi, cœloque paratior unda
 Omne pati virus duravit viscera cœno.
 Jam riget atra cutis, distentaque lumina rumpit:
 Igneaque in vultus, & sacro fervida morbo
 Pestis abit, fessumque caput se ferre recusat.
 Jam magis atque magis præceps agit omnia fatum:
 Nec medii dirimunt morbi vitamque, necemque,
 Sed languor cum morte venit: turbaque cadentum (3)
 Aucta lues, dum mixta jacent incondita vivis
 Corpora. Nam miseros ultra tentoria cives
 Spargere funus erat. Tamen hos minuire labores
 A tergo pelagus, pulsusque Aquilonibus aer,

(1) defessus *vulgo*.

(2) Emittit stygium *vulgo*.

(3) peremta MSS. *duo*.

Litoraue, & plenæ peregrina messe carinæ.

At liber terræ spatiosis collibus hostis
Aere non pigro, nec inertibus angitur undis:
Sed patitur sævam, veluti circumdatus arta
Obsidione, famem. Nondum durantibus (1) altam
In segetem culmis, cernit miserabile vulgus
In pecudum cecidisse cibos, & carpere dumos,
Et morsu spoliare nemus, letumque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.

Quæ mollire queunt flamma, quæ frangere saxo,
Quæque per abrasas utero demittere fauces,
Plurimaque humanis ante hoc incognita mensis
Diripiens miles, saturum tamen obsidet hostem.

Ut primum libuit ruptis evadere claustris
Pompejo, cunctasque sibi permittere terras:
Non obscura petit latebrosæ tempora noctis,
Et raptum furto, soceri cessantibus armis,
Dedignatur iter: laxis exire ruinis
Quærit, & impulsu turres confringere valli,
Perque omnes gladios, & qua via cæde paranda est.
Opportuna tamen valli pars visa propinqui,
Qua Minuci castella vacant, & confraga densis
Arboribus dumeta tegunt. Huc pulvere nullo
Proditus agmen agit, subitusque ad mœnia venit.
Tot simul a campis Latiae fulsere volucres:

(1) turgentibus MSS. aliquot.

Tot oecinesse tubæ. Ne quid victoria ferro
 Deberet, pavor adtonitos confecerat hostes.
 Quod solum valuit virtus, jacuere peremti,
 Debuerant quo stare loco: qui vulnera ferrent
 Jam deerant, & nimbus agens tot tela peribat.
 Tum piceos volvunt inmissæ lampades ignes:
 Tum quassæ nutant turres, lapsumque minantur:
 Roboris impacti crebros venit agger ad ictus.
 Jam Pompejanæ celsi super ardua valli
 Exierant Aquilæ: jam mundi jura patebant.
 Quem non mille simul turmis, nec Cæsare toto
 Aufertret Fortuna locum, victoribus unus
 Eripuit, vetuitque capi: sequæ arma tenente,
 Ac nondum strato, Magnum vicisse negavit.
 Scæva viro nomen: castrorum in plebe merebat
 Ante feras Rhodani gentes: ibi sanguine multo
 Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.
 Pronus ad omne nefas, & qui nesciret, in armis
 Quam magnum virtus crimen civilibus esset.
 Hic ubi quærentes socios jam Marte relicto
 Tuta fugæ cernit: „Quo vos pavor, inquit, adegit
 „Impius; & cunctis ignotus Cæsaris armis?
 „(O famuli turpes, servum pecus, absque cruore)
 „Terga datis morti? cumulo vos deesse virorum
 „Non pudet & bustis, interque cadavera quæri?
 „Non ira saltem juvenes, pietate remota,
 „Stabitis? e cunctis, per quos erumperet hostis,

„Nos sumus electi. Non parvo sanguine Magno
 „Ista dies ierit. Peterem felicior umbras
 „Cæsaris in vultu. Testem hunc Fortuna negavit:
 „Pompejo laudante, cadam. Confringite tela
 „Pectoris incursu, jugulisque retundite ferrum.
 „Jam longinqua petet pulvis, sonitusque ruinæ,
 „Securasque fragor concussit Cæsaris aures.
 „Vincimus o socii; veniet, qui vindicet arces,
 „Dum morimur.“ Movit tantum vox illa furorem,
 Quantum non primo succendunt classica cornu:
 Mirantesque virum, atque avidi spectare, sequuntur
 Scituri juvenes, numero deprensa, locoque
 An plus quam mortem virtus daret. Ille ruenti
 Aggere consistit, primumque cadavera plenis
 Turribus evolvit, subeuntesque obruit hostes
 Corporibus: totæque viro dant tela (1) ruinæ:
 Roboraque, & moles hosti seque ipse minatur.
 Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto
 Detrudit muris, & valli summa tenentes
 Amputat ense manus: caput obterit, ossaque saxo,
 Ac male defensum fragili compage cerebrum
 Dissipat; alterius flamma crinesque, genasque
 Succendit, stridunt oculis ardentibus ignes.
 Ut, primum cumulo crescente cadavera murum
 Admovére (2) solo: non segnior extulit illum

(1) dum tela *Lucretius*.

(2) æquavere *MSS. aliquot*.

Saltus, & in medias jecit super arma catervas,
 Quam per summa rapit celerem venabula pardum.
 Tunc densos inter cuneos compressus, & omni
 Vallatus bello vincit, quem respicit, hostem.
 Jamque hebes, & crasso non asper sanguine mucro
 (Percussum Scævæ frangit, non vulnerat, hostem.)
 Perdidit ensis opus, frangit sine vulnere membra.
 Illum tota premit moles, illum omnia tela:
 Nulla fuit non certa manus, non lancea felix,
 Parque novum Fortuna videt concurrere, bellum,
 Atque virum. Fortis crebris sonat ictibus umbo,
 Et galeæ fragmenta cavæ compressa perurunt
 Tempora: nec quidquam nudis vitalibus obstat
 Jam, præter stantes in summis ossibus hastas.

Quid nunc, vesani, jaculis, levibusque sagittis
 Perditis hæsueros numquam vitalibus ictus?
 Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis
 Obruat, aut vasti muralia pondera saxi:
 Hunc aries ferro, ballistaque limine portæ
 Promoveat. Stat non fragilis pro Cæsare murus,
 Pompejumque tenet. Jam pectora non tegit armis,
 Ac veritus credi clipeo, lævaque vacasse,
 Aut culpa vixisse sua, tot vulnera belli
 Solus obit, densamque ferens in pectore silvam,
 Jam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem.
 (Par pelagi monstris. Libycæ sic bellua terræ.)
 Sic Libycus densis elephas oppressus ab armis

Omne

Omne repperctum squalenti missile tergo
 Frangit, & hærentes mota cute discutit hastas:
 Viscera tuta latent penitus, citraque (1) cruorem
 Confixæ stant tela feræ: tot facta sagittis,
 Tot jaculis, unam non explent vulnera mortem.
 Distæa procul ecce manu Gortynis arundo
 Tenditur in Scævam, quæ voto certior omni
 In caput, atque oculi lævum descendit in orbem.
 Ille moras ferri, nervorum & vincula rumpit,
 Adfixam vellens oculo pendente sagittam
 Intrepidus, telumque suo cum lumine calcatur.
 Pannonis haud aliter post ictum sævior ursa,
 Quum jaculum parva Libys amentavit habena,
 Se rotat in vulnus: telumque irata receptum
 Impetit, & secum fugientem circumit hastam.
 Perdiderat vultum rabies: stetit imbre cruento
 Informis facies: lætus fragor æthera pulsat
 Victorum: majora viris e sanguine parvo
 Gaudia non faceret conspectum in Cæsare vulnus.
 Ille regens alta suppressum mente furorem
 Mitis, & a vultu penitus virtute remota,
 „Parcite, ait, cives: procul hinc avertite bellum.
 „Collatura meæ nil jam sunt vulnera morti:
 „Non eget ingestis, sed vulsis pectore telis.
 „Tollite, & in Magni viventem ponite castris:

(1) extraque MSS. aliquot.

„Hoc vestro præstate duci: sit Scæva reliqui
 „Cæsaris exemplum potius, quam mortis honestæ.“
 Credidit infelix simulatis vocibus Aulus,
 Nec vidit recto gladium mucrone prementem (1):
 Membraque captivi pariter laturus, & arma,
 Fulmineum mediis excepit faucibus ense.
 Incaluit virtus: atque una cæde relictus
 „Solvat, ait, pœnas, Scævam quicumque subactum
 „Speravit: pacem gladio si quærit ab isto
 „Magnus, adorato submittat Cæsare signa.
 „An similem vestri, segnemque ad fata putatis?
 „Pompeji vobis minor est, causæque senatus,
 „Quam mihi mortis amor.“ Simul hæc effatur, & altus
 Cæsareas pulvis testatur adesse cohortes.
 Dedecus hic belli Magno, crimenque remisit,
 Ne solum totæ fugerent te, Scæva, catervæ:
 Subducto qui Marte ruis: nam sanguine fuso
 Vires pugna dabat. Labentem turba suorum
 Excipit, atque humeris defectum imponere gaudet:
 Ac veluti inclusum perfosso in pectore numen,
 Et vivam magnæ speciem virtutis adorant:
 Telaque confixis certant evellere membris,
 Exornantque deos, ac nudam pectora (2) Martem.
 Armis, Scæva, tuis. Felix hoc nomine famæ
 Si tibi duras Iber, aut si tibi terga dedissent

(1) tenentem *vulgo*. tremementem MSS. plures.

(2) pectore *vulgo*.

Cantaber exiguis, aut longis Teutonius armis.

Non tu bellorum spoliis ornare Tonantis.

Templa potes, non tu lætis ululare triumphis.

Infelix, quanta dominum virtute parasti!

Nec magis hac Magnus castrorum parte repulsus

Intra claustra piger, dilato Marte, quievit,

Quam mare lassatur, quum se tollentibus Euris

Frangentem fluctus scopulum ferit, aut latus alti

Montis adest, seramque sibi parat unda ruinam.

Hinc vicina petens placido castella profundo

Incurso gemini Martis rapit: armaque late

Spargit, & effuso laxat tentoria campo:

Mutandæque juvat permissa licentia terræ.

Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas

Excurrit (1) ripas, & totos concutit agros:

Succubuit si qua tellus, cumulumque furentem

Undarum non passa, ruit: tunc flumine toto

Transit, & ignotos aperit sibi gurgite campos.

Illos terra fugit dominos: his rura colonis

Accedunt, donante Pado. Vix prœlia Cæsar

Senserat, elatus specula quæ prodidit ignis.

Invenit impulsos, presso jam pulvere muros:

Frigidaque ut veteris deprendit signa ruinæ;

Accendit pax ipsa loci, movitque furorem

Pompejana quies, &, victo Cæsare, somnus.

(1) extendit MSS. pervert.

Ire vel in clades properat, dum gaudia turbet.
 Torquato ruit inde minax: qui Cæsaris arma
 Segnius haud vidit, quam malo nauta tremante
 Omnia Circeæ subducit vela procellæ:
 Agminaque interius muro breviorē recepit,
 Densius ut parva disponderet arma corona:
 Transierat primi Cæsar munimina valli,
 Quum super e totis inmisit collibus agmen,
 Effuditque acies obseptum Magnus in hostem.
 Non sic Ætnæis habitans in vallibus horret
 Enceladum, spirante Noto, quum tota cavernas
 Egerit, & torrens in campos defluit Ætna:
 Cæsaris ut miles glomerato pulvere victus
 Ante aciem, cæci trepidus sub nube timoris
 Hostibus occurrit fugiens, inque ipsa pavendo
 Fata ruit. Totus mitti civilibus armis
 Usque vel in pacem potuit cruor: ipse furens
 Dux tenuit gladios. Felix ac libera, legum
 Roma fores, jurisque tui, vicisset in illo
 Si tibi Sulla loco. Dolet heu, semperque dolebit,
 Quod scelerum, Cæsar, prodest tibi summa tuorum
 Cum genero pugnasse pio. Pro, tristia fata
 Non Uticæ Libye clades, Hispania Mundæ
 Flesset, & infando pollutus sanguine Nilus
 Nobilius Phario gestasset rege cadaver,
 Nec Juba Marmaricas nudus pressisset arenas,
 Pœnorumque umbras placasset sanguine fuso. (1)

Scipio: nec sancto caruisset vita Catone.

Ultimus esse dies potuit tibi, Roma, malorum:

Exire (1) e mediis potuit Pharsalia fatis.

Deserit adverso possessam numine sedem

Cæsar, & Emathias lacero petit agmine terras.

Arma secuturum soceri; quacumque fugasset,

Tentavere suo comites devertere Magnum

Hortatu: patrias sedes, atque hoste carentem

Ausoniam peteret., Numquam me Cæsar, inquit,

„Exemplo reddam patriæ, numquamque videbit

„Me nisi dimisso redeuntem milite Roma.

„Hesperien potui, motu surgente, tenere,

„Si vellem patriis aciem committere templis,

„Ac medio pugnare foro. Dum bella relegem,

„Extremum Scythici transcendam frigoris orbem, (2)

„Ardentesque plagas. Victor tibi, Roma, quietem

„Eripiam, qui, ne premerent te prælia, fugi?

„A potius, bello ne quid patiaris in isto;

„Te Cæsar putet esse suam.“ Sic fatus, in ortus

Phœbeos convertit (3) iter; terræque secutus

Devia, qua vastos aperit Candavia saltus,

Contigit Emathiam, bello quam fata parabant,

Thessaliam, qua parte diem brumalibus horis

Adtollit Titan, rupes Ossæa coercet.

(1) exciri MSS. *quidam*.

(2) axem *Eutycker*.

(3) conduxit MSS. *quidam optimi*.

Quum per summa poli Phœbum trahit altior æstas,
 Pelion opponit radiis nascentibus umbras.
 At medios ignes cœli, rapidique Leonis
 Solstitiale caput nemorosus submovet Othrys,
 Excipit aversos Zephyros & Japyga Pindus,
 Et maturato præcidit vespere lucem.
 Nec metuens imi Borean habitator Olympi
 Lucentem totis ignorat noctibus Arcton.
 Hos inter montes media qui valle premuntur,
 Perpetuis quondam latuere paludibus agri:
 Flumina dum retinent campi, nec pervia Tempe
 Dant aditus pelagi: stagnumque implentibus unum
 Crescere cursus erat. Postquam discessit Olympo
 Herculea gravis Ossa manu, subitæque ruinam
 Sensit aquæ Nereus: melius mansura sub undis,
 Emathis æquorei regnum Pharsalos Achillis
 Eminent, &, prima Rhœteja litora pinu.
 Quæ tetigit, Phylace, Pteleonque, & Dotion ira
 Flebile Pieridum; Trachin, pretioque nefandæ
 Lampados Herculeis fortis Melibæa pharetris:
 Atque olim Larissa potens: ubi nobile quondam
 Nunc super Argos arant: veteres ubi fabula Thebas
 Monstrat Echionias: ubi quondam Pentheos exsul
 Colla, caputque ferens (1) supremo tradidit igni.
 Quæsta, quod hoc solum nato rapuisset Agavæ.

(1) parens MSS. *septem*.

Ergo abrupta palus multos discessit in amnes.
Purus in occasus, parvi sed gurgitis, *Æas*
Jonio fluit inde mari: nec fortior undis
Labitur avertæ pater *Isidis*, & tuus, *Æneu*,
Pene gener crassis oblimat *Echinadas* undis:
Et *Meleagream* maculatus sanguine *Nessi*
Evenos *Calydona* secat. Ferit amne citato
Maliacas *Spercheos* aquas: & flumine puro
Irrigat *Amphrysos* famulantis pascua *Phœbi*.
Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aera, nec tennes ventos suspirat *Anauros*.
Et quisquis pelago per se non cognitus amnis
Peneo donavit aquas. It gurgite raptō
Apidanos: numquamque celer, nisi mixtus, *Enipeus*,
Accipit *Asopos* cursus, *Phoenixque*, *Melasque*.
Solut in alterius nomen quā venerit undæ,
Defendit *Titaresos* aquas, lapsusque superne
Gurgite *Penei* pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est *Stygiis* manare paludibus amnem,
Et capitis memorem, fluvii contagia vilis
Nolle pati, superumque sibi servare timorem.

Ut primum emissis patuerunt amnibus arva,
Pinguis *Boëbicio* discessit vomere sulcus:
Mox *Lelegum* dextra pressum descendit aratrum.
Æolidæ, *Dolopesque* solum rupere coloni,
Et *Magnetes* equis, *Minyæ* gens cognita remis.
Illic semiferos *Ixionidas* *Centauros*.

Fœta Pelethroniis nubes effudit in antris.
 Aspera te Pholoes frangentem, Monyche, saxa,
 Teque sub Œtæo torquentem vertice vulsas
 Rhœte ferox, quas vix Boreas everteret, ornos:
 Hospes & Alcidæ magni Phole: teque per amnem
 Improbe Lernæas vector passure sagittas:
 Teque senex Chiron, gelido qui sidere fulgens
 Impetis Æmonio majorem Scorpion arcu.
 Hac tellure feri micuerunt semina Martis.
 Primus ab æquorea percussis cuspide saxis
 Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
 Exsiluit; primus chalybem, frenosque momordit,
 Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis.
 Prima fretum scindens Pagasæo litore pinus
 Terrenum ignotas hominem projecit in undas.
 Primus Thessalicæ rector telluris Itonos
 In formam calidæ percussit pondera massæ,
 Fudit & argentum flammis, aurumque moneta
 Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.
 Illic, quod populos scelerata impegit in arma,
 Divitias numerare datum est. Hinc maxima serpens
 Descendit Python, Cyrrhæaque fluxit in arva:
 Unde & Thessalicæ veniunt ad Pythiæ laurus.
 Impius hinc prolem superis inmisit Alcæus,
 Inseruit celsis prope se quam Pelion astris,
 Sideribusque vias incumbens (1) abstulit Ossa.

(1) *ncurrens MSS. permulti.*

Hac ubi damnata fati tellure locarunt
 Castra duces; cunctos belli præsaga futuri
 Mens agitat, summiq; gravem discriminis horam.
 Adventare palam est, propius jam fata moveri
 Degeneres trepidant animi, pejoraque versant.
 Ad dubios pauci, præsumto robore, casus
 Spemque metumque ferunt. Turbæ sed mixtus inertis
 Sextus erat, Magno proles indigna parente,
 Qui mox Scyllæis exsul grassatus in undis,
 Polluit æquoreos Siculo pirata triumphos.
 Qui stimulante metu fati prænoscere cursus,
 Impatiensque moræ, venturisque omnibus æger;
 Non tripodas Deli, non Pythia consulit antra,
 Nec quæsisse libet, primis quid frugibus altrix
 Ære Jovis Dodona sonet, quis noscere fibra
 Fata queat, quis prodat aves, quis fulgura cœli
 Servet, & Assyria scrutetur sidera cura,
 Aut si quid tacitum, sed fas, erat. Ille supernis
 Detestanda deis sævorum arcana magorum.
 Noverat (1), & tristes sacris feralibus aras,
 Umbrarum, Ditisque fidem: miseroque liquebat,
 Scire parum superos. Vanum, sævumque furorem
 Adjuvat ipse locus, vicinaque mœnia castris
 Hæmonidum, ficti quas nulla licentia monstri
 Transierit, quarum, quidquid non creditur, ars est.

(1) moverat *vulgo*.

Thessala quin etiam tellus herbasque nocentes
 Rupibus ingenuit; sensuraque saxa canentes
 Arcanum feralē Magos. Ibi plurima surgunt
 Vim factura deis. Et terris hospita Colchis
 Legit in Hæmoniis, quas non advexerat herbas.
 Impia tot populis, tot surdas gentibus aures
 Cœlicolum diræ convertunt carmina gentis.
 Una per æthereos exit vox illa recessus,
 Verbaque ad invitum perfert cogentia numen,
 Quod non cura poli, cœlique volubilis unquam
 Advocat. Infandum tetigit quum sidera murmur,
 Tum Babylon Persea licet, secretaque Memphis
 Omne vetustorum solvat penetrale Magorum:
 Abducit superos alienis Thessalis aris.

Carmine Thessalidum dura in præcordia fluxit
 Non satis additus amor: flammisque severi
 Illicitis arsere senes. Nec noxia tantum
 Pocula proficiunt: aut quum turgentia succo
 Frontis amaturæ subducant pignora fetæ.
 Mens hausti nulla sanie polluta veneni
 Excantata perit. Quos non concordia mixti
 Adligat ulla tori, blandæque potentia formæ,
 Traxerunt torti magica vertigine filii.
 Cessavere vices rerum: dilataque longa
 Hæsit nocte dies: legi non paruit æther.
 Torpuit & præceps audito carmine mundus:
 Axibus & rapidis impulsos Juppiter urgens

Miratur non ire polos. Nunc omnia complent
Imbribus, & calido præducunt nubila Plæbo:
Et tonat ignaro cœlum Jove. Vocibus Isdem
Humentes late nebulas, nimbosque solutis
Excusserè comis. Ventis cessantibus, æquor
Intumuit: rursus vetitum sentire procellas
Conticuit, turbante Noto: puppinque ferentes
In ventum tumuere sinus. De rupe pependit
Abscissa fixus torrens: amnisque cucurrit
Non qua pronus erat. Nilum non extulit æstas:
Mæander direxit aquas: Rhodanumque morantem
Præcipitavit Arar: submisso vertice montes
Explicuere jugum. Nubes suspexit Olympus.
Solibus & nullis Scythiæ, quum bruma rigeret,
Dimaduere nives. Impulsam sidere Tethyn
Repulit Hæmonium, defenso litore, carmen.
Terra quoque inmoti concussit ponderis axes,
Et medium vergens titubavit nisus in orbem.
Tantæ molis onus percussum voce recessit,
Prospæctumque dedit circumlabentis Olympi.
Omne potens animal leti, genitumque nocere,
Et pavet Hæmonias, & mortibus instruit artes.
Has avidæ tigres, & nobilis ira leonum
Ore fovent blando: gelidos his explicat orbes,
Inque pruinoso coluber distenditur arvo.
Viperei coeunt, abrupto corpore, nodi:
Humanoque cadit serpens afflata veneno.

Quis labor hic superis, cantus herbasque sequendi,
 Spernendique timor! cujus commercia pacti
 Obstrictos habuere deos? parere necesse est,
 An juvat? ignota tantum pietate merentur,
 An tacitis potuere minis? hoc juris in omnes
 Est illis superos, an habent hæc carmina certum
 Imperiosa deum, qui mundum cogere, quidquid
 Cogitur ipse, potest? illic & sidera primum
 Præcipiti deducta polo: Phœbeque serena
 Non aliter, diris verborum obsessa venenis,
 Palluit, & nigris, terrenisque ignibus arsit,
 Quam si fraterna prohiberet imagine tellus,
 Insereretque suas flammis cœlestibus umbras.
 Et patitur tantos cantu deprensa (1) labores
 Donec subpositas propior despuinet in herbas.

Hos scelerum ritus, hæc diræ carmina gentis
 Effera damnarat nimis pietatis Erichtho,
 Inque novos ritus pollutam duxerat artem.
 Illi namque nefas urbis submittere tecto
 Aut laribus ferale caput: desertaque busta
 Incolit, & tumulos expulsis obtinet umbris,
 Grata deis erebi. Coetus audire silentium,
 Nosse domos Stygias, arcanaque Ditis operti
 Non superi, non vita vetat. Tenet ora profanæ
 Fœda situ macies, cœloque ignota sereno

(1) depressa vulg. & MSS. mult.

Terribilis Stygio facies pallore gravatur,
 Impexis onerata rotis. Si nimbus, & atræ
 Sidera subducunt nubes, tunc Thessala nudis
 Egreditur bustis, nocturnaue flamina captat.
 Semina fecundæ segetis calcata perussit,
 Et non letiferas spirando perdidit anras.
 Nec superos orat, nec cantu supplice numen
 Auxiliare vocat, nec fibras illa litantes
 Novit: funereas aris imponere flammæ.
 Gaudet, & accenso rapuit quæ turæ sepulcro.
 Omne nefas superi prima jam voce precantis
 Concedunt, carmenque timent audire secundum.
 Viventes animas, & adhuc sua membra regentes,
 Infodit busto: fatis debentibus annos
 Mors invita subit: perversa funera pompa
 Rettulit a tumulis: fugere cadavera lectum.
 Fumantes juvenum cineres, ardentiaque ossa
 E mediis rapit illa rogis, ipsamque, parentes
 Quam tenuere, facem: nigroque undantia fumo
 Feralis fragmenta tori, vestesque fluentes
 Colligit in cineres, & olentes membra favillas.
 Ast ubi servantur saxis, quibus intimus humor
 Ducitur, & tracta durescunt tabe medullæ
 Corpora; tunc omnes avidæ desævit in artus,
 Immersitque manus oculis, gaudetque gelatos
 Effodisse orbes, & siccæ pallida rodit
 Excrementa manus: laqueum, nodosque nocentes

Ore suo rupit: pendentia corpora carpsit,
 Abrasitque cruces: percussaque viscera nimbis,
 Vulsit, & incoctas admisso sole medullas.
 Insertum manibus chalybem, nigramque per artus
 Stillantis tibi saniem, virusque coactum
 Sustulit, & nervo morsus retinente pependit.
 Et quocumque jacet nuda tellure cadaver,
 Ante feras, volucresque sedet: nec carpere membra
 Vult ferro manibusque suis, morsusque hyorum
 Exspectat, siccis raptura e faucibus artus.
 (Nec cessant a cæde manus, si sanguine vivo
 Est opus, erumpat jugulo qui primus aperto.)
 Nec refugit cædes, vivum si sacra cruorem,
 Extaque funereæ pascunt trepidantia mensæ:
 Vulnere sic ventris (1), non, qua natura vocabat,
 Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.
 Et quoties sævis opus est, ac fortibus umbris,
 Ipsa facit manes: hominum mors omnis in usu est.
 Illa genæ florem primævo corpore vulsit,
 Illa comam læva morienti abscedit ephebo.
 Sæpe etiam caris cognato in funere dira
 Thessalis incubuit membris: atque oscula figens,
 Truncavitque caput, compressaque dentibus ora
 Laxavit: siccoque hærentem gutture linguam
 Præmordens, gelidis infudit murmura labris;

(1) si ventris MSS. & edd. vet.

Arcanumque nefas Stygias mandavit ad umbras.
 Hanc ut fama loci Pompejo prodidit: alta
 Noctē poli, Titan medium quo tempore dueit
 Sub nostra tellure diem: deserta per arva
 Carpit iter. Fidi scelerum, suetique ministri
 Effractus circum tumulos, ac busta vagati
 Conspexere procul prærupta in caute sedentem,
 Qua juga devertex Pharsalia porrigit Æmus.
 Illa Magis, magicisque deis incognita verba
 Tentabat, carmenque novos fingebat in usus.
 Namque timens, ne Mars alium vagus iret in orbem,
 Emathis & tellus tam multa cæde careret;
 Pollutos cantu, dirisque venefica succis
 Conspectos, vœvit transmittere bella Philippos,
 Tot mortes habitura suas, usuraque mundi
 Sanguine: cæsorū truncare cadavera regum
 Sperat, & Hesperia cineres avertere (1) gentis,
 Ossaque nobilium, tantosque adquirere manes.
 Hic ardor, solusque labor, quid corpore Magni
 Projecto rapiat, quos Cæsaris involet artus.
 Quam prior adfatur Pompeji ignava propago.
 „O decus Hæmonidum, populis quæ pandere fata,
 „Quæque suo ventura potes devertere cursu,
 „Te precor, ut certum liceat mihi noscere finem,
 „Quem belli fortuna parat. Non ultima turbæ

(1) avertere, avellere, advertare *varie*.

„Pars ego Romanæ, Magni clarissima proles,
 „Vel dominus rerum, vel tanti funeris heres.
 „Mens dubiis percussa labat, rursusque parata est
 „Certos ferre metus. Hoc casibus eripe juris,
 „Ne subiti, cæcique ruant: vel numina torque,
 „Vel tu parce deis, & manibus exprime verum.
 „Elysias resera sedes, ipsamque vocatam,
 „Quos petat e nobis, Mortem mihi coge fateri.
 „Non humilis labor est: dignum, quod quærere cures,
 „Vel tibi, quo tanti præponderet alea fati.“

Impia vulgatæ lætatur nomine famæ

Thessaliæ, & contra: „Si fata minora moveres,
 „Pronumerat, o juvenis, quos velles, inquit, in actus,
 „Invitos præbere (1) deos. Conceditur arti,
 „Unam quum radiis presserunt sidera mortem,
 „Inseruisse moras (2): & quamvis fecerit omnis
 „Stella senem, medios herbis abrumpimus annos.
 „At simul a prima descendit origine mundi
 „Causarum series, atque omnia fata laborant
 „Si quidquam mutare velis, unoque sub ictu
 „Stat mortale genus: tunc, Thessala turba fatemur,
 „Plus fortuna potest. Sed si prænoscere casus
 „Contentus, facilesque aditus, multique patebunt
 „Ad verum: tellus nobis, ætherque, chaosque,
 „Æquoraque, & campi, Rhodopeaque saxa loquentur.

„Sed

(1) invictos parere MS.

(2) manus MS.

„Sed pronum, quum tanta novæ sit copia mortis,
„Emathiis unum campis adtollere corpus,
„Ut modo defuncti, tepidique cadaveris ora
„Plena voce sonent: nec, membris sole perustis,
„Auribus incertum feralis strideat umbra.“

Dixerat: & noctis geminatis arte tenebris,
Mœstum tecta caput squalenti nube, pererrat
Corpora cæsorum, tumulis projecta negatis.
Continuo fugere lupi, fugere revulsis
Unguibus impastæ volucres, dum Thessala vatem
Eligit, & gelidas leto scrutata medullas
Pulmonis rigidi stantes sine vulnere fibras
Invenit, & vocem defuncto in corpore quærit.
Fata peremtorum pendent jam multa virorum,
Quem superis revocasse velit. Si tollere totas
Tentasset campis acies, & reddere bello,
Cessissent leges erebi: monstroque potenti
Extractus Stygio populus pugnasset Averno.
Electum tandem trajecto gutture corpus
Ducit, & inserto laqueis feralibus unco,
Per scopulos miserum trahitur, per saxa cadaver
Victurum: montisque cavi, quem tristic Erichtho
Damnarat sacris, alta sub rupe locatur.

Haud procul a Ditis cæcis depressa cavernis
In præceps subsedit humus: quam pallida pronis
Urguet silva comis, & nullo vertice cælum
Suspiciens, Phœbo non pervia taxus opacat.

N

Marcentes intus tenebræ, squalensque sub antris
Longa nocte situs; numquam, nisi carmine factum,
Lumen habet. Non Tænareis sic faucibus aer
Sedit iners, mœstum mundi confine latentis,
Ac nostri: quo non metuant emittere manes
Tartarei reges. Nam quamvis Thessala vates
Vim faciat fatis, dubium est, quod traxerit illuc
Adspiciat Stygias, an quod descenderit, umbras.
Discolor, & vario furialis cultus amictu
Induitur, vultusque aperitur, crine remoto,
Et coma vipereis substringitur horrida sertis.
Ut pavidos juvenis comites, ipsumque trementem
Conspicit, exanimi defixum lumina vultu:
„Ponite, ait, trepida conceptos mente timores:
„Jam nova, jam vera reddetur vita figura.
„Ut quamvis pavidi possint audire loquentem.
„Si vero Stygiosque lacus, ripamque sonantem
„Ignibus ostendam, si me præsentem videri
„Eumenides possent villosaque colla colubris
„Cerberos excutiens, & vincti terga Gigantes;
„Quis timor ignavi metuentes cernere manes?“
Pectora tunc primum ferventi sanguine supplet
Vulneribus laxata novis: taboque medullas
Abluit: & virus large lunare ministrat.
Huc quidquid fetu genuit natura sinistro
Miscetur. Non spuma canum, quibus unda timori est,
Viscera non lyncis, non diræ nodus hyænæ

Defuit, & cervi pasti serpente medullæ:
Non puppim retinens, Euro tendente rudentes,
In mediis echeneis aquis, oculique draconum,
Quæque sonant feta tepefacta sub alite saxa:
Non Arabum volucer serpens, innataque rubris
Æquoribus custos pretiosæ vipera conchæ:
Aut viventis adhuc Libyci membrana cerastæ,
Aut cinis Eoa positi Phœnicis in ara.
Quo postquam viles, nec habentes nomina pestes
Contulit: infando saturatas carmine frondes,
Et, quibus os dirum nascentibus inspuat herbis,
Addidit, & quidquid mundo dedit ipsa veneni:
Tunc vox Lethæos cunctis pollentior herbis
Excantare deos, confundit murmura primum
Dissona, & humanæ multum discordia linguæ.
Latratus habet illa canum, gemitumque luporum:
Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur,
Quod stridunt ululantque feræ, quod sibilat anguis.
Exprimit & planctus illisæ cautibus undæ;
Silvarumque sonum, fractæque tonitrua nubis.
Tot rerum vox una fuit. Mox cetera cantu
Explicat Hæmonio, penetratque in Tartara lingua.
„Eumenides, Stygiumque nefas, Pœnæque nocentum:
„Et Chaos innumeros avidum consumere mundos:
„Et rector terræ, quem longa in sæcula torquet
„Mors dilata deum: Styx, &, quos nulla meretur
„Thessalis Elysios: cœlum, matremque perosa

„Persephone, nostræque Hecates pars ultima, per quam
 „Manibus & mihi sunt tacitæ commercia linguæ:
 „Janitor & sedis laxæ, qui viscera sævo
 „Spargis nostra cani: repetitaque fila sorores
 „Traçturæ: tuque o flagrantis portitor undæ
 „Jam lassate senex ad me redeuntibus umbris:
 „Exaudite preces, si vos satis ore nefando,
 „Pollutoque voco, si numquam hæc carmina fibris
 „Humanis jejuna cano, si pectora plena
 „Sæpe dedi, & lavi calido profecta cerebro:
 „Si quis, qui vestris caput, extaque lancibus infans
 „Imposuit, victurus erat, parete precanti.
 „Non in Tartareo latitantem poscimus antro,
 „Adsuetamque diu tenebris, modo luce fugata
 „Descendentem animam: primo pallentis hiatu
 „Hæret adhuc Orci. Licet has exaudiat herbas
 „Ad manes ventura semel. Ducis omina nato
 „Pompejana canat nostri modo militis umbra,
 „Si bene de vobis civilia bella merentur.“

Hæc ubi fata caput, spumantiaque ora levavit,
 Adspicit adstantem projecti corporis umbram,
 Exanimos artus, invisaque claustra timentem
 Carceris antiqui. Pavet ire in pectus apertum,
 Visceraque, & ruptas letali vulnere fibras.
 A, miser! extremum cui mortis munus inique
 Eripitur, non posse mori. Miratur Erichtho
 Has fatis licuisse moras, irataque morti

Verberat inmotum vivo serpente cadaver:
 Perque cavas terræ, quas egit carmine, rimas
 Manibus illatrat, regnique silentia rumpit.
 „Tisiphone, vocisque meæ secura Megæra,
 „Non agitis sævis erebi per inane flagellis
 „Infelicem animam? jam vos ego nomine vero
 „Eliciam, Stygiasque canes in luce superna
 „Destituam: per busta sequar, per funera, cunctis
 „Expellam tumulis, abigam vos omnibus urnis.
 „Teque deis, ad quos alio procedere vultu
 „Ficta soles, Hecate, pallenti tabida forma,
 „Ostendam, faciemque Erebi mutare vetabo.
 „Eloquar immenso terræ sub pondere quæ te
 „Contineant, Hecæa, dapes, quo scedere mœstrum
 „Regem noctis ames, quæ te contagia passam
 „Noluerit revocare parens. (1) Tibi, pessime mundi
 „Arbiter, inmittam ruptis Titana cavernis,
 „Et subita feriere die. Paretis? an ille
 „Compellendus erit, quo numquam terra vocato
 „Non concussa tremit, qui Gorgonia cernit apertam,
 „Verberibusque suis trepidam castigat Erinnyn,
 „Indespecta tenet vobis qui Tartara; cujus
 „Vos estis superi; Stygias qui pejerat undas?
 Protinus adstrictus caluit cruor, atraque fovit
 Vulnera, & in venas extremaque membra cucurrit.

(1) *Cetes vulgo.*

Percussæ gelido trepidant sub pectore fibræ:
Et nova desuetis subrepens vita medullis,
Miscetur morti. Tunc omnis palpitat artus:
Tenduntur nervi: nec se tellure cadaver
Paullatim per membra levat, terraque repulsum est,
Erectumque semel. Distento lumina risu
Nudantur. Nondum facies viventis in illo,
Jam morientis erat. Remanent pallorque rigorque;
Et stupet illatus mundo. Sed murmure nullo
Ora adstricta sonant. Vox illi, linguaque tantum
Responsura datur. „Dic, inquit Thessala, magna,
„Quod jubeo; mercede mihi: nam vera locutum
„Inmunem toto mundi præstabimus ævo
„Artibus Hæmoniis: tali tua membra sepulcro,
„Talibus exuram Stygio cum carmine silvis,
„Ut nullos cantata Magos exaudiat umbra.
„Sit tanti vixisse iterum: nec verba, nec herbæ
„Audebunt longæ somnum tibi rumpere Lethes,
„A me morte data. Tripodas, vatesque deorum
„Sors obscura decet, certus discedat, ab umbris
„Quisquis vera petit, duræque oracula mortis
„Fortis adit. Ne parce, precor. Da nomina rebus,
„Da loca, da vocem qua mecum fata loquantur.“
Addidit & carmen, quo, quidquid consulit, umbram
Scire dedit. Mœstum, fletu manante, cadaver:
„Tristia non equidem Parcarum stamina, dixit,
„Adspexi, tacitæ revocatus ab aggere ripæ:

„Quod tamen e cunctis mihi noscere contigit umbris,
„Effera Romanos agitat discordia manes,
„Impiaque infernam rapuerunt arma quietem.
„Elysias alii sedes, ac Tartara mœsta
„Diversi liquere duces: quid fata pararent,
„Hi fecere palam. Tristis felicibus umbris
„Vultus erat. Decios vidi, natumque, patremque,
„Lustrales bellis animas, flentemque Camillum,
„Et Curios; Sullam de te, Fortuna, querentem.
„Deplorat Libycis perituram Scipio terris
„Infaustam sobolem. Major Carthaginis hostis,
„Non servituri mœret Cato fata nepotis.
„Solum te consul depulsis prime tyrannis
„Brute pias inter gaudentem vidimus umbras.
„Abruptis Catilina minax, spretisque catenis
„Exsultat, Mariique truces, nudique Cethegi.
„Vidi ego lætantes popularia nomina Drusus;
„Legibus inmodicos, ausosque ingentia Gracchos.
„Æternis chalybum nodis, & carcere Ditis
„Constrictas plausere manus, camposque piorum
„Poscit turba nocens. Regni possessor inertis
„Pallentes aperit sedes, abruptaque saxa
„Asperat, & durum vinclis adamanta, paratque
„Pœnam victori. Refer hæc solatia tecum,
„O juvenis, placido manes patremque, domumque
„Exspectare sinu, regnique in parte serena
„Pompejis servare locum. Nec gloria parvæ

„Sollicitet vitæ: veniet, quæ misceat omnes
 „Hora duces. Properate mori, magnoque superbi
 „Quamvis e parvis animo discedite bustis,
 „Et Romanorum manes calcate deorum.
 „Quem tumulum Nili, quem Thybridis adluat (1) unda,
 „Quæritur, & ducibus tantum de funere pugna est.
 „Tu fatum ne quære tuum cognoscere: Parcæ,
 „Me reticente, dabunt: tibi certior omnia vates
 „Ipse canet Siculis genitor Pompejus in oris:
 „Ille quoque incertus, quo te vocet, unde repellat,
 „Quas jubeat vitare plagas, quæ sidera mundi.
 „Europam miseri, Libyenque, Asiamque timete:
 „Distribuet tumulos vestris Fortuna triumphis.
 „O miseranda domus, toto nil orbe videbis
 „Tutius Emathia.“ Sic postquam fata peregit;
 Stat vultu mæstus tacito, mortemque reposcit.
 Carminibus magicis opus est, herbisque, cadaver
 Ut cadat, & nequeunt animam sibi reddere fata,
 Consumto jam jure semel. Tum robore multo
 Exstruit illa rogam: venit defunctus ad ignes:
 Accensa juvenem positum strue liquit Erichtho,
 Tandem passa mori: Sextoque ad castra parentis
 It comes: & cælo lucis ducente colorem,
 Dum ferrent tutos intra tentoria gressus,
 Jussa tenere diem densas nox præstitit umbras:

(1) abluat *vulgo*.



LIBER SEPTIMUS.

ARGUMENTUM.

*Septimus exponit fallentia somnia Magnum,
Romani theatri falso sibi dantia plausum.
Inde gemit totas deposcere bella cohortes,
In propriasque rapi fataliter agmina mortes.
Ac dum permissis celerant in prœlia frenis
Visa super trepidos totis miracula habenis.
Dispositas acies, ignaro Cæsare, campis,
Hunc quoque calcatis sua mox rapere agmina castris.
Inde geri bellum miserabile luctificumque
Unde premit Romam regnum, fuga, servitiumque.
Aufugit hinc Magnus dum sanguine cuncta natare
Cernit, & in populis Romam patribusque perire.*

SEgnior Oceano, quam lex æterna vocabat,
Luctificus Titan numquam magis æthera contra
Egit equos, currumque (1), polo rapiente, retorsit:

(1) cursumque multi scripti.

Defectusque pati voluit, raptæque labores
 Lucis: & adtraxit nubes, non pabula flammis,
 Sed ne Thessalio purus luceret in orbe.

At nox felicitis Magno pars ultima vitæ
 Sollicitos vanâ deçepit imagine somnos.
 Nam Pompejani visus sibi sede theatri
 Innumeram effigiem Romanæ cernere plebis,
 Adtollique supm lætis ad sidera nomen
 Vocibus, & plausu cuneos certare sonantes.
 Qualis erat populi facies, clamorque faventum,
 Olim quum juvenis, primique ætate triumphî
 Post domitas gentes, torrens quas ambit Iberus,
 Et quæcumque fuga (1) Sertorius impulit arma,
 Vespere pacato, pura venerabilis æque
 Quam currus ornante toga, plaudente senatu,
 Sedit adhuc Romanus eques. Seu fine bonorum
 Anxia venturis ad tempora læta refugit:
 Sive per ambages solitas contraria visis
 Vaticinata quies, magni tulit omina planctus:
 Seu vetito patrias ultra tibi cernere sedes,
 Sic Romam Fortuna dedit. Ne rumpite somnos,
 Castrorum vigiles, nullas tuba verberet aures.
 Crastina dira quies, & imagine mœsta diurna
 Undique funestas acies feret, undique bellum.
 Unde pares somnos populis, noctemque beatam?

(1) fugax vulgo.

O felix, si te vel sic tua Roma videret.
Donassent utinam superi patriæque, tibi que
Unum, Magne, diem, quo fati certus uterque
Extremum tanti fructum raperetis amoris.
Tu velut Ausonia vadis moriturus in urbe:
Illa rati semper de te sibi conscia voti
Hoc scelus haud unquam fatis debere putavit,
Sic se dilecti tumulum quoque perdere Magni.
Te mixto flessset luctu, juvenisque, senexque,
Injussusque puer: lacerasset, crine soluto,
Pectora femineum, ceu Bruti funere, vulgus.
Nunc quoque, tela licet paveant victoris iniqui,
Nuntiet ipse licet Cæsar tua funera, flebunt:
Sed dum tura ferunt, dum laurea serta Tonanti.
O miseri, quorum gemitus edere dolorem,
Qui te non pleno pariter planxere theatro!
Vicerat astra jubar, cum mixto murmure turba
Castrorum fremuit, fatisque trahentibus orbem,
Signa petunt pugnae. Miseri pars maxima vulgi
Non totum visura diem tentoria circum
Ipsa ducis queritur, magnoque accensa tumultu
Mortis vicinae properantes admovet horas.
Dira subit rabies: sua quisque, ac publica fata
Præcipitare cupit: segnis, pavidusque vocatur,
Ac nimium patiens soceri Pompejus, & orbis
Indulgens regno, qui tot simul undique gentes
Juris habere sui vellet, pacemque timeret.

Nec non & reges, populique queruntur Eoi.
 Bella trahi, patriaque procul tellure teneri.
 Hoc placet, o superi, vobis quum vertere cuncta
 Propositum, nostris erroribus addere crimen.
 Cladibus irruimus, nocituraque poscimus arma:
 Jam Pompejanis votum est Pharsalia castris.
 Cuncturum voces Romani maximus auctor
 Tullius eloquii, cujus sub jure togaque
 Pacificas sævus tremuit Catilina secures,
 Pertulit, iratus bellis, quum rostra forumque
 Optaret, passus tam longa silentia miles.
 Addidit (1) invalidæ robur facundia caussæ.

„Hoc pro tot meritis solum te, Magne, precatur,
 „Uti se Fortuna velis: proceresque tuorum
 „Castrorum, regesque tui cum supplice mundo
 „Adfusi, vinci socerum patiare rogamus.
 „Humani generis tam longo tempore bellum
 „Cæsar erit? merito, Pompejum vincere lente,
 „Gentibus indignum est a transcurrente subactis.
 „Quo tibi fervor abit? aut quo fiducia fati?
 „De superis, ingratis, times? causamque senatûs
 „Credere dîs dubitas? ipsæ tua signa revellent,
 „Prosilientque acies. Pudeat vicisse coactum.
 „Si duce te jusso, si nobis bella geruntur,
 „Sit juris, quocumque velint (2) concurrere campo.

(1) ac dedit *scripti tres*.

(2) velim *MSS.* & *edd. plur.*

„Quid mundi gladios a sanguine Cæsaris arces?
„Vibrant tela manus: vix signa morantia quisquam
„Exspectat: propera, ne te tua classica linquant.
„Scire senatus avet, miles te, Magne sequatur,
„An comes.“ Ingemuit rector, sensitque deorum
Esse dolos, & fata (1) suæ contraria menti.
„Si placet hoc, inquit, cunctis, si milite Magno,
„Non duce tempus eget, nil ultra fata morabor.
„Involvat populos una Fortuna ruina,
„Sitque hominum magnæ lux ista novissima parti.
„Testor, Roma, tamen: Magnum, quo cuncta perirent,
„Accepisse diem. Potuit tibi vulnere nullo
„Stare labor belli: potui sine cæde subactum,
„Captivumque ducem Romanæ tradere paci.
„Quis furor, o cæci, scelerum? civilia bella
„Gesturi metuunt, ne non cum sanguine vincant?
„Abstulimus terras, exclusimus æquore toto,
„Ad præmaturas segetum jejuna rapinas
„Agmina compulimus, votumque effecimus hosti,
„Ut mallet sterni gladiis, mortemque suorum
„Permiscere meis. Belli pars magna peracta est
„His, quibus effectum est, pugnam ne tiro paveret:
„Si modo virtutis stimulis, iræque calore
„Signa petunt. Multos in summa pericula misit
„Venturi timor ipse mali. Fortissimus ille est,

(1) vota scripti tres.

„Qui promptus metuenda pati, si comminus instent,
 „Et differre potest. Placet hæc tam prospera rerum
 „Tradere Fortunæ? gladio permittere mundi
 „Discrimen? pugnare ducem; quam vincere, malunt.
 „Res mihi Romanas dederas, Fortuna, regendas:
 „Accipe majores, & cæco in Marte tuere.
 „Pompeji nec crimen erit, nec gloria bellum.
 „Vincis apud superos votis me, Cæsar, iniquis:
 „Pugnatur. Quantum sceleris, quantumque malorum
 „In populos lûx ista feret! quot regna jacebunt!
 „Sanguine Romano quam turbidus ibit Enipeus!
 „Prima velim caput hoc funesti lancea belli,
 „Si sine momento rerum, partisque ruina
 „Casurum est, feriat: neque enim victoria Magno
 „Lætior. Aut populis invisum, hac clade peracta,
 „Aut hodie Pompejus erit miserabile nomen.
 „Omne malum victi, quod sors ferat ultima rerum,
 „Omne nefas victoris erit.“ Sic fatur, & arma
 Permittit populis, frenosque furentibus ira
 Laxat: & ut victus violento navita Coro
 Dat regimen ventis, ignavumque arte relicta
 Puppis onus trahitur. Trepido confusa tumultu
 Castra fremunt, animique truces sua pectora pulsant
 Ictibus incertis. Multorum pallor in ore
 Et mors ventura est, faciesque simillima fato.
 Advenisse diem, qui fatum rebus in ævum
 Conderet humanis, & quæri, Roma quid esset,

Illo Marte, palam est. Sua quisque pericula nescit,
Adtonitus majore metu. Quis litora ponto
Obruta, quis summis cernens in montibus æquor,
Ætheraque in terras, dejecto sole, cadentem,
Tot rerum finem, timeat sibi? non vacat ullos
Pro se ferre metus: urbi, Magnoque timetur.
Nec gladiis habuere fidem, nisi cautibus asper
Exarsit mucro. Tunc omnis lancea saxo
Erigitur: tendunt nervis melioribus arcus:
Cura fuit lectis pharetras implere sagittis.
Auget eques stimulos, frenorumque artat (1) habenas.
Si liceat superis hominum conferre labores,
Non aliter, Phlegra rabidos tollente Gigantas,
Martius incaluit Siculis incudibus ensis:
Et rubuit flammis iterum Neptunia cuspis,
Spiculaque extenso Pæan Pythone recoxit,
Pallas Gorgoneos diffudit in ægida crines,
Pallenæa Jovi mutavit fulmina Cyclops.
Non tamen abstinuit venturos prodere casus
Per varias Fortuna notas. Nam Thessala rura
Quum peterent, totus venientibus obstitit æther:
(Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes:)
Adversasque faces, immensoque igne columnas,
Et trabibus mixtis avidos siphonas aquarum
Detulit, atque oculos, ingesto fulgure, clausit.

(1) aptat *vulgo*.

Excussit cristas galeis, capulosque solutis
 Profudit gladiis, ereptaque pila liquavit,
 Æthereoque nocens fumavit sulfure ferrum.
 Nec non innumero cooperta examine signa,
 Vixque revulsa solo, majori pondere pressum
 Signiferi mersere caput, rorantia fletu,
 Usque ad Thessaliam Romana, ac publica signa.
 Admotus superis discussa fugit ab ara
 Taurus, & Emathios præceps se jecit in agros;
 Nullaque funestis inventa est victima sacris.
 At tu, quos scelerum superos? quas rite vocasti
 Eumenidas Cæsar? Stygii quæ numina regni,
 Infernumque nefas mersos & nocte furores?
 Impia tam sæve gesturus bella litasti.
 Jam dubium, monstrisne deum, nimione pavore
 Crediderint: multis concurrere visus Olympo
 Pindus, & abruptis mergi convallibus Æmus,
 Edere nocturnas belli Pharsalia voces,
 Ire per Ossæam rapidus Boëbeida sanguis:
 Inque vicem vultus tenebris mirantur opertos,
 Et pallere diem, galeisque incumbere noctem,
 Defunctosque patres, & cunctas sanguinis umbras
 Ante oculos volitare suos. Sed mentibus unum
 Hoc solamen erat, voti quod turba nefandi
 Conscia, quæ patrum jugulos, quæ pectora fratrum
 Spirabat, gaudet monstris, mentisque tumultus
 Atque omen scelerum subitos putat esse furores.

Quid

Quid mirum, populos, quos lux extrema manebat,
 Lymphato trepidasse metu? præsaga malorum
 Si data mens homini est, Tyriis qui Gadibus hospes
 Adjacet, Armeniumque bibit Romanus Araxen:
 Sub quocumque die, quocumque est sidere mundi,
 Mœret, & ignorat causas, animumque dolentem
 Corripit, Emathiis, quid perdat, nescius arvis.
 Euganeo, si vera fides memorantibus, Augur
 Colle sedens, Aponos terris ubi fumifer exit,
 Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,
 „Venit summa dies, geritur res maxima, dixit:
 „Impia concurrunt Pompeji & Cæsaris arma.“
 Seu tonitrus, ac tela Jovis præsaga notavit:
 Æthera seu totum discordi obsistere cœlo,
 Prospexitque polos: seu numen in æthere mœstum.
 (Solis (1) in obscuro pugnam pallore notavit.)
 Dissimilem certe cunctis, quos explicat, egit
 Thessalicum natura diem: si cuncta perito
 Augure mens hominum cœli nova signa notasset,
 Spectari toto potuit Pharsalia mundo.
 O summos hominum, quorum Fortuna per orbem
 Signa dedit, quorum fati cœlum omne vacabat!
 Hæc & apud seras gentes, populosque nepotum,
 Sive sua tantum venient in sæcula fama,
 Sive aliquid magnis nostri quoque cura laboris

(1) solus MSS. *aliquot*.

Nominibus prodesse potest, quum bella legentur,
 Spesque metusque simul, perituraque vota movebunt:
 Adtonitique omnes veluti venientia fata,
 Non transmissa legent, & adhuc tibi, Magne, favebunt.

Miles ut adverso Phœbi radiatus ab icu
 Descendens totos perfudit lumine colles,
 Non temere inmissus campis: stetit ordine certo
 Infelix acies. Cornus tibi cura sinistri
 Lentule, cum prima, quæ tum fuit optima bello,
 Et quarta legione datur: tibi numine pugnax
 Adverso, Domitî, dextri frons tradita Martis.
 At medii robur belli fortissima densant
 Agmina, quæ Cilicum terris deducta tenebat
 Scipio, miles in hoc, Libyo dux primus in orbe.
 At juxta fluvios, & stagna undantis Enipei,
 Cappadocum montana cohors, & largus habenæ
 Ponticus ibat eques. Sicci sed plurima campi
 Tetrarchæ, regesque tenent, magnique tyranni,
 Atque omnis Latio quæ servit purpura ferro.
 Illuc & Libyæ Numidas, & Creta Cydonas
 Misit: Ituræis cursus fuit inde sagittis:
 Inde truces Galli solitum prodistis in hostem.
 Illic pugnaces commovit Iberia cetras.
 Eripe victori gentes, & sanguine mundi
 Fuso, Magne, semel, totos consume triumphos.
 Illo forte die Cæsar, statione soluta,
 Ad segetum raptus moturus signa, repente.

Conspicit in planos hostem descendere campos,
Oblatumque videt votis sibi mille petitem
Tempus, in extremos quo mitteret omnia casus.
Æger quippe moræ, flagransque cupidine regni,
Cœperat exiguo tractu civilia bella
Ut lentum damnare nefas. Discrimina postquam
Adventasse ducum, supremæque prælia vidit,
Casuram & fati sensit nutare ruinam,
Illa quoque in ferrum rabies promptissima paulum
Languit, & casus audax spondere secundos
Mens stetit in dubio, quam nec sua fata timere,
Nec Magni sperare sinunt. Formidine mersa,
Prosilit. Hortando melior fiducia vulgo.

„O dominor mundi, rerum fortuna mearum,
„Miles, adest toties optatæ copia pugnae.
„Nil opus est votis: jam, fatum arcessite ferro.
„In manibus vestris, quantus sit Cæsar, habetis.
„Hæc est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas
„Promissam memini, cuius spe movimus arma,
„In quam distulimus vetitos remeare triumphos.
„Hæc eadem est, hodie quæ pignora, quæque penates
„Reddat, & emerito faciat vos Marte colonos.
„Hæc, fato quæ teste probet, quis justius arma
„Sumserit: hæc acies victum factura nocentem est.
„Si pro me patriam ferro flammisque petistis,
„Nunc pugnate truces, gladiosque exsolve culpa.
„Nulla manus, belli mutato iudice, pura est.

„Non mihi res agitur, sed vos ut libera sitis
 „Turba, precor, gentes ut jus habeatis in omnes.
 „Ipse ego privatæ cupidus me reddere vitæ,
 „Plebejaque toga modicum componere civem:
 „Omnia dum vobis liceant, nil esse recuso.
 „Invidia regnate mea. Nec sanguine multo
 „Spem mundi petitis: Grajis dilecta (1) juvenus
 „Gymnasiis aderit, studioque ignava palæstræ,
 „Et vix arma ferens, ac mixtæ dissona turbæ
 „Barbaries: non illa tubas, non agmine moto
 „Glamorem latura suum. Civilia paucæ
 „Bella manus facient: pugnae pars magna levabit
 „His orbem populis, Romanumque obteret hostem.
 „Ite per ignavas gentes, famosaque regna,
 „Et primo ferri motu prosternite mundum:
 „Sitque palam, quas tot duxit Pompejus in urbem
 „Curribus, unius gentes (2) non esse triumphi.
 „Armeniosne movet, Romana potentia cujus
 „Sit ducis? aut emtum minimo vult sanguine quisquam
 „Barbarus, Hesperiiis Magnum præponere rebus?
 „Romanos odere omnes, dominosque gravantur,
 „Quos novere, magis. Sed me Fortuna meorum
 „Commisit manibus, quorum me Gallia testem
 „Tot fecit bellis. Cujus non militis ense
 „Agnoscam? cœlumque tremens quum lancea transit,

(1) *delecta vulgo, deducta MS.*

(2) *gentis MSS. aliquot.*

„Dicere non fallar, quo sit librata lacerto.
 „Quod si signa ducem numquam fallentia vestrum
 „Conspicio, faciesque truces, oculosque minaces:
 „Vicistis. Videor fluvios spectare cruoris,
 „Calcosque simul Reges, sparsumque senatus
 „Corpus, & immensâ populos in cæde natantes.
 „Sed mea fata moror, qui vos in tela (1) furentes
 „Vocibus his teneo. Veniam date bella trahenti:
 „Spe trepido: haud umquam vidi tam magna daturus,
 „Tam prope me superos: camporum limite parvo
 „Absumus a votis. Ego sum, cui Marte peracto,
 „Quæ populi, Regesque tenent, donare licebit.
 „Quone poli motu, quo cæli sidere verso,
 „Thessalicæ tantum, superi, permittitis oræ?
 „Aut merces hodie bellorum, aut pœna paratur.
 „Cæsareas spectate cruces, spectate catenas,
 „Et caput hoc positum rostris, effusaque membra,
 „Septorumque nefas, & clausi prælia campi.
 „Cum duce Sullano gerimus civilia bella.
 „Vestri cura movet. Nam me secura manebit
 „Sors quæ sita manu: fodientem viscera cernet
 „Me mea, qui nondum victo respexerit hoste.
 „DI, quorum curas abduxit ab æthere tellus,
 „Romanusque labor, vincat, quicumque necesse
 „Non putat in victos sævum destringere ferrum,

(1) bella MSS. *viginti*.

„Quique suos cives, quod signa adversa tulerunt,
„Non credit fecisse nefas. Pompejus in arto
„Agmina vestra loco, vetita virtute moveri,
„Quum tenuit, quanto satiavit sanguine ferrum!
„Vos tamen hoc oro juvenes, ne cadere quisquam
„Hosti terga velit: civis, qui fugerit, esto.
„Sed dum tela micant, non vos pietatis imago
„Ulla, nec adversa conspecti fronte parentes
„Commoveant: vultus gladio turbate verendos.
„Sive quis infesto cognata in pectora ferro
„Ibit, seu nullum violabit vulnere pignus,
„Ignoti jugulum tamquam scelus imputet hostis.
„Sternite jam vallum, fossasque implete ruina,
„Exeat ut plenis acies non sparsa manipulis.
„Parcite ne castris: vallo tendetis in illo,
„Unde acies peritura venit.“ Vix cuncta locuto
Cæsare, quemque suum munus trahit, armaque raptim
Sumta Ceresque viris. Capiunt præsagia belli,
Calcatisque ruunt castris: stant ordine nullo,
Arte ducis nulla, permittuntque omnia fati.
Si totidem Magni soceros, totidemque petentes
Urbis regna suæ funesto in Marte locasses,
Non tam præcipiti ruerent in proelia cursu.

Vidit ut hostiles in rectum exire catervas
Pompejus, nullasque moras prætereire bello,
Sed superis placuisse diem: stat corde gelato
Adtonitus: tantoque duci sic arma timere

Omen erat. Premittit inde metus, totumque per agmen.
 Sublimi prævectus equo: „Quem flagitat, inquit,
 „Vestra diem virtus, finis civilibus armis,
 „Quem quæsisitis, adest. Totas effundite vires;
 „Extremum ferri (1) superest opus, unaque gentes.
 „Hora trahit. Quisquis patriam, carosque penates,
 „Qui subolem, ac thalamos, desertaque pignora quærit,
 „Ense petat: medio posuit deus omnia campo.
 „Causa jabet melior superos sperare secundos;
 „Ipsi tela regent per viscera Cæsaris, ipsi
 „Romanas sancire (2) volent hoc sanguine leges.
 „Si socero dare regna meo, mundumque pararent,
 „Præcipitare meam fatis potuere senectam.
 „Non iratorum populi orbique deorum est
 „Pompejum servare ducem. Quæ vincere possunt.
 „Omnia contulimus. Subiere pericula clari
 „Sponte viri, sacraque antiquus imagine miles.
 „Si Curios his fata darent, reducesque Camillos
 „Temporibus, Deciosque caput fatale voventes,
 „Hinc starent. Primo gentes oriente coactæ,
 „Innumeraeque urbes, quantas in prælia numquam
 „Excivere manus. Toto simul utimur orbe.
 „Quidquid signiferi compressum (3) limite cœli
 „Sub Noton, & Borean hominum sumus, arma movemus.

(1) belli *MSS. quinque.*

(2) sanare, sentire, sancire *MSS.*

(3) compressum *MSS. plures.*

„Nonne superfusus collectum cornibus hostem
„In medium dabimus? paucas victoria dextras
„Exigit: at plures tantum clamore catervæ
„Bella gerent. Cæsar nostris non sufficit armis.
„Credite pendentes e summis mœnibus urbis
„Crinibus effusis hortari in proelia matres.
„Credite grandævum, vetitumque ætate senatum
„Arma sequi, sacros pedibus prosternere canos:
„Atque ipsam domini metuentem occurrere Romam.
„Credite, qui nunc est populus, populumque futurum
„Permixtas adferro preces. Hæc libera nasci,
„Hæc vult turba mori. Si quis post pignora tanta
„Pompejo locus est, cum prole, & conjuge supplex,
„Imperii salva si majestate liceret,
„Volverer ante pedes. Magnus, nisi vincitis, exsul,
„Ludibrium soceri, vester pudor, ultima fata
„Deprecor, ac turpes extremi cardinis annos,
„Ne discam servire senex.“ Tam mœsta secuti
Verba ducis flagrant animi, Romanaque virtus
Erigitur, placuitque mori, ne vera timeret.
Ergo utrimque pari procurrunt agmina motu
Irarum: metus hos regni, spes excitat illos.
Hæc facient dextræ, quidquid non expleat ætas
Ulla, nec humanum repararet genus omnibus annis,
Ut vacet a ferro. Gentes Mars iste futuras
Obruet, & populos ævi venientis in orbem
Erepto natale feret. Tunc omne Latinum

Fabula nomen erit: Gabios, Vejosque, Coramque
 Pulvere vix testæ poterunt monstrare ruinæ,
 Albanosque lares, Laurentinosque penates
 Rus vacuum, quod non habitet; nisi nocte coacta,
 Invitus, questusque Numam jussisse, senator.
 Non ætas hæc carpsit edax, monumentaque rerum
 Putria destituit: crimen civile videmus,
 Tot vacuas urbes. Generis quo turba redacta est
 Humani: toto populi qui nascimur orbe
 Nec muros implere viris, nec possumus agros.
 Urbs nos una capit: victo fossore coluntur
 Hesperia segetes: stat testis putris avitis
 In nullos ruitura domus: nulloque frequentem
 Cive suo Romam, sed mundi fæce repletam,
 Cladis eo dedimus, ne tanto in corpore (1) bellum
 Jam possit civile geri: Pharsalia tanti
 Causa mali, cedant feralia nomina Cannæ,
 Et damnata diu Romanis Allia fastis.
 Tempora signavit leviorum Roma malorum:
 Hunc voluit nescire diem. Pro tristia fata!
 Aera pestiferum tractu, morbosque fluentes,
 Insanamque famem, permissasque ignibus urbes,
 Mœniaque in præceps laturos plena tremores
 Hi possent explere viri, quos undique traxit
 In miseram Fortuna necem, dum munera longi

(1) in tempore *vulgo*.

Explicat eripiens ævi, populosque ducesque,
Constituit campis: per quos tibi, Roma, ruenti
Ostendat, quam magna cadas. Quo tardius orbem
Possedit, citius per prospera fata cucurrit.
Omne tibi bellum gentes dedit omnibus annis:
Te geminum Titan procedere vidit in axem.
Haud multum terræ spatium restabat Eoæ,
Ut tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret æther,
Omniaque errantes stellæ Romana viderent.
Sed retro tua fata tulit par omnibus annis
Emathiæ funesta dies. Hac luce cruenta
Effectum, ut Latios non horreat India fasces,
Nec vetitos errare Dahas in moenia ducat,
Sarmatiumque premat succinctus consul aratrum:
Quod semper sævas debet tibi Parthia pœnas,
Quod fugiens civile nefas, redituraque nunquam
Libertas, ultra Tigrin, Rhenumque recessit,
Ac, toties nobis jugulo quæsita, vagatur,
Germanum, Scythiumque bonum, nec respicit ultra
Ausoniam: vellem, populis incognita nostris,
Vulturis ut primam lævo fundata volatu
Romulus infami complevit mœnia luco,
Usque ad Thessalicas servissēs Roma ruinas.
De Brutis, Fortuna, queror. Quid tempora legum
Eginus, aut annos a consule nomen habentes?
Felices Arabes, Medique, Eoaque tellus,
Quam sub perpetuis tenuerunt fata Tyranois.

Ex populis, qui regna ferunt, sors ultima nostra est,
Quos servire ~~pudet~~. Sunt nobis nulla profecto
Numina: quum cæco rapiantur sæcula casu.
Mentimur regnare Jovem. Spectabit ab alto
Æthere Thessalicas, teneat quum fulmina, cædes?
Scilicet ipse petet Pholoen, petet ignibus Ceten,
Iamertæque nemus Rhodopes, pinusque Mimantis:
Cassius hoc potius feriet caput? astra Thyestæ
Intulit, & subitis damnavit noctibus Argos:
Tot similes fratrum gladios, patrumque gerenti
Thessaliæ dabit ille diem? mortalia nulli
Sunt curata deo. Cladis tamen hujus habemus
Vindictam, quantam terris dare numina fas est.
Bella pares superis facient civilia divos:
Fulminibus manes, radiisque ornabit, & astris,
Inque deum templis jurabit Roma per umbras.
Ut rapido cursu fati suprema morantem
Consumsere locum: parva tellure diremti,
Quo sua pila cadant, aut quam sibi fata minentur
Inde manum spectant: tempus, quo noscere possunt,
Facturi quæ monstra forent. Videre parentes
Frontibus adversis, fraternæque comminus arma,
Nec libuit mutare locum: tamen omnia torpor
Pectora constrinxit: gelidusque in viscera sanguis
Percussa pietate coit: totæque cohortes
Pila parata diu tensis tenuere lacertis.
DI tibi non mortem, quæ cunctis poena paratur,

Sed sensum post fata tuæ dent, Crastine, morti,
 Cujus torta manu commisit lanceæ bellum,
 Primaque Thessaliam Romano sanguine tinxit.
 O præceps rabies, quum Cæsar tela teneret,
 Inventa est prior ulla manus! tunc stridulus aer
 Elisus lituis, conceptaque classica cornu:
 Tunc ausæ dare signa tubæ: tunc æthera tendit,
 Extremique fragor convexa irrupit Olympi:
 Unde procul nubes, qua nulla tonitrua durant.
 Excepit resonis clamorem vallibus Æmus,
 Peliacisque dedit rursus geminare cavernis:
 Pindus agit fremitus(1), Pangæaque saxa resultant,
 Etææque gemunt rupes: vocesque furoris
 Expavere sui tota tellure relatas.
 Spargitur innumerum diversis missile votis.
 Vulnera pars optat, terræ pars figere tela,
 Ac puras servare manus. Rapit omnia casus,
 Atque incerta facit, quos vult, Fortuna nocentes.
 Sed quota pars cladis jaculis, ferroque volanti
 Exacta est? odiis solus civilibus ensis
 Sufficit, & dexteras Romana in viscera ducit.
 Pompeji densis acies stipata catervis,
 Junxerat in seriem nexis umbonibus arma.
 Vixque habitura locum dexteras, ac tela movendi
 Constiterat, gladiosque suos compressa timebat.

(1) gemitus *vulgo*.

Præcipiti cursu vesanum Cæsaris agmen
In densos agitur cuneos: perque arma, per hostem
Quærit iter. Qua torta graves lorica catenas
Opponit, tutoque latet sub tegmine pectus,
Hac quoque perventum est ad viscera: totque per arma
Extremum est, quod quisque ferit. Civilia bella
Una acies patitur, gerit altera: frigidus inde
Stat gladius; calet omne nocens a Cæsare ferrum.
Nec Fortuna diu rerum tot pondera vergens,
Abstulit ingentes fato torrente ruinas.

Ut primum toto diduxit cornua campo
Pompejanus eques, bellicque per ultima fudit:
Sparsa per extremos levis armatura maniplos
Insequitur; sævasque manus inmittit in hostem.
Illic quæque suo miscet gens prælia telo:
Romanus cunctis petitur cruor: inde sagittæ,
Inde faces, & saxa volant, spatioque solutæ
Aeris, & calido liquefactæ pondere glandes.
Tunc & Ituræi, Medique Arabesque, soluto
Arcu turba minax, nusquam rexere sagittas:
Sed petitur solus, qui campis inminet aer.
Inde cadunt mortes: sceleris sed crimine nullo
Externum maculant chalybem; stetit omne coactum
Circa pila nefas: ferro subtextitur æther,
Noxque super campos telis conserta pependit.
Quum Cæsar metuens, ne frons sibi prima labaret
Incurso, tenet obliquas post signa cohortes:

Inque latus belli, qua se vagus hostis agebat,
 Emittit subitum non motis cornibus agmen.
 Inmemores pugnae, nulloque pudore timendi
 Praecipites fecere palam, civilia bella
 Non bene barbaricis umquam commissa catervis.
 Ut primum sonipes transfixus pectora ferro
 In caput effusi calcavit membra regentis:
 Omnis eques cessit campis, glomerataque pubes⁽¹⁾
 In sua conversis praecipit ruit agmina frenis.
 Perdidit inde modum caedes, ac nulla secuta est
 Pugna: sed hinc jugulis, hinc ferro bella geruntur.
 Nec valet haec acies tantum prosternere, quantum
 Inde perire potest. Utinam Pharsalia campis
 Sufficiat cruor iste tuis, quem barbara fundunt
 Pectora, non alio mutantur sanguine fontes,
 Hic numerus totos tibi vestiatur ossibus agros:
 Aut si Romano compleri sanguine mavis,
 Istis parce precor: vivant Galataeque, Syrique,
 Cappadoces, Gallique, extremique orbis Iberi,
 Armenii, Cilices: nam post civilia bella
 Hic populus Romanus erit, Semel ortus in omnes
 It timor, & fatis datus est pro Caesare cursus.
 Ventum erat ad robur Magni, mediasque catervas,
 Quod totos errore vago perfuderat agros:
 Constitit hic bellum, fortunaque Caesaris haesit.

(1) *nubes scripti quatuor.*

Non illic regum auxiliis collecta juventus
 Bella gerit, ferrumque manus movère rogatæ:
 Ille locus fratres habuit, locus ille parentes.
 Hic furor, hic rabies, hic sunt tua crimina Cæsar.
 Hanc fuge mens belli partem tenebrisque relinque,
 Nullaque tantorum discat me vate malorum,
 Quam multum bellis liceat civilibus, ætas.
 A potius pereant lacrimæ, pereantque querelæ!
 Quidquid in hac acie gessisti, Roma, tacebo.
 Hic Cæsar, rabies populis, stimulusque furorum,
 Ne qua parte sui pereat scelus, agmina circum
 It vagus, atque animis ignes flagrantibus addit.
 Inspicit & gladios, toti qui sanguine manent (1),
 Qui niteant primo tantum mucrone cruenti,
 Quæ presso tremat ense manus, quis languida tela,
 Quis contenta ferat, quis præstet bella jubenti,
 Quem pugnare juvet, quis vultum cive peremto
 Mutet: obit latis projecta cadavera campis:
 Vulnera multorum totum fusura cruorem
 Opposita premit ipse manu. Quacumque vagatur
 Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum,
 Bistonas aut Mavors agitans, si verberare sævo
 Palladia stimulet turbatos ægide currus.
 Nox ingens scelerum, & cædes oriuntur, & instar
 Imensæ vocis gemitus, & pondere lapsi

(1) madent MSS. plures.

Pectoris arma sonant, confraſtique ensibus enſes.
 Ipſe manu ſubicit gladios, ac tela miniſtrat,
 Adverſosque jubet ferro confundere vultus.
 Promovet ipſe acies: impellit terga ſuorum:
 Verbere converſæ ceſſantes excitat hæſtæ.
 In plebem vetat ire manus, monſtratque ſenatum.
 Scit cruor imperii qui ſit, quæ viſcera rerum (1):
 Unde petat Romam, libertas ultima mundi
 Quo ſteterit ferienda loco. Permixta ſecundo
 Ordine nobilitas, venerandaque corpora ferro
 Urgentur: cædunt Lepidos, cæduntque Metellos,
 Corvinoſque ſimul, Torquataque nomina, regum
 Sæpe duces, ſummoſque hominum te, Magne, remoto.

Illic plebeja contextus caſſide vultus,
 Ignotuſque hoſti, quod ferrum Brute tenebas!
 O decus imperii, ſpes o ſuprema ſenatus,
 Extremum tanti generis per ſæcula nomen,
 Ne rue per medios nimium temerariuſ hoſtes,
 Nec tibi fatales admoveris ante Philippos,
 Theſſalia periture tua. Nil proficiſ iſtic
 Cæſariſ intentuſ jugulo: nondum adtigitiſ arcem,
 Juris & humani culmen, quo cuncta premuntur,
 Egreſſuſ, meruit fatiſ tam nobile letum:
 Vivat, & ut Bruti procumbat victima, regnet.

Hic patriæ perit omne decus: jacet aggere magno.

Pa-

(1) legum *vulgo*. regum MSS. *quidam*.

Patricium campis non mixta plebe cadaver.
 Mors tamen emicuit clarorum in strage virorum
 Pugnacis Domitî; quem clades fata per omnes
 Ducebant. Magni nusquam Fortuna sine illo
 Succubuit: victus toties a Cæsare, salva
 Libertate perit: tunc mille in vulnera lætus
 Labitur, ac venia gaudet caruisse secunda.
 Viderat in crasso versantem sanguine membra
 Cæsar, & increpitans: „Jam Magni deseris arma,
 „Successor (1) Domiti, sine te jam bella geruntur.“
 Dixerat: ast illi sufficit pectora pulsans
 Spiritus in vocem, morientiaque ora resolvit.
 „Non te funesta scelerum mercede potitum,
 „Sed dubium fati Cæsar, generoque minorem
 „Adspiciens, Stygias Magno duce liber ad umbras
 „Et securus eo: sævo te Marte subactum,
 „Pompejoque graves pœnas, nobisque daturum
 „Quum morior, sperare licet.“ Non plura locutum
 Vita fugit, densæque oculos vertère tenebræ.

Impendisse pudet lacrimas in funere mundi
 Mortibus innumeris, ac singula fata sequentem
 Quærere, letiferum per cuius viscera vulnus
 Exierit; quis fusa solo vitalia calcet;
 Ore quis adverso demissum faucibus ense
 Expulerit moriens anima; quis corruat ictu,

(1) succensor, accensor *variant*.

Quis steterit, dum membra cadunt: qui pectore (1) tela
 Transmittant, aut quos campis adfixerit hasta:
 Quis cruor emissis perruperit aera venis,
 Inque hostis cadat arma sui: quis pectora fratris
 Cædat, &, ut notum possit spoliare cadaver,
 Abscisum longe mittat caput: ora parentis
 Quis laceret, nimiaque probet spectantibus ira
 Quem jugulat, non esse patrem. Mors nulla querela
 Digna sua est, nullosque hominum lugere vacamus.
 Non istas habuit pugnae Pharsalia partes,
 Quas aliæ clades: illic per fata virorum,
 Per populos hic Roma perit: quæ militis illic,
 Mors hic gentis erat: sanguis ibi fluxit Achaus,
 Ponticus, Assyrius: cunctos hædere cruores
 Romanus, campisque vetat consistere torrens.
 Majus ab hac acie, quam quod sua sæcula ferrent,
 Vulnus habent populi: plus est quam vita salusque,
 Quod perit: in totum mundi prosternimur ævum:
 Vincitur his gladiis omnis, quæ serviet, ætas.
 Proxima quid soboles, aut quid meruere nepotes
 In regnum nasci? pavidi num gessimus arma?
 Teximus aut jugulos? alieni poena timoris
 In nostra cervice sedet. Post prælia natis
 Si dominum Fortuna dabas, & bella dedisses.
 Jam Magnus transisse deos, Romanaque fata

(1) pectora MSS. *plures*.

Senserat infelix: tota vix clade coactus
 Fortunam damnare suam. Stetit aggere campi
 Eminus, unde omnes sparsas per Thessala rura
 Prospiceret clades, quæ bello obstante latebant.
 Tot tellus sua fata peti, tot corpora fusa,
 Ac se tam multo pereuntem sanguine vidit.
 Nec, sicut mos est miseris, trahere omnia secum
 Mersa juvat, gentesque suæ miscere ruinæ:
 Ut Latiae post se vivat pars maxima turbæ,
 Sustinuit dignos etiam nunc credere votis
 Coelicolas, voluitque sui solatia casus:
 „Parcite, ait, superi cunctas prosternere gentes:
 „Stante potest mundo, Romaque superstita, Magnus
 „Esse miser. Si plura juvant mea vulnera, conjux
 „Est mihi, sunt nati; dedimus tot pignora fati.
 „Civiline parum est bello, si meque, meosque
 „Obruet? exiguae clades sumus, orbe remoto?
 „Omnia quid laceras, quid perdere cuncta laboras?
 „Jam nihil est, Fortuna, meum.“ Sic fatur: & arma,
 Signaque, & adflicta omni jam parte (1) catervas
 Circumit, & revocat matuta in fata ruentes,
 Seque negat tanti. Nec deerat robur in enses
 Ire duci, juguloque pati, vel pectore letum:
 Sed timuit strato miles ne corpore Magni
 Non fugeret, supraque ducem procumberet orbis:

(1) morte MSS. meliores sept.

Cæsaris aut oculis voluit subducere mortem.
Nequidquam. Infelix, socero spectare volenti
Præstandum est ubicumque caput. Sed tu quoque conjux
Causa fugæ, vultusque tui: fatisque negatum
Te absente mori. Tunc Magnum concitus aufert
A bello sonipes, non tergo tela paventem,
Ingentesque animos extrema in fata ferentem.
Non gemitus, non fletus erat, salvaque verendus
Majestate dolor, qualem te, Magne, decebat
Romanis præstare malis. Non impare vultu
Adspicis Emathiam: nec te videre superbum
Prospera bellorum, nec fractum adversa videbunt.
Quamque fuit læto per tres infida triumphos,
Tam misero Fortuna minor. Jam pondere fati
Deposito securus abis: nunc tempora læta
Respexisse vacat: spes numquam implenda recessit:
Quid fueris, nunc scire licet. Fuge prælia dira,
Ac testare deos, nullum qui perstet in armis
Jam tibi, Magne, mori: ceu flebilis Africa damnis,
Et ceu Munda nocens, Pharioque a gurgite clades,
Sic & Thessaliæ post te pars maxima pugnæ.
Non jam Pompeji nomen popolare per orbem,
Nec studium belli: sed par, quod sæmper habemus,
Libertas, & Cæsar erunt: teque inde fugato
Ostendit moriens, sibi se pugnasse, senatus.

Nonne juvat pulsum bellis cessisse, nec istud
Prospectasse nefas, spumantes cæde catervas?

Respice turbatos incursu sanguinis amnes,
 Et soceri miserere tui. Quo pectore Romam
 Intrabit campis factus felicior istis?
 Quidquid in ignotis solus regionibus exsul,
 Quidquid sub Phario positus patiete tyranno;
 Cede deis, longo fatorum crede favori,
 Vincere pejus erat. Prohibe lamenta sonare,
 Flere veta populos: lacrimas, luctusque remitte.
 Tam mala Pompeji, quam prospera mundus adoret.
 Adspice securus vultu non supplice reges:
 Adspice possessas urbes, donataque regna,
 Ægypton, Libyenque: & terras elige morti.

Vidit prima tuæ testis Larissa ruinæ
 Nobile, nec victum fati caput: omnibus illa
 Civibus effudit totas per mœnia vires:
 Obvia ceu læto, præmittunt munera flentes:
 Pandunt templa, domos: socios se cladibus optant.
 Scilicet inmenso superest ex nomine multum,
 Teque minor solo: cunctas impellere gentes
 Rursus in arma potes, rursusque in fata redire.
 Sed,, quid opus victo populis, aut urbibus? inquit:
 „Victori præstate fidem.“ Tu Cæsar in alto
 Cædis adhuc cumulo patriæ per viscera vadis:
 At tibi jam populos donat gener. Avehit inde
 Pompejam sonipes: gemitus, lacrimæque sequuntur:
 Plurimaque in sævos populi convicia divos.
 Nunc tibi vera fides quæsi, Magne, favoris

Contigit, ac fructus. Felix se nescit amari.

Cæsar ut Hesperio vidit satis arva natære
Sanguine, parcendum ferro, manibusque suorum
Jam ratus, ut viles animas, perituraque frustra
Agmina permisit vitæ. Sed castra fugatos
Ne revocent, pellatque quies nocturna pavorem;
Protinus hostili statuit succedere vallo;
Dum Fortuna calet, dum conficit omnia terror,
Non veritus grave ne fessis, ac Marte subactis.
Hoc foret imperium. Non magno hortamine miles
In prædam ducendus erat: „ Victoria nobis
„ Plena viri, dixit: superest pro sanguine merces,
„ Quam monstrare meum est: neque enim donare vocabo,
„ Quod sibi quisque dabit. Cunctis en plena metallis
„ Castra patent: raptum Hesperius ex gentibus aurum
„ Hic jacet, Eoasque premunt tentoria gazas.
„ Tot regum Fortuna simul, Magnique coacta
„ Exspectat dominos: propera præcedere miles
„ Quos sequeris: quascumque tuas Pharsalia fecit,
„ A victis rapiantur opes. “ Sic milite jussu,
Impulit amentes, aurique cupidine cæcos
Ire super gladios, supraque eadavera patrum,
Et cæsos calcare duces. Quæ fossa, quis agger
Sustineat belli pretium, scelerumque patentes?
Scire ruunt, quanta fuerint mercede nocentes.
Invenere quidem spoliato plurima mundo
Bellorum in sumtus congestæ pondera massæ:

Sed non implevit cupientes omnia mentes.
 Quidquid fodit Iber, quidquid Tagus expuit auri,
 Quodque legit dives summis Arimaspus arenis
 Ut rapiant, parvo scelus hoc venisse putabunt.
 Quum sibi Tarpejas victor desponderit arces,
 Quum spe Romanæ promiserit omnia prædæ:
 Decipitur, quod castra rapit. Caput impia plebes
 Cespite patricio somnos: stratumque (1) cubile
 Regibus infandus miles premit: inque parentum,
 Inque toris fratrum posuerunt membra nocentes:
 Quos agitat vesana quies, somnique furentes
 Thessaliam miseris versant in pectore pugnam.
 Invigilat cunctis sævum scelus, armaque tota
 Mente agitant. Capuloque manus absente moventur.
 Ingemuisse putes campos, terramque nocentem
 Inspirasse animas, infectumque aera totum
 Manibus, & Stygia superam formidine noctem.
 Exigit a miseris tristes victoria pœnas,
 Sibilaque & flammæ infert sopor: umbra peremti
 Civis adest: sua quemque premit terroris imago.
 Ille senum vultus, juvenum videt ille figuram:
 Hunc agitant totis fraterna cadavera somnis:
 Pectore in hoc pater est: omnes in Cæsare manes.
 Haud alios Scythica nondum purgatus in ara
 Eumenidum vidit vultus Pelopeus Orestes:

(1) vacuumque *vulgo*. cæcumque, cæsumque, cassumque
MSS. var.

Nec magis adtonitos animi sensere tumultus,
 Quum fureret, Pentheus; aut quum desisset (1), Agave.
 Hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia vidit,
 Aut ultrix visura dies, stringente senatu,
 Illa nocte premunt: hunc infera monstra flagellant.
 Et quantum misero pœnæ mens conscia donat,
 Quod Styga, quod manes, ingestaque (2) Tartara somnis
 Pompejo vivente videt! Tamen omnia passo
 Postquam clara dies Pharsalia damna retextit,
 Nulla loci facies revocat feralibus arvis
 Hærentes oculos. Cernit propulsa cruore
 Flumina, & excelsos cumulis æquantia colles
 Corpora, sidentes in tabem spectat acervos,
 Et Magni numerat populos: epulisque paratur
 Ille locus, vultus ex quo faciesque jacentum
 Agnoscat. Juvat Emathiam non cernere terram,
 Et lustrare oculis campos sub clade latentes:
 Fortunam, superosque suos in sanguine cernit.
 Ac ne læta furens scelerum spectacula perdat,
 Invidet igne rogi miseris, cœloque nocenti
 Ingerit Emathiam. Non illum Pœnus humator
 Consulis, & Libya succensæ lampade Cannæ
 Compellunt, hominum ritus ut servet in hoste:
 Sed meminit nondum saturata cœdibus ira,
 Cives esse suos. Petimus non singula busta,

{1} descisset, sævisset, dedisset *MSS. var.*

{2} infestaque *vulgo.*

Discretosque rogos: unum da gentibus ignem:
 Non interpositis urantur corpora flammis.
 Aut generi si pœna juvat, nemus exstrue Pindi:
 Erige congestas Etæo robore silvas,
 Thessaliam videat Pompejus ab æquore flammam.
 Nil agis hac ira: tabesne cadavera solvat,
 An rogos, haud refert: placido natura receptat
 Cuncta sinu, finemque sui sibi corpora debent.
 Hos, Cæsar, populos si nunc non usserit ignis,
 Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.
 Communis mundo superest rogos, ossibus astra
 Mixturus. Quocumque tuam Fortuna vocabit (1),
 Hæ quoque eunt animæ. Non altius ibis in auras,
 Non meliore loco Stygia sub nocte jacebis.
 Libera Fortunæ mors est: capit omnia tellus
 Quæ genuit: cœlo tegitur, quod non habet urnam.
 Tu, cui dant pœnas inhumato funere gentes,
 Quid fugis hanc cladem? quid olentes deseris agros?
 Has trahe Cæsar aquas: hoc, si potes, utere cœlo.
 Sed tibi tabentes populi Pharsalia rura
 Eripiunt, camposque tenent victore fugato.
 Non solum Hæmonii funesta ad pabula belli
 Bistonii venere lupi, tabemque cruentæ
 Cædis odorati Pholoen liquere leones.
 Tunc ursæ latebras, obscœni tecta, domusque

(1) locabit MSS. plures.

Deseruere canes, & quidquid nare sagaci
 Aera non sanum, motumque cadavere (1) sentit.
 Jamque diu volucres civilia castra secutæ
 Conveniunt. Vos, quæ Nilo mutare soletis
 Threicias hyemes, ad mollem serius austrum
 Istis aves. Numquam tanto se vulture cælum
 Induit, aut plures presserunt aera pinnæ.
 Omne nemus misit volucres, omnisque cruenta
 Alite sanguineis stillavit roribus arbor.
 Sæpe super vultus victoris, & impiâ signa
 Aut cruor, aut alto defluxit ab æthere tabes,
 Membraque dejecit jam lassis unguibus ales.
 Sic quoque non omnis populus pervenit ad ossa,
 Inque feras discerptus abit: non intima curant
 Viscera, nec totas (2) avidè sorbere medullas:
 Degustant artus. Latiae pars maxima turbæ
 Fastidita jacet; quam sol, nimbiq̃ue, diesque
 Longior Emathiis resolutam miscuit arvis.
 Thessalia infelix quo tanto crimine tellus
 Læsisti superos, ut te tot mortibus unam,
 Tot scelerum fatis premerent? quod sufficit ævum,
 Inmemor ut donet belli tibi damna vetustas?
 Quæ seges infecta (3) surget non decolor herba?
 Quo non Romanos violabis vomere manes?

(1) cadavera MS. & *Lucret.*

(2) nec telas MS.

(3) infecta MSS. tres.

Ante novæ venient acies, scelerique secundo
Præstabis nondum siccos hoc sanguine campos.
Omnia majorum vertamus busta licebit,
Et stantes tumulos, & qui radice vetusta
Effudere suas, victis compagibus, urnas:
Plus cinetum Hæmoniaë sulcis telluris aratur,
Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa.
Nullus ab Emathio religasset litore funem
Navita, nec terram quisquam movisset arator,
Romani bustum populi: fugerentque coloni
Umbrarum campos, gregibus dumeta carerent:
Nullusque auderet pecori permittere pastor
Vellere surgentem de nostris ossibus herbam;
Ac, velut impatiens hominum, vel solis iniqui
Limite, vel glacie, nuda atque ignota jaceres,
Si non prima nefas belli, sed sola tulisses.
O superi, liceat terras odisse nocentes.
Quid totum premitis, quid totum absolvitis orbem?
Hesperiaë clades, & flebilis unda Pachyni,
Et Mutina, & Leucas puros fecere Philippos.





LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM.

*Continet Octavus rate Lesbi litora natum,
 Conjugis exanimæ refoventem pectora Magnum.
 Tum circumfusas abeuntem flere catervas,
 Bella quoque in partes deposcere Cæsarianas.
 Inde, recollectos dum consulit illa sodales,
 Quærit & in Parthos fugiendi flectere calles,
 Murmure cunctorum cœptum damnare coactus,
 Tendit in Ægyptum fatis urgentibus actus.
 Rex puer a prævis monitoribus expavesactus
 Ad scelus infandum ruit ilicet inrevocatus.
 Regni patronum capitis discrimine plectit,
 Victoriq; nefas, quasi munus, reddere gestit.*

JAM super Herculeas fauces, nemorosaque Tempe,
 Hæmoniaë deserta petens dispendia silvæ,
 Cornipedem exhaustum cursu, stimulisque negantem
 Magnus agens, incerta fugæ vestigia turbat,

Implicitasque errore vias. Pavet ille fragorem
 Motorum ventis nemorum, comitumque suorum,
 Qui post terga redit; trepidum, laterique timentem
 Exanimat. Quamvis summo de culmine lapsus,
 Nondum vile sui pretium scit sanguinis esse,
 Seque metnor fati tantæ mercedis habere
 Credit adhuc jugulum, quantum pro Cæsaris ipse
 Avulsa cervicæ daret. Deserta sequentem
 Non patitur tutis fatum celare latebris
 Clara viri facies. Multi Pharsalia castra
 Quum peterent, nondum fama prodente ruinas,
 Occursum stupuere ducis, vertigine rerum
 Adtoniti: cladisque suæ vix ipse fidelis
 Auctor erat. Gravis est Magno, quicumque malorum
 Testis adest. Cunctis ignotus gentibus esse
 Mallet, & obscuro tutus transire per urbes (1)
 Nomine: sed longi pœnas Fortuna favoris
 Exigit a misero, quæ tanto pondere famæ
 Res premit adversas, fatisque prioribus urguet.
 Nunc festinatos nimium sibi sentit honores,
 Actaque lauriferæ damnat Sullana juventæ.
 Nunc & Corycias classes, & Pontica signa
 Dejectum meminisse piget. Sic longius ævum
 Destruit (2) ingentes animos, & vita superstes
 Imperio. Nisi summa dies cum fine bonorum

(1) per orbem *vulgo*.

(2) deserit *MSS. tres*.

Adfuit, & celeri prævertit tristia leto,
Dedecori est Fortuna prior. Quisquamne secundis
Tradere se fatis audet, nisi morte parata?
Litora contigerat, per quæ Penejus amnis
Emathia jam clade rubens exibat in æquor.
Inde ratis trepidum ventis, ac fluctibus impar,
Flumineis vix tuta vadis evexit in altum:
Cujus adhuc remis quatitur Corcyra, sinusque
Leucadii. Cilicum dominus, terræque Liburnæ,
Exiguam vector pavidus correpsit in alnum.
Conscia curarum secreta in litora Lesbi
Flectere vela jubes, qua tunc tellure latebas
Mœstior, in mediis quam si, Cornelia, campis
Emathiæ stares. Tristes præsagia curas
Exagitant: trepida quatitur formidine somnus:
Thessalam nox omnis habet: tenebrisque remotis
Rupis in abruptæ scopulos, extremaque curris
Litora prospiciens fluctus: nutantia longe
Semper prima vides venientis vela carinæ,
Quærere nec quidquam de fato conjugis audes.
En ratis, ad vestros quæ tendit carbasa portus
Quid ferat ignoras: & nunc tibi summa pavoris,
Nuntius armorum tristis, rumorque sinister.
Victus adest conjux. Quid perdis tempora luctus?
Quum possis jam flere, times. Tunc puppe propinqua
Prosiluit, crimenque deûm crudele notavit,
Deformem pallore ducem, vultusque prementem

Canitie, atque atro squalentes pulvere vestes.
Obvia nox miseræ cœlum, lucemque tenebris
Abstulit, atque animam clausit dolor: omnia nervis
Membra relicta labant: riguerunt corda, diuque
Spe mortis decepta jacet. Jam fune ligato
Litoribus, lustrat vacuas Pompejus arenas.
Quem postquam famulæ propius videre fideles,
Non ultra gemitus tacitos incessere fatum
Permiserè sibi, frustra que adtollere terra
Semianimem conantur heram: quam pectore Magnus
Ambit, & adstrictos refovet complexibus artus.
Cœperat in summum revocato sanguine corpus
Pompeji sentire manus, mœstamque mariti
Posse pati faciem: prohibet succumbere fatis
Magnus, & inmodicos castigat voce dolores.

„Nobile cur robur Fortunæ vulnere primo,
„Femina, tantorum titulis insignis avorum
„Frangis? Habes aditum mansuræ in sæcula famæ,
„Laudis in hoc sexu, non legum jura, neque arma,
„Unica materia est conjux miser. Erige mentem,
„Et tua cum fatis pietas decertet, & ipsum,
„Quod sum victus, ama: nunc sum tibi gloria major,
„A me quod fascēs, & quod pia turba senatus,
„Tantaque discessit regum manus: incipe Magnum
„Sola sequi. Deformis, adhuc vivente marito,
„Summus, & augeri vetitus dolor: ultima debet
„Esse fides, lugere virum. Tu nulla tulisti

„Bello damna meo. Vivit post prœlia Magnus,
 „Sed Fortuna perit: quod defles, illud amasti.“

Vocibus his correpta viri, vix ægra levavit
 Membra solo, tales gemitu rumpente querelas:
 „O utinam in thalamos invisi Cæsaris issem
 „Infelix conjux, & nulli læta marito!
 „Biſ nocui mundo: me pronuba ducit Erinnyſ,
 „Crassorumque umbræ, devotaque manibus illis
 „Assyrios in castra tuli civilia casus:
 „Præcipitesque dedi populos, cunctosque fugavi
 „A. caussa meliore deos. O maxime conjux,
 „O thalamis indigne meis, hoc juris habebat
 „In tantum Fortuna caput! cur impia nupsi,
 „Si miserum factura fui? nunc accipe pœnas,
 „Sed quas sponte luam. Quo sit tibi mollius æquor,
 „Certa fides regum, totusque paratior orbis,
 „Spargere mari comitem. Mallem felicibus armis
 „Dependisse (1) caput: nunc clades denique lustra
 „Magne tuas. Ubicumque jaces civilibus armis
 „Nostros ulta toros, ades huc, atque exige pœnas,
 „Julia crudelis, placataque pellice cæsa,
 „Magno parce tuo.“ Sic fata, iterumque refusa
 Conjugis in gremium, cunctorum lumina solvit
 In lacrimas. Duri flectuntur pectora Magni,
 Siccaque Thessaliæ confudit lumina Lesbos.
 Tunc

(1) deprendisse, dispendisse MSS.

Tunc Mitylenæum pleno jam litore vulgus
 Adfatur Magnum: „Si maxima gloria nobis
 „Semper erit tanti pignus servasse mariti,
 „Tu quoque devotos sacro tibi fœdere muros,
 „Oramus, sociosque lares dignare vel una
 „Nocte tua: fac Magne locum, quem cuncta revisant.
 „Sæcula; quem veniens hospes Romanus adoret.
 „Nulla tibi subeunda magis sunt mœnia victo.
 „Omnia victoris possunt sperare favorem:
 „Hæc jam crimen habent. Quid, quod jacet insula ponto,
 „Cæsar eget ratibus? Procerum pars magna coibit
 „Certa loci. Noto reparandum est litore fatum.
 „Accipe templorum cultus, aurumque deorum:
 „Accipe, si terris, si puppibus ista juvenus
 „Aptior est: tota, quantum valet, utere Lesbo.
 „(Accipe: ne Cæsar rapiat, tu victus habeto.)
 „Hoc solum crimen meritæ bene detrahe terræ,
 „Ne nostram videre fidem felixque secutus,
 „Et damnasse miser.“ Tali pietate virorum
 Lætus, in adversis, & mundi nomine gaudens,
 Esse fidem: „Nullo toto mihi, dixit, in orbe
 „Gratius esse solum, non vobis pignore parvo
 „Ostendi. Tenuit nostros hac obside Lesbos
 „Adfectus: hic sacra domus, carique (1) penates,
 „Hic mihi Roma fuit. Non ulla in litora puppim

(1) darique *Ald. & Junt.*

„Ante dedi fugiens, sævi quum Cæsaris iram
 „Jam scirem meritam, servata conjuge, Lesbos,
 „Non veritus tantam veniæ committere vobis
 „Materiem. Sed jam satis est fecisse nocentes:
 „Fata mihi totum mea sunt agitanda per orbem.
 „Heu nimium felix æterno nomine Lesbos!
 „Sive doces populos, Regesque admittere Magnum,
 „Seu præstas mihi sola fidem. Nam quærere certum est
 „Fas quibus in terris, ubi sit scelus. Accipe numen,
 „Si quod adhuc mecum es, votorum extrema meorum.
 „Da similes Lesbo populos, qui Marte subactum
 „Non intrare suos, infesto Cæsare, portus,
 „Non exire vetent.“ Dixit, inæstamque carinæ
 Imposuit comitem. Cunctos mutare putares
 Tellurem, patriumque solam: sic litore toto
 Plangitur, infestæ tenduntur in æthera dextræ:
 Pompejumque minus, cuius Fortuna dolorem
 Moverat, ast illam, quam toto tempore belli
 Ut civem videre suam, discedere cernens
 Ingemuit populus: quam vix si castra mariti
 Victoris peteret, siccis dimittere matres
 Jam poterant oculis: tanto devinxit amore
 Hos pudor, hos probitas, castique modestia vultus,
 Quod submissa nimis; nulli gravis hospita turbæ,
 Stantis adhuc fati vixit quasi conjuge victo.

Jam pelago medios Titan demissus ad ignes,
 Nec quibus abscondit, nec si quibus exerit orbem,

Totus erat: vigiles Pompeji pectore curæ
 Nunc socias adeunt Romani fœderis urbes,
 Et varias régum mentes, nunc inavia mundi
 Arva super nimios soles, Austrumque jacentes.
 Sæpe labor mœstus curarum, odiumque futuri
 Projecit fessos incerti pectoris æstus,
 Rectoremque ratis de cunctis consulit astris:
 Unde notet terras; quæ sit mensura secandi
 Æquoris in cœlo; Syriam quo sidere servet:
 Aut quotus in plastro Libyen bene dirigat ignis.
 Doctus ad hæc fatur taciti servator Olympi:
 „Signifero quæcumque fluunt labentia cœlo
 „Numquam stante polo, miseros fallentia nautas
 „Sidera non sequimur: sed qui non mergitur undis
 „Axis innociduus, gemina clarissimus Arcto,
 „Ille regit puppes. Hic quum mihi semper in altum
 „Surget, & instabit summus minor Ursa ceruchis;
 „Bosporon, & Scythiæ curvantem litora pontum
 „Spectamus. Quidquid descendet ab arbore summa
 „Arctophylax, propiorque mari Cynosura feretur,
 „In Syriæ portus tendit ratis. Inde Canopus
 „Excipit Australi cœlo contenta vagari,
 „Stella timens Borean: illa quoque pergo⁽¹⁾ sinistra,
 „Trans Phæron, in medio tanget ratis æquore Syrtin.
 „Sed quo vela dari, quo nunc pede carbasa tendi.

(1) perge *vulgo*. parte, parte *MSS.*

„Nostra jubes?“ dubio contra cui pectore Magnus,
 „Hoc solum toto, respondit, in æquore (1) serva,
 „Ut sit ab Emathiis semper tibi longius oris
 „Puppis, & Hesperien pelago, cœloque relinquo:
 „Cetera da ventis. Comitem, pignusque recepi
 „Depositum: tunc certus eram, quæ litora vellem;
 „Nunc portum Fortuna dabit.“ Sic fatur: at ille
 Justo vela modo pendentia cornibus æquis
 Torsit, & in lævum puppim dedit, utque secaret,
 Quas Samiæ (2) cautes, & quas Chios asperat, undas,
 Hos dedit in proram, tenet hos in puppe rudentes.
 Æquora senserunt motus, aliterque secante
 Jam pelagus rostro, nec idem spectante carina,
 Mutavere sonum. Non sic moderator equorum,
 Dexteriore rota lævum quàm circumit axem,
 Cogit inoffensæ currus accedere metæ.
 Ostendit terras Titan, & sidera textit.
 Sparsus ab Emathia fugit quicumque procella,
 Adsequitur Magnum: primusque ab litore Lesbi
 Occurrit natus, procerum mox turba fidelis.
 Nam neque dejecto fatis, acieque fugato
 Abstulerat Magno reges Fortuna ministros.
 Terrarum dominos, & sceptrâ Eoa tenentes
 Exsul habet comites. Jabet ire in devia mundi
 Dejotaram, qui sparsa ducis vestigia legit.

(1) ab æquore *MSS. probati.*

(2) Asiæ, Sasinæ, Asinæ *MSS.*

„Quandò, ait, Emathiis amissus cladibus orbis
 „Qua Romanus erat, superest, fidissime regum,
 „Eoam tentare fidem, populosque bibentes
 „Euphraten, & adhuc securum a Cæsare Tigrin;
 „Nec pigeat Magnò quærentem fata remotas
 „Medorum penetrare domus, Scythiosque recessus,
 „Et totum mutare diem, vocesque superbo
 „Arsacidæ perferre meas: Si fœdera nobis
 „Prisca manent, mihi per Latium jurata Tonantem,
 „Per vestros adstricta magos, impletè pharétras,
 „Armeniosque arcus Geticis intendite nervis:
 „Si vos, o Parthi, peterem quum Caspia claustra,
 „Et sequerer duros æterni Martis Alanos,
 „Passius Achæmeniis late discurrere campis,
 „In tutam trepidos numquam Babylona coegi:
 „Arva super Cyri, Chaldæique ultima regni,
 „Qua rapidus Ganges, & qua Nysæus Hydaspes
 „Accedunt pelago, Phœbi surgentis ab igne
 „Jam propior, quam Persis, eram: tamen omnia vincens
 „Sustinui nostris vos tantum decesse triumphis:
 „Solutusque e numero regum telluris Eoæ,
 „Ex æquo me Parthus adit. Nec munere Magni
 „Stant semel Arsacidæ: Quis enim post vulnera cladi
 „Assyriæ justas Latii compescuit iras?
 „Tot meritis obstricta meis, nunc Parthia ruptis
 „Excedat claustris vetitam per sæcula ripam,
 „Zeugmaque Pellazum. Pompejo vincite Parthi;

„Vinci Roma volet.“ Regem parere iubenti
 Ardua non piguit, positisque insignibus aulæ
 Egreditur famuli raptos indutus amictus.
 In dubiis tutum est inopem simulare tyranno.
 Quantum (1) igitur mundi dominis securius ævum
 Verus pauper agit! dimisso in litora rege,
 Ipse per Icarie scopulos, Ephesonque relinquens,
 Et placidi Colophona maris, spumantia parvas
 Radit saxa Sami: spirat de litore Coo
 Aura fluens: Gnidos inde fugit, claramque relinquit
 Sole Rhodon, magnosque sinus Telmessidos undæ
 Compensat medio pelago. Pamphylia puppi
 Occurrit tellus: nec se committere muris
 Ausus adhuc ullis, te primum, parva Phaseli,
 Magnus adit. Nam te metui vetat incola rarus,
 Exhaustæque domus populis; maiorque carinæ
 Quam tua turba fuit. Tendens hinc carbasa rursus
 Jam Taurum, Tauroque videt Dipsunta cadentem.
 Crederet hoc Magnus, pacem quum præstitit undis
 Et sibi consultum? Cilicem per litora tutus:
 Parva puppe fugit: sequitur pars magna senatus
 Ad profugum collecta ducem: parvisque Syedris,
 Qua portu mittitque rates recipitque Selinus,
 In Procerum cœtu tandem mœsta ora resolvit
 Vocibus his Magnus: „Comites bellicæ; fugæque,

(1) quantum ex MSS. quanto vulgo.

„Atque instar patriæ, quamvis in litore nudo,
 „In Cilicum terra, nullis circumdatus armis
 „Consultem, rebusque novis (1) exordia quæram,
 „Ingentes præstate animos: non omnis in arvis
 „Emathiis cecidi, nec sic mea fata premuntur,
 „Ut nequeam relevare caput, cladesque receptas
 „Excutere. An Libyæ Marium potuere ruinæ
 „Erigere in fasces, plenis & reddere fastis:
 „Me pulsum leviori manu Fortuna tenebit?
 „Mille meæ Grajo volvuntur in æquore puppes,
 „Mille duces: sparsit potius Pharsalia nostras,
 „Quam subvertit opes. Sed me vel sola tueri
 „Fama potest rerum, toto quas gessimus orbe,
 „Et nomen, quod mundus amat. Vos pendite regna
 „Viribus, atque fide, Libyen, Parthosque, Pharonque,
 „Quænam Romanis deceat succurrere rebus,
 „Ast ego curarum, vobis, arcana mearum
 „Expromam, mentisque meæ quo pondera vergant.
 „Ætas Niliaci nobis suspecta tyranni est:
 „Ardua quippe fides robustos exigit annos.
 „Hinc anceps dubii terret sollertia Mauri:
 „Namque memor generis Carthaginis impia proles
 „Inminet Hesperiae, multusque in pectore vano est
 „Hannibal, obliquo maculat qui sanguine regnum,
 „Et Numidas contingit avos: jam supplice Varo

(1) meis plerique MSS. & edd. rest.

„Intumuit, viditque loco Romana secundo.
„Quare agite, Eoum, comites, properemus in orbem.
„Dividit Euphrates ingentem gurgite mundum,
„Caspiaque inmensos seducunt claustra recessus,
„Et polus Assyrias alter noctesque, diesque
„Vertit, & abruptum est nostro mare discolor unda,
„Oceanusque suus. Regnandi sola voluptas.
„Celsior in campis sonipes, & fortior arcus;
„Nec puer aut senior letales tendere nervos
„Segnis, & a nulla mors est incerta sagitta.
„Primi Pellæas arcu fregere sarissas,
„Bactraque Medorum sedem, murisque superbam
„Assyrias Babylona domus. Nec pila timentur
„Nostra nimis Parthis, audentque in bella venire,
„Experti Scythicas, Crasso pereunte, pharetras.
„Spicula nec solo spargunt fidentia ferro;
„Stridula sed multo saturantur tela veneno.
„Vulnera parva nocent, fatumque in sanguine summo est.
„O utinam non tanta mihi fiducia sævis
„Esset in Arsacidis! fatis nimis æmula nostris
„Fata movent Medos, multumque in gente deorum est,
„Effundam populos alia tellure revulsos,
„Excitosque suis inmittam sedibus ortus.
„Quod si nos Eoa fides, & Barbara fallunt
„Fœdera; vulgati supra commercia mundi
„Naufragium Fortuna ferat. Non regna precabor,
„Quæ feci; sed magna feram solatia mortis

„Orbe jacens alio, nihil hæc in membra cruenta,
 „Nil socerum fecisse pie. Sed cuncta revolvens
 „Vitæ fata meæ, semper venerabilis illa
 „Orbis parte fui: quantus Mæotida supra!
 „Quantus apud Tanain toto conspectus in ortu!
 „Quas magis in terras nostrum felicibus actis
 „Nomen abit, aut unde redit majore triumpho?
 „Roma, fave cœptis? quid enim tibi lætius umquam
 „Præstiterint superi, quam, si civilia Partho
 „Milite bella geras, tantam consumere gentem,
 „Et nostris miscere malis? Quum Cæsaris arma
 „Concurrent Medis, aut me Fortuna necesse est
 „Vindicet, aut Crassos. “ Sic fatus, murmure sentit
 Consilium dampnasse viros: quos Lentulus omnes
 Virtutis stimulis, & nobilitate dolendi
 Præcessit, dignasque tulit modo consule voces:
 „Siccine Thessaliæ mentem fregere ruinæ?
 „Una dies mundi damnavit fata? secundum
 „Emathiam lis tanta datur? jacet omne cruenti
 „Vulneris auxilium? solos tibi, Magne, reliquit
 „Parthorum Fortuna pedes? quid transfuga mundi
 „Terrarum totos tractus, cœlumque perosus
 „Aversosque (1) polos, alienaque sidera quæris,
 „Chaldæos culture focos & barbara sacra
 „Parthorum famulus? quid caussa obtenditur armis.

(1) adversosque *vulgo*.

„Libertatis amor? miserum quid decipis orbem,
„Si servire potes? te, quem Romana regentem
„Horruit auditu, quem captos ducere reges
„Vidit ab Hyrcanis, Indoque ab litore, silvis,
„Dejectum fatis, humilem fractumque videbit,
„Extolletque animos Latium vesanus in orbem,
„Se simul, & Romam, Pompejo supplice, mensus?
„Nil animis, fatisque tuis effabere dignum:
„Exiget ignorans Latiae commercia linguae,
„Ut lacrimis se, Magne, roges. Patimurne pudoris
„Hoc vulnus, clades ut Parthia vindicet ante
„Hesperias, quam Roma suas? civilibus armis
„Elegit te nempe ducem: Quid vulnera nostra
„In Scythios spargis populos, cladesque latentes?
„Quid Parthos transire doces? solatia tanti
„Perdit Roma mali, nullos admittere reges,
„Sed civi servire suo. Juvat ire per orbem
„Ducentem sævas Romana in moenia gentes,
„Signaque ab Euphrate cum Crassis capta sequentem?
„Qui solus regum, fato celante favorem,
„Defuit Emathiae, nunc tantas ille lacesset
„Auditi victoris opes, aut jungere fata
„Tecum, Magne, volet? non hæc fiducia genti est.
„Omnis in Arctoïs populus quicumque pruinis
„Nascitur, indomitus bellis, & mortis amator.
„Quidquid ad Eoos tractus, mundique teporem
„Labitur, emollit gentes clementia cœli.

„ Illic & laxas vestes, & fluxa virorum
 „ Velamenta vides, Parthus per Media rura,
 „ Sarmaticos inter campos, effusaque plano
 „ Tigridis arva solo nullo superabilis hosti est:
 „ Libertate fugæ: sed non, ubi terra tacebit,
 „ Aspera conscendit montis iuga; nec per opacas
 „ Bella gerit tenebras incerto debilis arcu,
 „ Nec frangit nando violenti verticis (1) annem,
 „ Nec tota in pugna perfusus sanguine membra
 „ Exigit æstivum calido sub pulvere solem.
 „ Non aries illis, non ulla est machina belli:
 „ Haud fossas implere valent: Parthoque sequente
 „ Murus erit, quodcumque potest obstare sagittæ,
 „ Pugna levis, bellumque fugax, turmæque vagantes,
 „ Et melior cessasse loco, quam pellere, miles.
 „ Illita tela dolis, nec Martem comminus unquam
 „ Ausa pati virtus, sed longe tendere nervos,
 „ Et, quo ferro velint, permittere vulnere ventis.
 „ Ensis habet vires, & gens quocumque virorum est
 „ Bella gerit gladiis, nam Medos prælia prima
 „ Exarant, vacuæque iubent remeare pharetræ.
 „ Nulla manus illis, fiducia tota veneni est:
 „ Credis, Magne, vires, quos in discrimina belli
 „ Cum ferro misisse parum est? tentare pudendum
 „ Auxilium tanti est, toto divisus ut orbe

(1) vorticis MSS. plures. gurgitis alius.

- „A terra moriari tua? tibi barbara tellus
 „Incumbat, te parva tegant, ac viha busta,
 „Invidiosa tamen, Crasso quærente sepulcrum?
 „Sed tua sors levior, quoniam mors ultima pœna,
 „Nec metuenda viris. At non Cornelia letum
 „Infando sub rege timet. Num barbara vobis
 „Est ignota Venus, quæ ritu cæca ferarum
 „Polluit innumeris leges, & foedera tedæ
 „Conjugibus, thalamique patent secreta nefandi?
 „Inter mille nurus epulis vesana, meroque
 „Regia non ullos exceptos legibus horret (1)
 „Concubitus: tot femineis complexibus unum
 „Non lassat nox tota marem. Jacuere sorores
 „In regum (2) thalamis, sacrataque pignora matres
 „Damnat apud gentes sceleris non sponte peracti
 „Œdipodionidas infelix fabula Thebas:
 „Parthorum dominus quoties sic sanguine mixto
 „Nascitur Arsacides? cui fas implere parentem,
 „Quid rear esse nefas? proles tam clara Metelli
 „Statit barbarico conjux millesima læto.
 „Quamquam non ulli plus regia, Magæ, vacabit
 „Sævitia stimulata Venas, titulisque virorum.
 „Nam quo plura juvent Parthum portenta, fuisse
 „Haud sciet & Crassi: ceu pridem debita fatis
 „Assyriis, trahitur cladis captiva vetustæ.

(1) audet *edd. Ald. & Junt.*

(2) fratrum *MSS. aliquot.*

„ Hæreat Eoæ vulnus miserabile sortis;
 „ Non solum auxilium funesto ab rege petisse,
 „ Sed gessisse prius bellum civile pudebit.
 „ Nam quod apud populos crimen socerique, tuumque
 „ Majus erit, quam quod vobis miscentibus arma,
 „ Crassorum vindicta perit? incurrere cuncti
 „ Debuerant in Bactra duces, & ne qua vacarent
 „ Arma, vel Arctoum Dacis, Rhenique catervis
 „ Imperii nudare latus, dum perfida Susa
 „ In tumulos prolapsa virum, Babylonque jacerent (1).
 „ Assyriæ paci finem, Fortuna, precamur.
 „ Et, si Thessaliæ bellum civile peractum est,
 „ Ad Parthos, qui vicit, eat. Gens unica mundi est,
 „ De qua Cæsareis possim gaudere triumphis.
 „ Non tibi, quum gelidum primum transibis Araxen,
 „ Umbra senis mœsti Scythicis confixa sagittis
 „ Ingeret has voces? Tu, quem post funera nostra
 „ Ultorem cinerum nudæ speravimus umbræ,
 „ Ad foedus, pacemque venis? Tum plurima cladis
 „ Occurrent monumenta tibi: quæ mœnia trunci,
 „ Lustrarunt cervice duces, ubi nomina tanta
 „ Obruit Euphrates, & nostra cadavera Tigris
 „ Detulit in terras, ac reddidit. Ire per ista
 „ Si potes, in media socerum quoque, Magne, sedentem
 „ Thessaliâ placare potes. Quin respicis orbem

(1) jaceret plurimi MSS. & edd.

„Romanum? si regna times projecta sub Austro,
 „Infidamque Jubam, petimus Pharon, arvaque Lagi.
 „Syrtibus hinc Libycis tuta est Ægyptos: at inde
 „Gurgite septeno rapidus mare submovet amnis:
 „Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
 „Aut Jovis: in solo tanta est fiducia Nilo.
 „Sceptra puer Ptolemæus habet tibi debita, Magne,
 „Tutelæ commissa tuæ. Quis nominis umbram
 „Horreat? innocua est ætas: ne jura fidemque,
 „Respectumque deum veteris speraveris aulæ.
 „Nil pudet aduictos sceptris: mitissima sors est
 „Regnorum sub rege novo.“ Non plura locutus
 Impulit huc animos. Quantum spes ultima rerum
 Libertatis habes! victa est sententia Magni.
 Tunc Cilicum liquere solum, Cyproque citatas
 Inmisere rates, nullas cui prætulit aras
 Undæ diva memor Paphiæ, si numina nasci
 Credimus, aut quemquam fas est cœpisse deorum.
 Hæc ubi deseruit Pompejus litora, totos
 Emensus Cypri scopulos, quibus exit in Austrum,
 Inde maris vasti transverso nititur (1) æstu:
 Nec tenuit gratam nocturno lumine Pharon,
 Infimaque Ægypti pugnaci litora velo
 Vix tetigit, qua dividui pars maxima Nili
 In vada decurrit Pelusia septimus annis.

(1) vertitur MSS. & edd. fere omnes.

Tempus erat, quo Libra pares examinat horas
Non una plus æqua die, noctique rependit
Lux minor hybernæ verni solatia damni.
Comperit ut regem Casio se monte tenere,
Flectit iter: nec Phœbus adhuc, nec carbasa languent.
Jam rapido speculator eques per litora cursu
Hospitis adventu pavidam compleverat aulam.
Consiliis vix tempus erat: tamen omnia monstra
Pellææ coiere domus: quos inter Achoreus
Jam placidus senio, fractisque modestior annis,
(Hunc genuit custos Nili crescentis in arva
Memphis vana sacris; illo cultore deorum
Lustra suæ Phœbes non unus vixerat (1) Apis)
Consilii vox prima fuit, meritumque, fidemque,
Sacraque defuncti jactavit pignora patris.
Sed melior suadere malis, & nosse tyrannos,
Ausus Pompejum leto damnare Pothinus:
„Jus, & fas multos faciunt, Ptolemæe, nocentes.
„Dat pœnas laudata fides, quum sustinet, inquit,
„Quos Fortuna premit. Fatis accede, deisque,
„Et cole felices, miseros fuge. Sidera terræ
„Ut distant, ut flamma mari, sic utile recto.
„Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa
„Incipit: evertitque arces respectus honesti.
„Libertas scelorum est, quæ regna invisa tuetur,

(1) vexerat MSS. & add. permittit.

„Sublatusque modus gladiis. Facere omnia sæve
 „Non impune licet, nisi quum facis. Exeat aula
 „Qui volet (1) esse pius. Virtus, & summa potestas
 „Non coeunt: semper metuet, quem sæva pudebunt.
 „Non impune tuos Magnus contemserit annos;
 „Qui te nec victos arcere ab litore nostro
 „Posse putat. Neu te sceptris privaverit hospes,
 „Pignora sunt propiora tibi: Nilonque, Pharonque,
 „Si regnare piget, damnatæ redde sorori.
 „Ægypton certe Latiis tueamur ab armis.
 „Quidquid non fuerit Magni, dum bella geruntur,
 „Nec victoris erit. Toto jam pulsus ab orbe,
 „Postquam nulla manet rerum fiducia, quærit
 „Cum qua gente cadat: rapitur civilibus umbris.
 „Nec soceri tantum arma fugit: fugit ora senatus,
 „Cujus Thessalias saturat pars magna volucres.
 „Et metuit gentes, quas uno sanguine mixtas
 „Deseruit: regesque timet, quorum omnia mersit:
 „Thessaliæque reus, nulla tellure receptus,
 „Sollicitat nostrum, quem nondum prodidit, orbem.
 „Justior in Magnum nobis, Ptolemæe, querelæ
 „Causa data est. Quid sepositam, semperque quietam
 „Crimine bellorum maculas Pharon, arvaque nostra
 „Victori suspecta facis? cur sola cadenti
 „Hæc placuit tellus, in quam Pharsalia fata
 „Con-

(1) vult MSS. plerique, Priscian. Salisb.

„Conferres, pœnasque tuas? jam crimen habemus
 „Purgandum gladio, quod nobis sceptrâ senatus
 „Te suadente dedit. Votis tua fovimus arma.
 „Hoc ferrum, quod fata jubeant proferre, paravi
 „Non tibi, sed victo. Feriam tua viscera, Magne:
 „Malueram soceri: rapimur, quo cuncta feruntur.
 „Tene mihi dubitas an sit violare necesse,
 „Quum liceat? nostri quæ te fiducia regni
 „Huc agit infelix? populum non cernis inermem,
 „Arvaque vix refugo fodientem mollia Nilo?
 „Metiri sua regna decet viresque fateri.
 „Tu Ptolemæe potes Magni fulcire ruinam,
 „Sub qua Roma jacet? bustum, cineresque movere
 „Thessalios audes, bellumque in regna vocare?
 „Ante aciem Emathiam nullis accessimus armis:
 „Pompeji nunc castra placent, quæ deserit orbis?
 „Nunc victoris opes, & cognita fata lacessis?
 „Adversis non deesse decet, sed læta secutos (1).
 „Nulla fides umquam miseros elegit amicos.“

Adsensere omnes sceleri. Lætatur honore
 Rex puer insueto, quod jam sibi tanta jubere
 Permittant famuli. Sceleri delectus Achillas.
 Perfida qua tellus Casii excurrit (2) arenis,
 Et vada testantur junctas Ægyptia Syrtes,
 Exiguam sociis monstri, gladiisque carinam

(1) secutis *Membrana vet.*

(2) exsultat *MSS. novemdec.*

Instruit. O superi, Nilusne, & barbara Memphis,
 Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi
 Hos animos! sic fata premunt civilia mundum!
 Sic Romana jacent! illasne in cladibus istis
 Est locus Aegypti, Phariisque admittitur ensis?
 Hanc certe servate fidem civilia bella:
 Cognatas praestate manus, externaque monstra
 Pellite, si meruit tam claro nomine Magnus
 Caesaris esse nefas. Tanti Ptolemaee ruinam
 Nominis haud metuis? caeloque tonante, profanas
 Inseruisse manus impure, ac semivir audes?
 Non domitor mundi, nec ter Capitolia cattu
 Inventus, regumque potens, vindexque senatus,
 Victorisque gener; Phario satis esse tyranno
 Quod poterat, Romanus erat. Quid viscera nostra
 Scrutaris gladio? nescis; puer improbe, nescis
 Quo tua sit Fortuna loco: jam jure sine illo
 Nili sceptrum tenes: cecidit civilibus armis
 Qui tibi regna dedit. Jam vento vela negarat
 Magnus, & auxilio remotum infanda petebat
 Litora: quem contra non longa vecta biremi
 Adpulerat scelerata manus: Magnoque patere
 Fingens regna Phari; celsae de puppe carinae
 In parvam jubet ire ratem, litusque malignum
 Incusat, bifurcique vadis frangentibus aestum,
 Qui vetet externas terras advertere (1) classes.

(1) adpellere MSS. plurimi.

Quod nisi factorum leges, intentaque jussu
 Ordinis aeterni misere vicinia mortis
 Damnatum leto traherent ad litora Magnum;
 Non ulli comitum sceleris præsagia deerant.
 Quippe fides si pura foret, si regia Magno
 Sceptrorum auctori vera pietate pateret;
 Venturum tota Pharium cum classe tyrannum.
 Sed cedit factis, sociosque relinquere jussus
 Obsequitur, letumque juvat præferre timori.
 Ibat in hostilem præceps Cornelia puppim,
 Hoc magis impatiens egresso deesse marito,
 Quod metuit clades. „Remane temeraria conjux,
 „Et tu nate precor, longeque e litore casus
 „Exspectate meos; & in hac cervice tyranni
 „Explore fidem,“ dixit. Sed dura vetanti
 Tendebat geminas amens Cornelia palmas:
 „Quo sine me crudelis abis? iterumne relinques
 „Thessalicis submotamalis? numquam omnia lato
 „Distrahimur mileri. Poteras non flectere puppim,
 „Quum fugeres alto, latebrisque relinquere Lesbi,
 „Omnia a terris si nos arcere parabas?
 „An tantum in fluctus placeo comes?“ Hæc ubi frustra
 Effudit, prima pendet tamen anxia puppe:
 Adtonitoque metu nec quoquam avertere visus,
 Nec Magnum spectare potest. Stetit anxia classis
 Ad ductis eventum, metuens non arma, nefasque;
 Sed ne submissis precibus Pompejus adoret

Sceptra sua donata manu. Transire parantem
Romanus Pharia miles de puppe salutat
Septimius: qui, pro superûm pudor, arma satelles
Regia gestabat posito deformia pilo:
Inmanis, violentus, atrox, nullaue ferarum
Mitior in cædes. Quis non, Fortuna, putasset
Parcere te populis, quod bello hæc dextra vacaret,
Thessaliaque procul tam noxia tela fugasses?
Disponis gladios, ne quo non fiat in orbe,
Heu, facinus civile tibi. Victoris ipsis
Dedecus, & numquam superûm caritura pudore
Fâbula; Romanus regi sic paruit ensis,
Pellæusque puer gladio tibi colla recidit,
Magne, tuo. Qua posteritas in sæcula mittet
Septimium fama! scelus hoc quo nomine dicent,
Qui Bruti dixere nefas? Jam venerat horæ
Terminus extremæ, Phariamque ablatas in alnum
Perdiderat jam jura sui, quum stringere ferrum
Regia monstra parant. Ut vidit comminus enses,
Involvit vultus: atque indignatus apertum
Fortunæ præstare caput, tunc lumina pressit,
Continuitque animam, ne quas effundere voces
Vellet, & æternam fletu corrumpere famam.
At postquam mucrone latus funestus Achilles
Perfodit, nullo gemitu consensit ad ictum,
Despexitque nefas, servatque immobile corpus,
Seque probat moriens, atque hæc in pectore volvit:

„Sæcula Romanos numquam tacitura labores
 „Addunt, ævumque sequens speculatur ab omni
 „Orbe ratem, Phariamque fidem. Nunc consule famæ,
 „Fata tibi longæ fluxerunt prospera vitæ:
 „Ignorant populi, si non in morte probaris,
 „An scieris adversa pati. Ne cede pudori,
 „Auctoremque dole fati. Quacumque feriris,
 „Crede manum soceri. Spargant, lacerentque licebit,
 „Sum tamen, o superi, felix, nullique potestas
 „Hoc auferre deo. Mutantur prospera vita:
 „Non fit morte miser. Videt hanc Cornelia cædem,
 „Pompejusque meus. Tantum patientius oro
 „Claude dolor gemitus: natus, conjuxque peremtum
 „Si mirantur, amant.“ Talis custodia Magno
 Mentis erat: jus hoc animi morientis habebat.

At non tam patiens Cornelia cernere sævum
 Quam perferre nefas, miserandis æthera complet
 Vocibus: „O conjux, ego te scelerata peremi:
 „Letiferæ tibi causa moræ fuit avia Lesbos,
 „Et prior in Nili pervenit litora Cæsar.
 „Nam cui jus alii sceleris? sed quisquis in istud
 „A superis inmisit caput, vel Cæsaris iræ,
 „Vel tibi prospiciens, nescis crudelis, ubi ipsa
 „Viscera sint Magni: properas, atque ingeris ictus,
 „Qua votum est victo. Poenas non morte minores
 „Pendat, & ante meum videat caput. Haud ego culpa
 „Libera bellorum, matrum quæ sola per undas,

„Et per castra comes, nullis absterrita fatis,
 „Victum, quod reges etiam timere, recepi.
 „Hoc memui conjux in tota puppe relinqui?
 „Perfide parcebas? te fata extrema petente
 „Vita digna fui? moriar, nec munere regis.
 „Aut mihi præcipitem nautæ permittite saltum,
 „Aut laqueum collo tortosque aptare rudentes:
 „Aut aliquis Magno dignus comes exigit ensem.
 „Pompejo præstare potest, quod Cæsaris armis
 „Imputet. O sævi, properantem in fata tenetis?
 „Vivis adhuc conjux, & jam Cornelia non est
 „Juris, Magne, sui. Prohibent accessare mortem:
 „Server victori.“ Sic fata, interque suorum
 Lapsa manus, rapitur, trepida fugiente carina.

At Magni quum terga sonent, & pectora ferro,
 Permaussisse decus sacræ venerabile formæ,
 Iratamque deis faciem, nihil ultima mortis
 Ex habitu, vultuque vixi mutasse, fatentur
 Qui lacorum videre caput. Nam sævus in ipso
 Septimius sceleris majus scelus invenit adiu:
 Ac retegūt sacros, scisso velamine, vultus
 Semianimis Magni, spirantiaque occupat ora,
 Collaque in obliquo posuit languentia transtro.
 Tunc nervos, venasque secat, nodosaque frangit
 Ossa diu: nondum artis erat caput ense rotare.
 At postquam trunco cervix abscissa recessit,
 Vindicat hoc Pharius dextra gestare satellites.

Degener, atque operæ miles Romane secundæ,
 Pompeji sacrum diro caput ense recidis,
 Ut non ipse feras? pro summi fata pudoris!
 Impius ut Magnum nosset puer, illa verenda
 Regibus hirta coma, & generosa fronte decora
 Cæsaries compressa manu est; Pharioque veruto,
 Dum vivunt vultus, atque os in murmura pulsant
 Singultus animæ, dum lumina nuda rigescunt,
 Suffixum caput est, quo numquam bella iubente
 Pax fuit: hoc reges, campumque, & rostra movebat:
 Hac facie Fortuna tibi Romana placebas.
 Nec satis infando fuit hoc vidisse tyranno:
 Vult sceleri superesse fidem. Tunc arte nefanda
 Submota est capiti tabes: raptoque cerebro
 Adsiccata cutis, putrisque effluxit ab alto
 Humor, & infuso facies solidata veneno est.

Ultima Lageæ stirpis, perituraque proles,
 Degener, incestæ sceptris cessure sorori,
 Quum tibi sacrato Macedon sergetur in antro,
 Et regum ciperes exstructo monte quiescant,
 Quum Ptolemæorum manes seriemque pudendam
 Pyramides claudant, indignaque Mausolea:
 Litora Pompejum feriunt, truncusque vadosis
 Huc, illic jactatur aquis. Adeone molesta
 Totum cura fuit socero servare cadaver?
 Hac Fortuna fide Magni tam prospera fata
 Protulit: hac illum summo de culmine rerum

Morte petit, cladesque omnes exegit in uno
Sæva die, quibus immunes tot præstitit annos:
Pompejusque fuit, qui numquam mixta videret
Læta malis: felix nullo turbante deorum,
Et nullo parcente miser. Semel impulit illum
Dilata Fortuna manu. Pulsatur arenis,
Carpitur in scopulis, hausto per vulnera fluctu
Ludibrium pelagi. Nullaque manente figura,
Una nota est Magno capitis jactura revulsi.

Ante tamen Pharias victor quam tangat arenas,
Pompejo furtim tumulum Fortuna paravit,
Ne jaceat nullo, vel ne meliore sepulcro.
E latebris pavidus decurrit ad æquora Cordus.
Quæstor ab Idallo Cinyrææ litore Cypri
Infaustus Magni fuerat comes. Ille per umbras
Ausus ferre gradum, victum pietate timorem
Compulit, ut mediis quæsitum corpus in undis
Duceret ad terram, traheretque ad litora Magnum.
Lucis mœsta parum per densas Cynthia nubes
Præbebat; cano sed discolor æquore truncus
Conspicitur. Tenet ille ducem complexibus artis,
Eripiente mari: nunc victus pondere tanto
Exspectat fluctus, pelagoque juvante cadaver
Impellit. Postquam sicco jam litore sedit,
Incubuit Magno, lacrimasque effudit in omne
Vulnus, & ad superos, obscuraque sidera fatur:
„Non pretiosa petit cumulato ture sepulcra

„Pompejus, Fortuna, tuus: non pinguis ad astra
„Ut ferat e membris Eoos fumus odores,
„Ut Romana suum gestent pia colla parentem,
„Præferat ut veteres feralis pompa triumphos,
„Ut resonent tristi cantu fora, totus ut ignes
„Projectis mœrens exercitus ambiat armis.
„Da vilem Magno plebeji funeris arcam,
„Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes.
„Robora non desint misero, nec sordidus ustor.
„Sit satis, o superi, quod non Cornelia fuso
„Crine jacet, subicique facem complexa maritum
„Imperat, extremo sed abest a munere busti
„Infelix conjux, neque adhuc ab litore longe est.“
Sic fatus, parvos juvenis procul adspicit ignes,
Corpus vile suis, nullo custode cremantes.
Inde rapit flammæ, semiustaque robora membris
Subducens: „Quæcumque es, ait, neglecta, nec ulli
„Cara tuo, sed Pompejo felicior umbra,
„Quod jam compositum violat manus hospita bustum,
„Da veniam: si quid sensus post fata relictum,
„Cedis & ipsa rogo, paterisque hæc damna sepulcri,
„Teque pudet, sparsis Pompeji manibus, uri.“
Sic fatus, plenusque sinus ardente favilla
Pervolat ad truncum; qui fluctu pæne relatus
Litore pendebat. Summas dimovit arenas,
Et collecta procul laceræ fragmenta carinæ
Exigua posuit trepidus scrobe. Nobile corpus

Robora nulla premunt, nulla strue membra recumbunt:
 Admotus Magnum, non subditus, accipit ignis.
 Ille sedens juxta flammās: „O maxime, dixit,
 „Ductor, & Hesperii majestas nominis una,
 „Si tibi iactatu pelagi, si funere nullo
 „Tristior iste rogos: manes, animamque potentem
 „Officiis averte meis: injuria fati,
 „Hoc fas esse jubet; ponti ne belua quidquam
 „Ne fera, ne volucres, ne sævi Cæsaris ira
 „Audeat: exigua, quantum potes, accipe flammam
 „Romana succense manu (1). Fortuna recursus
 „Si det in Hesperiam, non hac in sede quiescent
 „Tam sacri cineres: sed te Cornelia, Magne,
 „Accipiet, nostraque manu transfundet in urnam.
 „Interea parvo signemus litora saxo,
 „Ut nota sit busto; si quis placare peranturum
 „Forte volet, plenos & reddere mortis honores;
 „Inveniat trunci cineres, & norit arenas,
 „Ad quas, Magne, tuum referat caput.“ Hæc ubi fatus,
 Excitat invalidas admoto fomite flammās.
 Carpitur, & lentum destillat Magnus in ignem,
 Tabe fovens bustum. Sed jam percusserat astra
 Aurora præmissa dies: ille, ordine rupto
 Funeris, ædtonitus latebras in litore quærit.
 Quam metuis demens isto pro crimine poenam,

(1) succensa manu MSS.

Quo te fama loquax omnes accepit in annos?
 Condita laudabit Magni sacer impius ossa:
 I modo securus venias, fassusque sepulcrum
 Posce caput. Cogit pietas imponere finem
 Officio. Semiusta (1) rapit, resolutaque nondum
 Ossa satis, nervis, & iustis plena medullis
 Equorea restinguit aqua, congestaque in unum
 Parva clausit humo, Tum ne levis aura relictos
 Auferret cineres, saxo compressit arenam:
 Nautaque ne bustum religato fune moveret,
 Inscriptis sacrum semiusto stipite nomen:
 HIC SITUS EST MAGNUS. Placet hoc, Fortuna, sepulcrum
 Dicere Pompeii, quo condi maluit illum,
 Quam terra caruisse socer? temeraria dextra
 Cur obicis Magno tumulum, manesque vagantes
 Includis? situs est, qua terra extrema refusum
 Tendit in Oceanum, Romanum nomen, & omne
 Imperium Magno tumuli est modus. Obrue saxa
 Crimine plena deum. Si tota est Herculis Orce,
 Et juga tota vacant Bromio Nyseia; quare
 Unus in Ægypto Magni lapis? omnia Lagi
 Arva tenere potest. Si nullo cespite nomen
 Hæserit, artemus populi, cinerumque tuorum,
 Magne, metu nullas Nili calcemus arenas.
 Quod si tam sacro dignaris nomine saxum;

(1) semusta *vulgo*.

Adde actus tantos, monumentaque maxima rerum:
 Adde truces Lepidi motus, Alpinaque bella,
 Armaque Sertori, revocato consule, victa,
 Et currus, quos egit eques: commercia tuta
 Gentibus, & pavidos Cilicas maris. Adde subactam
 Barbariem, gentesque vagas, & quidquid in Euro
 Regnorum, Boreaue jacet. Dic semper ab armis
 Civilem repetisse togam: ter curribus actis
 Contentum multos patriæ donasse triumphos.
 Quis capit hæc tumulus? surgit miserabile bustum
 Non ullis plenum titulis, non ordine tanto
 Factorum: solitumque legi super alta deorum
 Culmina, & exstructos spoliis hostilibus arcus,
 Haud procul est ima Pompeji nomen arena,
 Depressum tumulo, quod non legat advena rectus,
 Quod nisi monstratum Romanus transeat hospes.

Noxia civili tellus Ægyptia fato,
 Haud equidem inmerito Cumanæ carmine Vatis
 Cavtum, ne Nili Pelusia tangeret ora
 Hesperius miles, ripasque æstâte tumentes.
 Quid tibi sæva precer tanto pro crimine tellus?
 Vertat aquas Nilus, quo nascitur orbe, retentus,
 Et steriles egeant hibernis imbribus agri,
 Totaque in Æthiopum putres solvaris arenas.
 Nos in templâ tuam Romanâ accepimus (1) Isin,

(1) recepimus MSS. octodec.

Semideosque canes, & sinistra iubentia luctus,
 Et quem tu plangens hominem testaris Osirin:
 Tu nostros, Ægypte, tenes in pulvere Manes.
 Tu quoque, quum sævo dederis jam templa tyranno,
 Nondum Pompeji cineres, o Roma, petisti:
 Exsul adhuc jacet umbra ducis. Si sæcula prima
 Victoris timere minas; nunc excipe saltem
 Ossa tui Magni, si nondum subruta fluctu
 Invisa tellure sedent. Quis busta timebit?
 Quis sacris dignam movisse verebitur umbram? (1)
 Imperet hoc nobis utinam scelus, & velit uti
 Nostro Roma sinu: satis o nimiumque beatus,
 Si mihi contingat manes transferre revulsos
 Ausoniam, si tale ducis violare sepulcrum.
 Forsitan aut sulco sterili quum poscere finem
 A superis, aut Roma volet feralibus Austris,
 Ignibus aut nimis, aut terræ tecta moventi:
 Consilio, jussuque deum transibis in urbem,
 Magne, tuam, summusque feret tua busta sacerdos.
 Nunc quis ad exustam Cancro torrente Syenen
 Ibit, & imbrifera siccas sub Pliade (2) Thebas
 Spectator Nili: quis rubri stagna profundi,
 Aut Arabum portus mercis mutator Eoæ,
 Magne, petet, quem non tumuli venerabile saxum,
 Et cinis in summis forsan turbatus arenis

(1) urnam scripti quatuor.

(2) Plejade vulgo.

Advertet, manesque tuos placare juvabit,
 Et Casio præferre Jovi? Nil ista nocebunt
 Famæ bustæ tuæ. Templis, auroque sepultus
 Vilior umbra fores: nunc est pro numine summo,
 Hoc tumulto Fortuna jâcens. Augustus aris
 Victoris Libyo pulsatur in æquore saxum.
 Tarpejis qui sæpe deis sua turba negant,
 Inclusum Thasæo venerantur cespite fulmen.
 Proderit hoc olim, quod non mansura futuris
 Ardua marmoreis surrêxit pondere moles.
 Pulveris exigui sparget non longa vetustas
 Congeriem, bustumque cadet, mortisque peribunt
 Argumenta tuæ: Veniet felicior ætas,
 Qua sit nulla fides saxum monstrantibus illud:
 Atque erit Ægyptos populis fortasse nepotum
 Tam mendax Magni tumulto, quam Cræta Tenantis.





LIBER NONUS.

ARGUMENTUM.

*Nonus habet sextam redeuntem a eade parentis,
 Narrat & octavum fugientis bella Catonis:
 Mille carinarum fugientes classe rebuntur,
 Et tamen in cuncta victorem parte verentur.
 Quos Cato periculis sermonibus artificatis
 Accipit & ducit per mille pericula mortis.
 Hinc etenim Syrtis; hinc vasta vaporibus arva,
 Hinc sitis, hinc palus; hinc obstant dira venena.
 Interea Euxin Pompeii terga secutus
 Navigat usque Pharon, ubi magnus litore motus,
 Quasitque caput dextra monstrante lanista
 Effusis lacrimis docet hoc se ferre moleste.*

AT non in Pharia manes jacuere favilla,
 Nec cinis exiguis tantam compescuit umbram:
 Prosiluit busto, semivivaeque membra relinquens,
 Degeneremque rogi, sequitur convexa Tonantis,

Qua niger astriferis connectitur axibus aer:
 Quodque patet terras inter, lunæque meatus
 (Semidei manes habitant, quos ignea virtus
 Innocuos vitæ patientes ætheris imi
 Fecit) & æternos animam collegit in orbes.
 Non illuc auro positi, nec ture sepulti
 Perveniant. Illic postquam se lumine vero
 Implevit, stellasque vagas miratur, & astra
 Fixa polis, vidit quanta sub nocte jaceret
 Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.
 Hinc super Emathiæ campos, & signa cruenti
 Cæsaris, ac sparsas volitavit in æquore classes;
 Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti
 Sedit, & invicti posuit se mente Catonis.
 Ille ubi pendebant casus, dubiumque manebat,
 Quem mundi dominum facerent civilia bella,
 Oderat & Magnum, quamvis comes isset in arma
 Auspiciis raptus patriæ, ductuque senatus:
 At post Thessalias clades jam pectore toto
 Pompejanus erat. Patriam tutore carentem
 Excepit, populi trepidantia membra refovit,
 Ignavis manibus projectos reddidit enses:
 Nec regnum cupiens gessit civilia bella,
 Nec servire timens. Nil caussa fecit in armis
 Ipse sua (1): totæ post Magni funera partes
 Libertatis erant: quas ne per litora fusas

(1) causæ — suæ MSS. *quatuordec.*

Colligeret rapido victoria Cæsaris actu ,
 Corcyrae secreta petit , ac mille carinis
 Abstulit Emathiae secum fragmenta ruinæ.
 Quis ratibus tantis fugientia crederet ire
 Agmina? quis pelagus victas artasse carinas?

Dorida tunc Malean, & apertam Tænaron umbris,
 Inde Cythera petit: Boreaue urgente carinas
 Creta fugit: Dictæa legit, cedentibus undis,
 Litora. Tunc ausum classi præcludere portus
 Impulit, ac sævas meritum Phycunta rapinas
 Sparsit: & hinc placidis alto delabitur auris
 In litus, Palinure, tuum: neque enim æquore tantum
 Ausonio monumenta tenes, portusque quietos
 Testaris Libyes Phrygio placuisse marito.
 Quum procul ex alto tendentes vela carinæ
 Ancipites tenuere animos, sociosne malorum,
 An veherent hostes: præceps facit omne tremendum
 Victor, & in nulla non creditur esse carina.
 Ast illæ puppes luctus, planctusque ferebant,
 Et mala vel duri lacrimas motura Catonis.

Nam postquam frustra precibus Cornelia nautas
 Privignique fugam tenuit, ne forte repulsus
 Litoribus Phariis remearet in æquora truncus,
 Ostenditque rogam non iusti flamma sepulcri:
 „Ergo indigna fui, dixit, Fortuna, marito
 „Accendisse (1) rogam, gelidosque effusa per artus

(1) ascendisse MS.

„Incubuisse viro, laceros exurere crines?
„Membraque dispersi pelago componere Magni?
„Vulneribus cunctis largos infundere fletus?
„Ossibus & tepida vestes implere favilla?
„Quidquid ab extincto licuisset tollere busto,
„In templis sparsura deum, Sine funeris ullo
„Ardet honore rogos: manus hoc Ægyptia forsan
„Obtulit officium grave manibus. O bene nudi
„Crassorum cineres! Pompejo contigit ignis
„Invidia majore deum. Similisne malorum
„Sors mihi semper erit? numquam dare justa licebit
„Conjugibus: numquam plenas plangemus ad urnas?
„Quid porro tumulis opus est, aut ulla requiris
„Instrumenta dolor? non toto pectore portas
„Impia Pompejum? non imis hæret imago
„Visceribus? quærat cineres victura superstes.
„Nunc tamen hinc longe qui fulget luce maligna
„Ignis, adhuc aliquid, Phario de litore surgens
„Ostendit mihi, Magne, tui. Jam flamma resedit,
„Pompejumque ferens vanescit solis ad ortus
„Fumus, & invisi tendunt mihi carbasa venti.
„Hac mihi non tellus Pompejo si qua triumphos
„Vista dedit, non alta terens Capitolia currus
„Gratior: elapsus felix de pectore Magnus;
„Hunc volumus, quem Nilus habet, terræque nocenti
„Non hærerere queror: 'crimen commendat arenas.
„(Linquere, si qua fides, Pelusia litora nolo.)

„Tu pete bellorum casus, & signa per orbem,
 „Sexte, paterna move: namque hæc mandata reliquit
 „Pompejus vobis in nostra condita cura:
 „Me quum fatalis leto damnaverit hora,
 „Excipite, o nati, bellum civile, nec umquam,
 „Dum terris aliquis nostra de stirpe manebit,
 „Cæsaribus regnare vacet. Vel sceptrâ, vel urbem
 „Libertate sua validas impellite fama
 „Nominis: has vobis partes, hæc arma relinquo.
 „Inveniet classes quisquis Pompejus in undas
 „Venerit: & noster nullis non gentibus heres
 „Bella dabit: tantum indomitos, memoresque paterni
 „Juris habete animos. Uni parere decebit,
 „Si faciet partes pro libertate, Catoni.
 „Exsolvi tibi, Magne, fidem, mandata peregi.
 „Insidiæ (1) valuerunt tuæ, deceptaque vixi,
 „Ne mihi commissas auferrem perfida voces.
 „Jam nunc te per inane chaos, per tartara, conjux,
 „Si sunt ulla, sequar: quam longo tradita leto
 „Incertum est: poenas animæ vivacis ab ipsa
 „Ante feram. Cernens potuit tua vulnera, Magne,
 „Non fugere in mortem: planctu contusa peribit,
 „Effluet in lacrimas; numquam veniemus ad enses,
 „Aut laqueos, aut præcipites per inania jactus.
 „Turpe mori post te solo non posse dolore.

(1) Invidiæ MSS. quidam vest.

Sic ubi fata, caput ferali obduxit amictu,
 Decrevitque pati tenebras, puppisque cavernis
 Delituit: sævumque arte complexa dolorem
 Perfruitur lacrimis, & amat pro conjuge luctum.
 Illam non fluctus, stridensque rudentibus Euris
 Movit, & exurgens ad summa pericula clamor:
 Votaque sollicitis faciens contraria nautis,
 Composita in mortem jacuit, favitque procellis.

Prima ratem Cypros spumantibus accipit undis:
 Inde tenens pelagus, sed jam moderatior, Eurus
 In Libycas egit sedes, & castra Catonis.
 Tristis, ut in multo mens est præsaga timore,
 Adspexit patrios comites e litore Magnus,
 Et fratrem: medias præcepit quum fertur ad undas.
 „Dic ubi sit, germane, parens: stat summa, caputque
 „Orbis, an occidimus? Romanaque Magnus ad umbras
 „Abstulit?“ hæc fatur: quem contra talia frater,
 „O felix, quem Fors alias dispersit in oras,
 „Quique nefas audis: oculos, germane, nocentes
 „Spectato genitore fero. Non Cæsaris armis
 „Occubuit, dignoque perit auctore ruinæ;
 „Rege sub impuro Nilotica rura (1) tenente,
 „Hospitii fretus superis, & munere tanto
 „In proavos, cecidit donati victima regni.
 „Vidi ego magnanimi lacerantes pectora patris:

(1) regna MSS. *plures*.

„Nec credens Pharium tantum potuisse tyrannum;
 „Litore Niliaco socerum jam stare putavi.
 „Sed me nec sanguis, nec tantum vulnera nostri
 „Adfecere senis, quantum gestata per urbem
 „Ora ducis, quæ transfixo deformia (1) pilo
 „Vidimus: hæc, fama est, oculis victoris iniqui
 „Servari; scelerisque fidem quæsisse tyrannum.
 „Nam corpus Phariæne canes, avidæque volucres
 „Distulerint, an furtivus, quem vidimus, ignis
 „Solverit, ignoro. Quæcumque injuria fati
 „Abstulit hos artus, superis hæc crimina dono:
 „Servata de parte queror.“ Quum talia Magnus
 Audisset: non in gemitus, lacrimasque dolorem
 Effudit; justaque furens pietate profatur:
 „Præcipitate rates e sicco litore nautæ;
 „Classis in adversos erumpat remige ventos!
 „Ite duces mecum: numquam civilibus armis
 „Tanta fuit merces, inhumatos condere manes,
 „Sanguine semiviri Magnum satiare tyranni.
 „Non ego Pellæas arces, adytisque resectum
 „Corpus Alexandri pigra Mareotide mergam:
 „Non mihi Pyramidum tumulis evulsus Amasis,
 „Atque alii reges Nilo torrente natabunt;
 „Omnia dent pœnas nudo tibi, Magne, sepulcra
 „Evolvam busto numen jam gentibus Isin,

(1) *sublimia vulgo.*

„Et tectum lino spargam per vulgus Osirin,
 „Et sacer in Magni cineres mastrabitur Apis,
 „Suppositisque deis uram caput. Has mihi pœnas
 „Terra dabit: lingua vacuos cultoribus agros,
 „Nec, Nilus cui crescat, erit: solusque tenebis
 „Ægypton, populls, genitor, superisque fugatis.“
 Dixerat, & sævas classem rapiebat in undas.
 Sed Cato laudatam juvenis compescuit iram.

Interea totis audito funere Magni
 Litoribus sonuit percussus planctibus æther:
 Exemploque carens, & nulli cognitus ævo
 Luctus erat, mortem populos deflere potentis.
 Sed magis, ut visa est lacrimis exhausta, solutas
 In vultus effusa eomas, Cornelia puppi
 Egrediens, rursus geminato verbere plangunt.
 Ut primum in sociæ pervenit litora terræ,
 Collegit vestes, miserique insignia Magni,
 Armaque, & impressas auro, quas gesserat (1) olim,
 Exuvias, pictasque togas, velamina summo
 Ter conspecta Jovi, funestoque intulit igni.
 Ille fuit miseræ Magni cinis. Accipit omnis
 Exemplum pietas, & toto litore busta
 Surgunt Thessalicis reddentia manibus ignem.
 Sic, ubi depastis subtiliter gramina campis,
 Et renovare parans hibernas Apulus herbas,

(1) fecerat MSS. quidam.

Ignem fovet terras, simul & Garganus, & arva
Vulturis, & calidi lucent buceta Matini.

Non tamen ad Magni pervenit gratius umbras,
Omne quod in superos audet convicia vulgus,
Pompejumque deis obicit, quam pauca Catonis
Verba, sed a pleno venientia pectore veri.
„Civis obit, inquit, multum majoribus impar
„Nosse modum juris, sed in hoc tamen utilis ævo,
„Cui non nulla fuit justæ reverentia, salva
„Libertate potens, & solus plebe parata
„Privatus servire sibi, rectorque senatus,
„Sed regnantis, erat. Nil belli jure poposcit:
„Quæque dari voluit, voluit sibi posse negari.
„Inmodicas possedit opes: sed plura retentis
„Intulit: invasit ferrum, sed ponere norat.
„Prætulit arma togæ: sed pacem armatus amavit.
„Juvit summa ducem, juvit dimissa potestas.
„Casta domus, luxuque carens, corruptaque numquam
„Fortuna domini. Clarum, & venerabile nomen
„Gentibus, & multum nostræ quod proderat urbi.
„Olim vera fides, Sulla Marioque receptis,
„Libertatis obit: Pompejo rebus adempto
„Nunc & ficta perit. Non jam regnare pudebit:
„Nec color imperiû, nec frons erit ulla senatus.
„O felix, cui summa dies fuit obvia victo,
„Et cui quærendos Pharium scelus obtulit enses:
„Forsitan in soceri potuisses vivere regno.

„Scire mori, sors prima viris, sed proxima cogi.
 „Et mihi, si fatis aliena in jura venimus,
 „Da talem, Fortuna, Jubam: non deprecor hosti
 „Servari, dum me servet cervice recisa.“

Vocibus his major, quam si Romana sonarent
 Rostra ducis laudes, generosam venit ad umbram
 Mortis honos. Fremit interea discordia vulgi
 Castrorum, bellicque piget post funera Magni:
 Quum Tarcondimotus linquendi signa Catonis
 Sustulit; hunc rapta fugientem classe secutus
 Litus in extremum, tali Cato voce notavit:

„O numquam pacate Cilix: iterumne rapinas
 „Vadis in æquoreas? Magnum Fortuna removit:
 „Jam pelago pirata redis.“ Tunc respicit omnes:
 In cœtu, motuque viros: quorum unus, aperta
 Mente fugæ, tali compellat voce regentem:
 „Nos, Cato, da veniam, Pompeji duxit in arma,
 „Non belli civilis amor, partesque favori
 „Fecimus. Ille jacet, paci quem prætulit orbis,
 „Causaque nostra perit: patrios permitte penates,
 „Desertamque domum, dulcesque revisere natos.
 „Nam quis erit finis si nec Pharsalia, pugnae,
 „Nec Pompejus erit? perierunt tempora vitæ,
 „Mors eat in tutum: justas sibi nostra senectus
 „Prospiciat flammæ. Bellum civile sepulcra
 „Vix dulcibus præstare potest. Non barbara viços
 „Regna manent: non Armenium mihi sæva minatur,

„Aut Scythium Fortuna jugum: sub jura togati
 „Civis eo. Quisquis Magno vivente secundus,
 „Hic mihi primus erit: sacris præstabitur umbris
 „Summus honor: dominum, clades quem cogit, habebō:
 „Nullum, Magne, ducem. Te solum in bella secutus,
 „Post te, fata sequor: neque enim sperare secunda
 „Fas mihi, nec liceat. Fortuna cuncta tenentur (1)
 „Cæsaris: Emathium sparsit victoria ferrum.
 „Clausa fides miseris, & toto solus in orbe est,
 „Qui velit, ac possit victis præstare salutem.
 „Pompejo, scelus est bellum civile, peremto,
 „Quo fuerat vivente, fides. Si publica jura,
 „Si semper patriam sequeris Cato, sigga petamus
 „Romanus quæ consul habet.“ Sic ille profatus
 Insiluit puppim, juvenum comitante tumultu.
 Actum Romanis fuerat de rebus, & omnis
 Indiga servitii fervebat litore plebes.

Erupere ducis sacro de pectore voces:

„Ergo pari voto gessisti bella juvenus
 „Tu quoque pro dominis, & Pompejana fuisti,
 „Non Romana manus? quod non in regna laboras,
 „Quod tibi, non ducibus vivis, morerisque, quod orbem
 „Adquiris nulli, quod jam tibi vincere tutum est,
 „Bella fugis, quærisque jugum cervice vacante,
 „Et nescis sine rege pati. Nunc caussa pericli

(1) feruntur duo.

„Digna viris. Potuit vestro Pompejus abuti -
„Sanguine: nunc patriæ jugulos ensemque negatis,
„Quum prope libertas. Unum Fortuna reliquit
„Jam tribus e dominis. Pudeat: plus regia Nili
„Contulit in leges, & Parthi militis arcus.
„Ite, o degeneres, Ptolemæi munus, & arma
„Spernite. Quis vestras ulla putet esse nocentes
„Cæde manus? credet faciles sibi terga dedisse,
„Credet ab Emathiis primos fugisse Philippis.
„Vadite securi: meruistis iudice vitam
„Cæsare, non armis, non obsidione subacti.
„O famuli turpes, domini post fata prioris
„Itis ad heredem. Cur non majora mereri,
„Quam vitam, veniamque libet? rapiatur in undas
„Infelix Magni conjux, prolesque Metelli:
„Ducite Pompejos: Ptolemæi vincite munus.
„Nostra quoque inviso quisquis feret ora tyranno,
„Non parva mercede dabit. Sciet ista juvenus
„Cervicis pretio bene se mea signa secutam.
„Quin agite, & magna meritum cum cæde parate:
„Ignavum scelus est tantum fuga.“ Dixit, & omnes
Haud aliter medio revocavit ab æquore puppes,
Quam simul effetas linquunt examina ceras,
Atque oblita favi non miscent nexibus alas,
Sed sibi quæque volat, nec jam degustat amarum
Desidiosa thymum: Phrygii sonus increpet æris,
Adtonitæ posuere fugam, studiumque laboris

Floriferi repetunt, & sparsi mellis amorem:
Gaudet in Hyblæo securus gramine pastor
Divitias servasse casæ: sic voce Catonis
Inculcata viris justæ patientia Martis.

Jamque actu belli non doctas ferre quietem
Constituunt mentes, serieque agitare laborum.
Primum litoreis miles lassatur arenis.

Proximus in muros, & moenia Cyrenarum
Est labor: exclusus nulla se vindicat ira:
Pœnaque de victis sola est, vicisse, Catoni.
Inde peti placuit Libyci contermina Mauris
Regna Jubbæ, sed iter mediis natura vetabat (1)
Syrtibus: hanc audax sperat sibi cedere virtus.

Syrtes vel primam mundo natura figuram
Quum daret in dubio terræ pelagique reliquit.
(Nam neque subsedit penitus, quo stagna profundi
Acciperet, nec se defendit ab æquore tellus;
Ambigua sed lege loci jacet invia sedes:
Æquora fracta vadis, abruptaque terra profundo,
Et post multa sonant projecti litora fluctus.
Sic male deseruit, nullosque exegit in usus:
Hanc partem natura sui.) Vel plenior alto
Olim Syrtis erat, pelago penitusque natabat:
Sed rapidus Titan ponto sua lumina pascens,
Æquora subduxit zonæ vicina perustæ:

(1) negarat, vetarat, natabit MSS.

Et nunc pontus adhuc Phœbo siccante repugnat.
 Mox ubi damnosum radios admovert ævum,
 Tellus Syrtis erit: nam jam brevis unda superne
 Innatat, & late periturum deficit æquor.

Ut primum remis actum (1) mare propulit omne
 Classis onus, densis fremuit niger imbris Auster
 In sua regna furens: tentatum classibus æquor
 Turbine defendit, longeque a Syrtibus undas
 Egit, & illato confregit litore pontum.
 Tum quorum recto deprendit carbasa malo
 Eripuit nautis, frustra que rudentibus ausis
 Vela negare Noto spatium vicere carinæ,
 Atque ultra proram tumuit sinus. Omnia si quis
 Providus antennæ suffixit lintea summæ,
 Vincitur, & nudis avertitur armamentis.
 Sors melior classi, quæ fluctibus incidit altis,
 Et certo jactata mari. Quæcumque levatæ
 Arboribus cæsis flatum effudere prementem:
 Abstulit has liber ventis contraria volvens
 Æstus, & obnixum victor detruxit in Austrum.
 Has vada destituunt, atque interrupta profundo
 Terra ferit puppes! dubioque obnoxia fato
 Pars sedet una ratis, pars altera pendet in undis.
 Tunc magis impactum brevibus (2) mare, terraque sævit
 Obvia consurgens: quamvis elisus ab Austro,

(1) ictum, aptum, auctum MSS.

(2) brevius MSS. & edd. *perimuls.*

Sæpe tamen cumulos fluctus non vincit arenæ.
Eminet in pelagi tergo procul omnibus arvis,
Inviolatus aquæ, sicci jam pulveris agger,
Stant miseri nautæ, terræque hærente carinâ
Litora nulla vident. Sic partem intercipit æquor:
Pars ratium major regimen; clavumque secuta est,
Tuta fugæ, nautæque loci sortita peritos,
Torpentem Tritonos adit illæsa paludem.
Hanc, ut fama, deus, quem toto litore pontus
Audit ventosa perflantem murmura concha,
Hanc & Pallas amat, patrio quæ vertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima cœlo est,
Ut probat ipse calor) tetigit, stagnique quieta
Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.
Quam juxta Lethon tacitus prælabitur amnis,
Infernis, ut fama, trahens obliviam venis:
Atque insopiti quondam tutela draconis,
Hesperidum pauper spoliatus frondibus hortus,
Invidus annoso famam qui derogat ævo,
Qui vates ad vera vocat. Fuit aurea silva,
Divitiisque graves, & fulvo germine rami:
Virgineusque chorus nitidi custodia luci,
Et numquam somno damnatus lumina serpens,
Robora complexus rutilo curvata metallo.
Abstulit arboribus pretium, nemorique laborem
Alcides: passusque inopes sine pondere ramos

Retulit Argolico fulgentia poma tyranno .
 His igitur depulsa locis, ejectaque classis
 Syrtibus, haud ultra Garamantidas adtigis undas:
 Sed dace Pompejo Libyes melioris in oris
 Mansit. At impatiens virtus hærere Catonis
 Audet in ignotas agmen committere gentes,
 Armorum fidens, & terra cingere Syrtin.
 Hæc eadem suadebat hiems, quæ clauserat æquor,
 Et spes imber erat, nimios metuentibus ignes:
 Ut neque sole viam, duro nec frigore sævam,
 Inde polo Libyes, hinc bruma temperet annus:
 Atque ingressurus steriles, sic fatur, arenas.

„O quibus una salus placuit mea castra secutis
 „Indomita cervice mori, componite mentes.
 „Ad magnum virtutis opus summosque labores.
 „Vadimus in campos steriles, exustaque mundi,
 „Qua nimius Titan, & raræ in fontibus undæ,
 „Siccaque letiferis squalent serpentibus arva:
 „Durum iter ad leges, patriæque ruentis amorem
 „Per mediam Libyen veniant, atque invia tentent,
 „Si quibus in nullo positum est evadere voto,
 „Si quibus ire sat est. Neque enim mihi fallere quemquam
 „Est animus, testoque metu perducere vulgus.
 „Hi mihi sint comites, quos ipsa pericula ducent,
 „Qui, me teste, pati vel quæ tristissima, pulcrum,
 „Romanumque putant. At qui sponsore salutis
 „Miles eget, capiturque animæ dulcedine, vadat

„Ad dominum meliore via. Dum primus arenas
„Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam.
„Me calor æthereus feriat, mihi plena venenis
„Occurrat serpens; fatoque pericula vestra
„Prætentate meo: sitiât, quicumque bibentem
„Viderit: aut umbras nemorum quicumque petentem,
„Æstuet: aut equitem peditum præcedere turmas,
„Deficiat; si quo fuerit discrimine notum
„Dux, an miles eam. Serpens, sitis, ardor, arenæ,
„Dulcia virtuti: Gaudet patientia duris.
„Latius est, quoties magno sibi constat, honestum,
„Sola potest Libye turba præstare malorum,
„Ut deceat fugisse viris.“ Sic ille calentes
Incendit virtute animos, & amore laborum,
Irreducemque viam deserto limite carpit:
Et sacrum parva nomen clausura sepulcro
Invasit Libye securi fata Catonis.

Tertia pars rerum Libye, si credere famæ
Cuncta velis: at si ventos cœlumque sequaris,
Pars erit Europæ. Neque enim plus litora Nili,
Quam Scythicus Tanais primis ab Gadibus absunt;
Unde Europa fugit Libyen, & litora flexu
Oceano fecere locum: sed major in unam
Orbis abit Asiam. Nam quum communiter istæ
Effundant Zephyrum, Boreæ latus illa sinistrum
Contingens, dextrumque Noti, descendit in ortus,
Eurum sola tenens. Libyæ quod fertile terræ est,

Vergit in occasus: sed & hæc non fontibus ullis
 Solvitur: Arctoois raris Aquilonibus imbres
 Accipit, & nostris reficit sua rura serenis.
 In nullas vitiatur opes; non ære, neque auro
 Excoquitur, nullo glebarum crimine, pura,
 Et penitus terra est. Tantum Maurusia genti
 Robora divitiæ, quarum non noverat usum:
 Sed citri contenta comis vivebat, & umbra.
 In nemus ignotum nostræ venire secures,
 Extremoque epulas, mensasque petimus ab orbe.
 At quæcumque vagam Syrtin complectitur ora
 Sub nimio projecta die, vicina perusti
 Ætheris, exurit messes, & pulvere Bacchum
 Enecat, & nulla putris radice tenetur.
 Temperies vitalis abest: & nulla sub illa
 Cura Jovis terra est: Natura deside torpet
 Orbis, & inmotis annum non sentit arenis.
 Hoc tam segne solum raras tamen exserit herbas,
 Quas Nasamon gens dura legit, qui proxima ponto
 Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis
 Syrtis alit. Nam litoreis populator arenis
 Inminet, & nulla portus tangente carina,
 Novit opes. Sic cum toto commercia mundo
 Naufragiis Nasamones habent. Hac ire Catonem
 Dura jubet virtus. Illic secunda juvenus
 Ventorum, nullasque timens tellure procellas,
 Æquoreos est passa metus. Nam litore sicco,
 Quam

Quam pelago, Syrtis violentius accipit Austrum.
Et terræ magis ille nocens. Non montibus ortum
Adversis frangit Libye, scopulisque repulsum
Dissipat, & liquidas e turbine solvit in auras:
Nec ruit in silvas, annosaque robora torquens
Lassatur: patet omne solum, liberque meatu
Æoliam rabiem totis exercet habenis:
Et non imbriferam contorto (1) pulvere nubem
In flexum violentus agit: pars plurima terræ
Tollitur, & numquam resoluta vertice pendet.
Regna vidit pauper Nasamon errantia vento,
Discussasque domus: volitantque a culmine raptæ
Detecto Garamante casæ. Non altius ignis
Rapta vehit: quantumque licet consurgere fumo,
Et violare diem, tantus tenet aera pulvis.
Tum quoque Romanum solito violentior agmen
Adgreditur, nullusque potest consistere miles,
Instabilis raptis etiam, quas calcât, arenis.
Concuteret terras, orbemque ab sede moveret,
Si solida Libye compage, & pondere duro
Clauderet exesis Austrum scopulosa cavernis:
Sed quia mobilibus facilis turbatur arenis,
Nusquam luctando stabilis manet: imaque tellus
Stat, quia summa fugit. Galeas, & scuta virorum,
Pilaque contorsit violento spiritus actu;

(1) cum torto *vulgo*.

Intentusque tulit magni per inania cœli.
 Illud in externa (1) forsán longeq̃e remota
 Prodigium tellure fuit: delapsaque cœlo
 Arma timent gentes, hominumque erepta lacertis
 A superis demissa putant. Sic illa profecto
 Sacrificio cecidere Numæ, quæ læta (2) juvenus
 Patricia cervice movet: spoliaverat Auster
 Aut Boreas populos ancilia nostra ferentes.
 Sic orbem torquente Noto Romana juvenus
 Procubuit, metuensque rapi, constrinxit amictus,
 Inseruitque manus terræ: nec pondere solo,
 Sed nisu jacuit, vix sic immobilis Austro:
 Qui super ingentes cumulos involvit arenæ,
 Atque operit tellure viros. Vix tollere miles
 Membra valet, multo congestu pulveris hærens.
 Adligat & stantes adsusæ magnus arenæ
 Agger, & inmoti terra surgente tenentur.
 Saxa tulit penitus discussis proruta muris,
 Effuditque procul miranda sorte malorum:
 Qui nullas videre domos, videre ruinas.
 Jamque iter omne latet: nec sunt discrimina terræ
 Ulla, nisi ætheriæ medio velut æquore flammæ.
 Sideribus novere viam: nec sidera tota
 Ostendit Libyæ finitor circulus oræ,
 Multaque devexo terrarum margine celat.

(1) in extrema MSS. & edd. plurim.

(2) læta vulgo.

Utque calor solvit, quem torserat aera ventus,
 Incensusque dies, manant sudoribus artus:
 Arent ora siti: conspecta est parva maligna
 Unda procul vena: quam vix e pulvere miles
 Corripiens, patulum galeæ confudit in orbem,
 Porrexitque duci. Squalebant pulvere fauces
 Cunctorum: minimumque tenens dux ipse liquoris
 Invidiosus erat., Mene, inquit, degener unum
 „Miles in hac turba vacuum virtute putasti?
 „Usque adeo mollis, primisque caloribus impar
 „Sum visus? quantum pœna tu dignior ista,
 „Qui, populo sitiente, bibas!“ Sic concitus ira
 Excussit galeam, suffecitque omnibus unda.
 Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
 Inculti Garamantes habent: stat sortifer (1) illic
 Juppiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans,
 Aut similis nostro, tortis sed cornibus Hammon.
 Non illi Libyæ posuerunt ditia gentes
 Tempa: nec Eois splendent donaria gemmis.
 Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis
 Gentibus, atque Iadis unus sit Juppiter Hammon,
 Pauper adhuc deus est, nullis violata per ævum
 Divitiis delubra tenens: morumque priorum
 Numen Romano templum defendit ab auro.
 Esse locis superos testatur silva per omnem

(1) corniger *vulgo*. sortiger *MSS.*

Sola virens Libyen. Nam quidquid pulvere sicco
 Separat ardentem tepida Bereniceida Lepti,
 Ignorat frondes: solus nemus abstulit Hammon.
 Silvarum fons caussa loco, qui putria terræ
 Adligat, & domitas unda connectit arenas.
 Sic quoque nil obstat Phœbo, quum cardine summo
 Stat librata dies: truncum vix protegit arbor:
 Tam brevis in medium radiis compellitur umbra.
 Depreſsum eſt hunc eſſe locum (1), qua circulus alti
 Solſtitii medium ſignorum percutit (2) orbem.
 Non obliqua meant, nec Tauro Scorpios exit
 Reſtior, aut Aries donat ſua tempora Libræ,
 Aut Aſtræa jubet lentos descendere Piſces.
 Par Geminis Chiron, & idem quod Carcinos ardens
 Humidus Ægoceros: nec plus Leo tollitur Urna.
 At tibi, quæcumque es Libyo gens igne dirempta,
 In Noton umbra cadit, quæ nobis exit ad Arcton.
 Et ſegnīs Cynosura ſubit: tu ſicca profundo
 Mergi plauſtra putas, nullumque in vertice ſemper
 Sidus habes immune mari, procul axis uterque eſt;
 Et fuga ſignorum medio rapit omnia cœlo.

Stabant ante fores populi, quos miſerat Eos,
 Cornigerique Jovis monitu nova fata petebant:
 Sed Latio ceſſere duci: comiteſque Catonem
 Orant, exploret Libyum memorata per orbem

(1) polum *quatuor meliores.*

(2) circumit *MSS. tres.*

Numina, de fama tam longi judicet ævi.
 Maximus hortator scrutandi voce deorum
 Eventus Labienus erat., Fors obtulit, inquit,
 „Et Fortuna viæ, tam magni numinis ora,
 „Consiliumque dei: tanto duce possumus uti
 „Per Syrtes, bellique ratos cognoscere casus.
 „Nam cui crediderim superos arcana daturus,
 „Dicturosque magis, quam sancto vera Catoni?
 „Certe vita tibi semper directa supernas
 „Ad leges, sequerisque deum. Datur, ecce! loquendi
 „Cum Jove libertas: inquire in fata nefandi
 „Cæsaris, & patriæ venturos excute mores:
 „Jure suo populis uti, legumque licebit,
 „An bellum civile perit. Tua pectora sacra
 „Voce reple: duræ saltim virtutis amator
 „Quære quid est virtus, & posce exemplar honesti.“

Ille deo plenus, tacita quem mente gerebat,
 Effudit dignas adytis e pectore voces.

„Quid quæri Labiene jubes? an liber in armis
 „Occubuisse velim potius, quam regna videre?
 „An sit vita nihil, & longa? an differat ætas?
 „An noceat vis nulla bono? Fortunaque perdat
 „Opposita virtute minas? laudandaque velle
 „Sit satis, & numquam successu crescat honestum?
 „Scimus, & hæc nobis non altius inserit Hammon:
 „Hæremus cuncti superis, temploque tacente,
 „Nil facimus non sponte dei: nec vocibus ullis

„Numen eget: dixitque semel nascentibus auctor
 „Quidquid scire licet: steriles nec legit (1) arenas,
 „Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum.
 „Estne dei sedes, nisi terra, & pontus, & aer,
 „Et cœlum, & virtus? superos quid quærimus ultra?
 „Juppiter est quodcumque vides, quocumque moveris.
 „Sortilegis egeant dubii, semperque futuris
 „Casibus ancipites: me non oracula certum,
 „Sed mors certa facit: pavidò, fortique cadendum est.
 „Hoc satis est dixisse Jovem.“ Sic ille profatur:
 Servataque fide templi discedit ab aris,
 Non exploratum populis Hammona relinquens.

Ipse manu sua pila gerit, præcedit anhelì
 Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
 Non jubet: & nulla vehitur cervice supinus,
 Carpentoque sedens. Somni parcissimus ipse est,
 Ultimus haustor aquæ. Quum tandem fonte reperto
 Indiga conatur laticis potare juvenus,
 Stat, dum lixa bibat. Si veris magna paratur
 Fama bonis, & si successu nuda remoto
 Inspicitur virtus, quidquid laudamus in ullo
 Majorum, Fortuna fuit. Quis Marte secundo,
 Quis tantum meruit populorum sanguine nomen?
 Hunc ego per Syrtes, Libyesque extrema triumphum
 Ducere maluerim, quam ter Capitolia curru

(1) sterilesne elegit *MSS. plures.*

Scandere Pompeji, quam frangere colla Jugurthæ.
 Ecce parens verus patriæ, dignissimus aris
 Roma tuis; per quem numquam jurare pudebit,
 Et quem, si steteris umquam cervice soluta,
 Tunc olim factura deum. Jam spissior ignis,
 Et plaga, quam nullam superis mortalibus ultra
 A medio fecere die, calcatur, & unda
 Rarior: inventus mediis fons unus arenis
 Largus aquæ: sed quem serpentum turba tenebat
 Vix capiente loco. Stabant in margine siccæ
 Aspides, in mediis sitiebant Dipsades undis.
 Ductor, ut adspexit perituros fonte relicto,
 Adloquitur:, Vana specie conterritæ leti
 „Ne dubita miles tutos haurire liquores:
 „Noxia serpentum est admixto sanguine pestis:
 „Morsu virus habent, & fatum in dente minantur.
 „Pocula morte carent.“ Dixit, dubiumque venenum
 Hausit: & in tota Libyæ fons unus arena
 Ille fuit, de quo primus sibi posceret undas.

Cur Libycus tantis exsudet (1) pestibus aer
 Fertilis in mortes, aut quid secreta nocenti
 Miscuerit natura solo, non cura, laborque
 Noster scire valet: nisi quod vulgata per orbem
 Fabula pro vera decepit sæcula caussa.
 Finibus extremis Libyes, ubi fervida tellus

(1) exundet *vulgo*.

Accipit Oceanum demisso sole calentem,
Squalebant late Phorcynidos arva Medusæ,
Non nemorum protecta coma, non mollia sulco,
Sed dominæ vultu conspectis aspera saxis.
Hoc primum natura nocens in corpore sævas
Eduxit pestes: illis e faucibus angues
Stridula vibratis fuderunt sibila linguis,
Femineæ qui more comæ per terga soluti,
Ipsa flagellabant gaudentis colla Medusæ.
Surgunt adversa subrectæ fronte colubræ,
Vipereumque fluit depexo crine venenum.
Hoc habet infelix, cunctis impune, Medusa,
Quod spectare licet. Nam rictus, oraque monstri
Quis timuit? quem, qui recto se lumine vidit,
Passa Medusa mori est? rapuit dubitantia fata
Prævertitque metus: anima periere retenta
Membra, nec emissæ riguere sub ossibus umbræ.
Eumenidum crines solos movere furores:
Cerberos Orpheo lenivit sibila cantu:
Amphitryoniades vidit, quum vinceret, Hydram;
Hoc monstrum timuit genitor, numenque secundum
Phorcus aquis, Cetoque parens, ipsæque sorores
Gorgones: hoc potuit cælo pelagoque minari
Torporem insolitum, mundoque obducere terram.
E cælo volucres subito quum pondere lapsæ:
In scopulis hæsere feræ: vicina colentes
Æthiopum totæ riguerunt marmore gentes.

Nullum animal visus patiens, ipsique retrorsum
Effusi faciem vitabant Gorgonos angues.
Illa sub Hesperii stantem Titana columnis
In cautes Atlanta dedit: cœloque timente
Olim Phlægræos stantes serpente gigantas,
Erexit montes, bellumque inmane deorum
Pallados e medio confecit pectore Gorgon.
Quo postquam partu Danaes, & divite nimbo
Ortum Parrhasiæ vexerunt Persea pinnæ
Arcados auctoris citharæ, liquidæque palæstræ,
Et subitus præpes Cyllenida sustulit Harpen,
Harpen alterius monstri jam cæde rubentem,
(Ab Jove dilectæ fuso custode juvencæ:)
Auxilium volucris Pallas tulit innuba fratri,
Pacta caput monstri: terræque in fine Libyssæ
Persea Phœbeos converti jussit ad ortus,
Gorgonos averso sulcantem regna volatu:
Et clipeum lævæ fulvo dedit ære nitentem,
In quo saxificam jussit spectare Medusam.
Quam sopor æternam tracturus morte quietem
Obruit haud totam. Vigilat pars magna comarum,
Defenduntque caput prætenti crinibus hydri:
Pars jacet in medios vultus, oculique tenebras.
Ipsa regit trepidum Pallas, dextraque tremente
Perseos aversi Cyllenida dirigit Harpen,
Lata colubriferi rumpens confinia colli.
Quos habuit vultus lunati vulnere ferri

Cæsa caput Gorgon! quanto spirasse veneno
Ore reor! quantumque oculos effundere mortis!
Nec Pallas spectare potest: vultusque gelassent
Perseos aversi, si non Tritonia densos
Sparsisset crines, texissetque ora colubris.
Aliger in cœlum rapta sic Gorgone fugit.
Ille quidem pensabat iter, propiusque secabat
Aera, si medias Europæ scinderet urbes;
Pallas frugiferas jussit non lædere terras,
Et parci populis. Quis enim non præpete tanto
Æthera respiceret? Zephyro convertitur ales,
Itque super Libyen, quæ nullo consita cultu,
Sideribus, Phœboque vacat: premit orbita solis,
Exuritque solum: nec terra celsior ulla
Nox cadit in cœlum, lunæque meatibus obstat,
Si flexus oblita vagi per recta cucurrit
Signa, nec in Borean, aut in Noton effugit umbram.
Illa tamen sterilis tellus, fecundaque nulli
Arva bono, virus stillantis tabe Medusæ
Concipiunt, dirosque fero de sanguine rores,
Quos calor adjuvit, putrique incoxit arenæ.
Hic, quæ prima caput movit de pulvere tabes,
Aspida somniferam tumida cervice levavit.
Plenior huic sanguis, & crassi gutta veneni
Decidit: in nulla plus est serpente coactum.
Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem
Sponte sua, Niloque tenus metitur arenas.

Sed quis erit lucri nobis pudor? inde petuntur
 Huc Libycæ mortes, & fecimus Aspidæ mercem.
 At non stare suum miseris passura cruorem,
 Squamiferos ingens Hæmorrhols explicat orbes:
 Natus & ambiguae coleret qui Syrtidos arva
 Chersydros, tractique via fumante Chelydri:
 Et semper recto lapsurus limite Cenchris:
 Pluribus ille notis variatam pingitur alvum,
 Quam parvis tinctus maculis Thebanus Ophites:
 Concolor exustis, atque indiscretus arenis
 Ammodytes: spinaque vagi torquente Cerastæ:
 Et Scytale sparsis etiam nunc sola pruinis
 Exuvias positura suas: & torrida Dipsas:
 Et gravis in geminum surgens (1) caput Amphibæna:
 Et Natrix violator aquæ, Jaculique volucres,
 Et contentus iter cauda sulcare Parias,
 Oraque distendens avidus spumantia (2) Prester:
 Ossaque dissolvens cum corpore tabificus Seps.
 Sibilaque effundens cunctas terrentia pestes,
 Ante venena nocens, late sibi submovet omne
 Vulgus, & in vacua regnat Basiliscus arena.
 Vos quoque, qui cunctis innoxia nomina terris
 Serpitis, aurato nitidi fulgore Dracones,
 Pestiferos ardens facit Africa, ducitis altum
 Aera cum pinnis, armentaque tota secuti

(1) vergens MSS. *triginta quinque*.

(2) fumantia, spirantia MSS.

Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros.
Nec tutus spatium est Elephas: datis omnia leto:
Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.
Has inter pestes duro Cato milite siccum
Emititur iter, tot tristia fata suorum,
Insolitasque videns parvo cum vulnere mortes.
Signiferum juvenem Tyrrheni sanguinis Aulum
Torta caput retro Dipsas calcata momordit.
Vix dolor, aut sensus dentis fuit: ipsaque leti
Fons caret invidia: nec quidquam plaga minatur,
Ecce subit virus tacitum, carpitque medullas
Ignis edax, calidaque incendit viscera tabe.
Ebibit humorem circum vitalia fusum
Pestis, & in sicco linguam torrere palato
Coepit: defessos iret qui sudor in artus
Non fuit, atque oculos lacrimarum vena refugit.
Non decus imperii, mœsti non jura Catonis
Ardentem tenere virum, quin spargere signa
Auderet, totisque furens exquireret agris,
Quas poscebat aquas sitiens in corde venenum.
Ille vel in Tanain missus, Rhodanumque, Padumque
Arderet, Nilonque bibens per rura vagantem.
Accessit morti Libye, fatigue minorem
Famam Dipsas habet terris adjuta perustis.
Scrutatur venas penitus squalentis arenæ:
Nunc redit ad Syrtes, & fluctus accipit ore:
Æquoreusque placet, sed non & sufficit, humor.

Nec sentit fatigue genus, mortemque veneni:
Sed putat esse sitim: ferroque aperire tumentes
Sustinuit venas, atque os implere cruore.
Jussit signa rapi propere Cato: discere nulli
Permissum est hoc posse sitim. Sed tristior illa
Mors erat ante oculos: miserieque in crure Sabelli
Seps stetit exiguus, fixo quem dento tenacem
Avulsitque manu, piloque adfixit arenis.
Parva modo serpens: sed qua non ulla cruentæ
Tantum mortis habet. Nam plagæ proxima circum
Fugit rupta cutis, pallentiaque ossa retextit.
Jamque sinu laxo nudum est sine corpore vulnus,
Membra natant sanie: suræ fluxere: sine ullo
Tegmine poples erat: femorum quoque musculus omnis
Liquitur, & nigra distillant inguina tabe.
Dissiluit stringens uterum membrana, ruuntque
Viscera: nec, quantum toto de corpore debet,
Effluit in terras: sævum sed membra venenum
Decoquit, in minimum mox (1) contrahit omnia virus.
Vincula nervorum, & laterum textura, cavumque
Pectus, & abstrusum fibris vitalibus, omne
Quidquid homo est, aperit pestis. Natura profana
Morte patet: manant humeri, fortesque lacerti:
Colla, caputque fluunt. Calido non ocius Austro
Nix resoluta cadit, nec solem cera sequetur.

(1) mors *vulgo*.

Parva loquor, corpus sanie stillasse perustum:
 Hæc & flamma potest. Sed quis rōgus abstulit ossa?
 Hæc quoque discedunt, putresque secuta medullas
 Nulla manere sinunt, rapidi vestigia fati.
 Cyniphias inter, pestes tibi palma nocendi est:
 Eripiunt omnes animam, tu sola cadaver.
 Ecce subit facies leto diversa fluenti.
 Nasidium Marsi cultorem torridus agri
 Percussit Prester. Illi rubor igneus ora
 Succendit, tenditque cutem, pereunte figura,
 Miscens cuncta tumor toto jam corpore major:
 Humanumque egressa modum super omnia membra
 Efflatur sanies: late pollente veneno,
 Ipse latet penitus congesto corpore mersus:
 Nec lorica tenet distenti corporis auctum,
 Spumeus accenso non sic exsultat abeno:
 Undarum cumulus: nec tantos carbasa Coro
 Curvavere sinus. Tumidos non jam capit artus
 Informis globus, & confuso pondere truncus.
 Intactum volucrum rostris, epulasque daturum
 Haud impune feris, non ausi tradere busto,
 Nondum stante modo, crescens fugere cadaver.
 Sed majora parant Libycæ spectacula pestes.
 Impressit dentes Hæmorrhoids aspera Tulla
 Magnanimo juveni, miratorique Catonis,
 Utque solet pariter totis se effundere signis (1)

(1) sinis, signis MSS. *varie.*

Corycii pressura croci: sic omnia membra
 Emisere simul rutilum pro sanguine virus.
 Sanguis erant lacrimæ: quæcumque foramina novit
 Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant,
 Et patulæ nares: sudor rubet: omnia plenis
 Membra fluunt venis: totum est pro vulnere corpus.
 At tibi, Leve miser, fixus præcordia pressit
 Niliacæ serpente cruor: nulloque dolore
 Testatus morsus subita caligine mortem
 Accipis, & Stygias (1) somno descendis ad umbras.
 Non tam veloci corrumpunt pocula leto,
 Stipite quæ diro virgas mentita Sabinas:
 Toxicæ fatilegi carpunt matura Sabæi.

Ecce procul sævus sterilis se robore trunci
 Torsit, & inmisit (jaculum vocat Africa) serpens:
 Perque caput Paulli transactaque tempora fugit.
 Nil ibi virus agit: rapuit cum vulnere fatum.
 Depresum est, quæ funda rotat, quam lenta volarent,
 Quam segnis Scythiæ strideret arundinis aer.

Quid prodest miseri Basiliscus cuspidè Murri
 Transactus? velox currit per tela venenum,
 Invaditque manum: quam protinus ille resecto
 Ense ferit, totoque semel demittit ab armo:
 Exemplarque sui spectans miserabile leti
 Stat tutus, pereunte manu. Quis fata putaret.

(1) Socias MSS. septemdec. optim.

Scorpion, aut vires maturæ mortis habere?

Ille minax nodis, & recto verberare sævus,

Teste tulit cœlo victi decus Orionis.

Quis calcare tuas metuat Solpuga latebras?

Et tibi dant Stygiæ jus in sua fila sorores.

• Sic nec clara dies, nec nox dabat atra quietem:

Suspecta est miseris in qua tellure jacebant.

Nam neque congestæ struxere cubilia frondes,

Nec culmis crevere tori: sed corpora fatis

Expositi volvuntur humo, calidoque vapore

Adliciunt gelidas nocturno frigore pestes:

Innocuosque diu rictus torpente veneno

Inter membra (1) fovant: nec, quæ mensura viarum,

Quisve modus norant, cœlo duce: sæpe querentes,

„Reddite dî, clamant, miseris, quæ fugimus, arma:

„Reddite Thessaliam. Patimur cur segnia fata

„In gladios jurata manus? pro Cæsare pugnant

„Dipsades, & peragunt civilia bella Cerastæ.

„Ire libet qua zona rubens atque axis inustus

„Solis equis: juvat ætheriis adscribere caussis

„Quod peream, cœloque mori. Nil Africa de te,

„Nec de te, natura, queror: tot monstra ferentem,

„Gentibus ablatum dederas serpentibus orbem:

„Impatiensque solum Cereris, cultore negato

„Damnasti, atque homines voluisti deesse veneno.

„In

(1) intra membra *ed. Junt.*

„In loca serpentum nos venimus: accipe pœnas,
 „Tu quisquis superûm commercia nostra perôsus,
 „Hinc torrente plaga, dubiis hinc Syrtibus orbem
 „Abrumpens, medio posuisti limite mortes.
 „Per secreta tui bellum civile recessus
 „Vadit; & arcani miles tibi conscius orbis
 „Claustra petit mundi. Forsan majora supersunt
 „Ingressis. Coeunt ignes stridentibus undis,
 „Et premitur natura poli. Sed longius isthinc
 „Nulla jacet tellus, quam fama cognita nobis
 „Tristia regna Jubæ: quæremus forsitan istas
 „Serpentum terras? habet hoc solatia cœlum:
 „Vivit adhuc aliquid. Patriæ non arva requiro,
 „Europamque, alios sole, Asiamque videntem:
 „Qua te parte poli, qua te tellure reliqui
 „Africa. Cyrenis etiam nunc bruma rigeat,
 „Exiguane via legem convertimus anni?
 „Imus in adversos axes: evolvimur orbe:
 „Terga damus ferienda Notho. Nunc forsitan ipsa est
 „Sub pedibus jam Roma meis. Solatia fati
 „Hæc petimus: veniant hostes, Cæsarque sequatur
 „Qua fugimus.“ Sic dura suos patientia questus
 Exonerat: cogit tantos tolerare labores
 Summa ducis virtus, qui nuda fusus arena
 Excubat, atque omni Fortunam provocat hora.
 Omnibus unus adest fati: quocumque vocatur
 Advolat, atque ingens meritum, majusque salute

Contulit in letum vires: puduitque gementem
Illo teste mori. Quod jus habuisset in ipsum
Ulla lues? casus alieno in pectore vincit,
Spectatorque docet magnos nil posse dolores.
Vix miseris serum tantis lassata periclis
Auxilium Fortuna dedit. Gens unica terras
Incolit a sævo serpentum innoxia morsu,
Marmaridæ Psylli: par lingua potentibus herbis:
Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus,
Vel cantu cessante, potest. Natura locorum
Jussit ut immunes mixti serpentibus essent.
Profuit in mediis sedem posuisse venenis.
Pax illa cum morte data est. Fiducia tanta est
Sanguinis: in terras parvus quum decedit infans,
Ne qua sit externæ Veneris mixtura timentes,
Letifera dubios explorant aspide partus.
Utque Jovis volucer, calido quum protulit ovo
Implumes natos, solis convertit ad ortus:
Qui potuere pati radios, & lumine recto
Sustinuere diem cœli, servantur in usus,
Qui Phœbo cessere, jacent: sic pignora gentis
Psyllus habet, si quis tactos non horruit angues,
Si quis donatis lusit serpentibus infans.
Nec solum contenta sua gens illa salute,
Excubat hospitibus, contraque nocentia monstra
Psyllus adest populis. Qui tunc Romana secutus
Signa, simul jussit statui tentoria ductor,

Primum quas valli spatium comprehendit arenas
Expurgat cantu, verbisque fugantibus angues.
Ultima castrorum medicatus circumit ignis.
Hic ebulum stridit, peregrinaque galbana sudant,
Et tamarix non læta comas, Eoaque costos,
Et panacea potens, & Thessala centaurea:
Peucedanonque sonat flammis, Erycinaque thapsos,
Et larices fumoque gravem serpentibus urunt
Abrotanum, & longe nascentis cornua cervi.
Sic nox tuta viris. At si quis peste diurna
Fata trahit; magicæ tunc sunt miracula gentis,
Psyllorumque ingens & rapti pugna veneni.
Nam primum tacta designat membra saliva,
Quæ cohibet virus, retinetque in vulnere pestes.
Plurima tum volvit spumanti carmina lingua
Murmure continuo, nec dat suspiria cursus
Vulneris, aut minimum patiuntur fata tacere.
Sæpe quidem pestis nigris inserta medullis
Excantata fugit: sed si quod tardius audit
Virus, & elicitum, jussumque exire repugnat;
Tunc superincumbens pallentia vulnera lambit,
Ore venena trahens, exsiccatur dentibus artus,
Extractamque tenens gelido de corpore mortem
Exspuit: & cujus morsus superaverit anguis,
Jam promptum Psyllis vel gustu nosse veneni.
Hoc igitur levior tandem Romana juvenus
Auxilio, late squalentibus errat in arvis.

Bis positis, Phœbe flammis, bis luce recepta
Vidit arenivagum surgens fugiensque Catonem.

Jamque illis magis, atque magis durescere pulvis
Cœpit, & in terram Libye spissata redire.

Jamque procul raræ nemorum se tollere frondes:

Surgere congesto non culta (1) mapalia culmo.

Quanta dedit miseris melioris gaudia terræ,

Quum primum sævos contra videre leones?

Proxima Leptis erat, cujus statione quietam

Exegere hiemem nimbis flammisque carentem.

Cæsar ut Emathia satiatus clade recessit,

Cetera curarum projecit pondera, soli

Intentus genero: cujus vestigia frustra

Terris sparsa legens, fama duce tendit in undas,

Threiciasque legit fauces, & amore notatum

Æquor, & Eroas lacrimoso litore turre,

Qua pelago nomen Nephelejas abstulit Helle.

Non Asiam brevioris aquæ disternat usquam

Fluctus ab Europa, quamvis Byzantion arto

Pontus, & ostriferam dirimat Chalcedona cursu,

Euxinumque ferens parvo ruat ore Propontis.

Sigeasque petit famæ mirator arenas,

Et Simoentis aquas, & Grajo nobile busto

Rhœtion, & multum debentes vatibus umbras,

Circumit exustæ nomen venerabile Trojæ,

(1) non visa, nunc jussa MSS.

Magnaue Phœbei quærit vestigia muri.
 Jam silvæ steriles, & putres robore trunci
 Assaraci pressere domus, & templa deorum
 Jam lassa radice tenent: ac tota teguntur
 Pergama dumetis: etiam periere ruinæ.
 Adspicit Hesiones scopulos, silvaque latentes
 Anchisæ thalamos; quo iudex sederit antro:
 Unde puer raptus cælo: quo vertice Nais
 Luserit Enone: nullum est sine nomine saxum.
 Inscius in sicco serpentem pulvere rivum
 Transierat, qui Xanthus erat: securus in alto
 Gramine ponebat gressus; Phryx incola manes
 Hectoreos calcare vetat. Discussa jacebant
 Saxa, nec ullius faciem servantia sacri;
 Herceas (1), monstrator ait, non respicis aras?
 O sacer, & magnus vatum labor, omnia fato
 Eripis, & populis donas mortalibus ævum.
 Invidia sacræ, Cæsar, ne tangere famæ:
 Nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,
 Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores,
 Venturi me, teque legent: Pharsalia nostra
 Vivet, & a nullo tenebris damnabimur ævo.

Ut ducis implevit visus veneranda vetustas,
 Erexit subitas congestu cespitis aras,
 Votaque turicremos non irrita fudit in ignes.

(1) Hectoteas *edd. vet.*

„ Dî cinerum, Phrygias colitis quicumque ruinas,
 „ Æneæque mei, quos nunc Lavinia sedes
 „ Servat & Alba lares, & quorum lucet in aris
 „ Ignis adhuc Phrygius, nullique adspēta virorum
 „ Pallas, in abstruso pignus memorabile templo,
 „ Gentis Juleæ vestris clarissimus aris
 „ Dat pia tura nepos, & vos in sede priore
 „ Rite vocat: date felices in cetera cursus:
 „ Restituam populos. Grata vice mœnia reddent
 „ Ausonidæ Phrygibus Romanæque Pergama surgent.“
 Sic fatus, repetit classes, & tota secundis
 Vela dedit Coris, avidusque urgente procella
 Iliacas pensare moras, Asiamque potentem
 Prævehitur, pelagoque Rhodon spumante reliquit.
 Septima nox Zephyro numquam laxante rudentes
 Ostendit Phariis Ægyptia litora flammis.
 Sed prius orta dies nocturnam lampada texit,
 Quam tutas intraret aquas. Ibi plena tumultus
 Litora, & incerto turbatas murmure voces
 Accipit: ac dubiis veritus se credere regnis
 Abstinit tellure rates. Sed dira satellites
 Regis dona ferens, medium provectus in æquor,
 Colla gerit Magni, Phario velamine tecta,
 Ac prius infanda commendat crimina voce.

„ Terrarum domitor, Romanæ maxime gentis,
 „ Et, quod adhuc nescis, genero secure perempto;
 „ Rex tibi Pellæus belli pelagique labores

„Donat, &, Emathiis quod solum defuit armis,
 „Exhibet: absenti bellum civile peractum est.
 „Thessalias quærens Magnus reparare ruinas,
 „Ense jacet nostro: tanto te pignore Cæsar
 „Emimus: hoc tecum percussum est sanguine fœdus.
 „Accipe regna Phari nullo quæsita cruore:
 „Accipe Niliaci jus gurgitis; accipe, quidquid
 „Pro Magni cervicæ dares; dignumque clientem
 „Castris crede tuis, cui tantum fata licere
 „In generum voluere tuum. Nec vile putaris
 „Hoc meritum, facili nobis quod cæde paratum est.
 „Hospes avitus erat: depulso sceptrâ parente
 „Reddiderat. Quid plura feram? tu nomina tanto (1)
 „Invenies operi, vel famam consule mundi.
 „Si scelus est, plus te nobis debere fateris,
 „Quod scelus hoc non ipse facis.“ Sic fatus, opertum
 Detexit, tenuitque caput. Jam languida morte
 Effigies habitum noti mutaverat oris.

Non primo Cæsar damnavit munera visu,
 Avertitque oculos: vultus, dum crederet, hæsit:
 Utque fidem vidit sceleris, tutumque putavit
 Jam bonus esse socer; lacrimas non sponte cadentes
 Effudit, gemitusque expressit pectore læto,
 Non aliter manifesta putans abscondere mentis
 Gaudia, quam lacrimis. Meritumque inmane tyranni
 Destruit, & generi mavult lugere revulsum,

(1) numina tanta MS.

Quam debere caput. Qui duro membra senatus
 Calcarat vultu, qui sicco lumine campos
 Viderat Emathios, uni tibi Magne negare
 Non audet gemitus. O sors durissima fati!
 ,Hucine tu Cæsar scelerato Marte petisti,
 Qui tibi flendus erat? non mixti fœdera tangunt
 Te generis, nec nata jubet mœrere, neposque.
 Credis apud populos Pompeji nomen amantes
 Hoc castris prodesse tuis. Fortasse tyranni
 Angeris (1) invidia, captique in viscera Magni
 Hoc alii licuisse doles, quererisque perisse
 Vindictam belli, raptumque ex jure superbi
 Victoris generum. Quisquis te flere coegit
 Impetus, a vera longe pietate recessit.
 Scilicet hoc animo terras, atque æquora lustras,
 Necubi suppressus pereat gener. O bene rapta
 Arbitrio mors ista tuo! quam magna remisit
 Crimina Romano tristis Fortuna pudori,
 Quod te non passa est misereri, perfide, Magni
 Viventis! nec non his fallere vocibus audet,
 Adquiratque fidem simulati fronte doloris.

„Aufer ab adspectu nostro funesta, satellites,
 „Regis dona tui: pejus de Cæsare vestrum,
 „Quam de Pompejo meruit scelus: unica belli
 „Præmia civilis, victis donare salutem

(1) tangeris *vulgo*.

„Perdidimus. Quod si Phario germana tyranno
 „Non invisa foret, potuissem reddere regi,
 „Quod meruit, fratrique tuum pro munere tali
 „Misissem, Cleopatra, caput. Secreta (1) quid arma
 „Movit, & inseruit nostro sua tela labori?
 „Ergo in Thessalicis Pellæo fecimus arvis
 „Jus gladio? vestris quæsitæ licentia regnis?
 „Non tuleram Magnum mecum Romana regentem
 „Te Ptolemæe feram? frustra civilibus armis
 „Miscuimus gentes. Si qua est hoc orbe potestas
 „Altera, quam Cæsar: si tellus ullâ duorum est.
 „Vertissem Latias ab vestro litore proras:
 „Famæ cura vetat, ne non damnasæ cruentam,
 „Sed videar timuisse Pharon. Nec fallere vos me
 „Credite victorem: nobis quoque tale paratum
 „Litoris hospitium: ne sic mea colla gerantur,
 „Thessaliæ Fortuna facit. Majore profecto,
 „Quam metui poterat, discrimine gessimus arma:
 „Exsilium, generique minas, Romamque timebam:
 „Pœna fugæ Ptolemæus erat. Sed parcimus annis,
 „Donamusque nefas. Sciat hac pro cæde tyrannus
 „Nil venia plus posse dari. Vos cõdite busto
 „Tanti colla ducis: sed non, ut crimina solum
 „Vestra tegat tellus; justo date tura sepulcro,
 „Et placate caput, cineresque in litore fusos

(1) *scelerata codd. tres.*

„Colligite, atque unam sparsis date manibus urnam.
„Sentiat adventum soceri, vocesque querentis
„Audiat umbra pias. Dum nobis omnia præfert,
„Dum vitam Phario mavult debere clienti,
„Læta dies rapta est populis: concordia mundo
„Nostra perit: caruere deis mea vota secundis,
„Ut te complexus, positis felicibus armis,
„Adfectus abs te veteres, vitamque rogarem,
„Magne, tuam: dignaque satis mercede laborum
„Contentus, par esse tibi, tunc pace fideli
„Fecissem, ut victus posses ignoscere divi,
„Fecisses ut Roma mihi.“ Nec talia fatus
Invenit fletus comitem, nec turba querenti
Credidit: abscondunt gemitus, & pectora læta
Fronte tegunt, hilaresque nefas spectare cruentum
(O bona libertas) Cæsar quum lugeat, audent.





LIBER DECIMUS.

ARGUMENTUM.

*Enarrat decimus quod Cæsar mœnibus urbis
Exceptus sævoque agitatæ murmure turbis
Senserit, haud sibi jam Magni conducere mortem,
Sed sibi, ni caveat, paritem succedere sortem.
Inde simultates Cleopatracæ cum Ptolemæo
Pacat, & hinc luxu discumbit immoderato.
Inde sacerdotem fretum ratione senili
Orat, ut exponat fluvii primordia Nili.
Tum sibi, ceu genero, mortem consciscere nisum
Cum sceleris socio mutat cervice Pothinum.
Hinc imperfecta moriens ratione poeta
Deserit in medio fuerant quæ substituenda.*

UT primum terras Pompeji colla secutus
Adtigat, & diras calcavit Cæsar arenas:
Pugnavit Fortuna ducis, fatumque nocentis
Ægypti, regnum Lagi Romana sub arma

Iret; an eriperet mundo Memphiticus ensis
 Victoris, victique caput. Tua profuit umbra,
 Magne, tui socerum rapuere a sanguine manes:
 Ne populus post te Nilum Romanus amaret (1).
 Inde Parætoniam fertur securus in urbem,
 Pignore tam sævi sceleris sua signa secutam (2):
 Sed fremitu vulgi fascēs, & jura querentis
 Inferri Romanæ suis, discordia sensit
 Pectora, & ancipites animos, Magnumque perisse
 Non sibi. Tum vultu semper celante pavores,
 Intrepidus superûm sedes, & templa vetusti
 Numinis, antiquas Macetûm testantia vires,
 Circumit: & nulla captus dulcedine rerum,
 Non auro, cultuque deûm, non mœnibus urbis,
 Effossum tumulis cupide descendit in antrum.
 Illic Pellæi proles vesana Philippi
 Felix prædo jacet: terrarum vindice fato
 Raptus: sacratis totum spargenda per orbem
 Membra viri posuere adytis: Fortuna pepercit
 Manibus, & regni duravit ad ultima fatum.
 Nam sibi libertas umquam si redderet orbem,
 Ludibrio servatus erat, non utile mundo
 Editus exemplum, terras tot posse sub uno
 Esse viro. Macetûm fines, latebrasque suorum
 Deseruit, victasque patri despexit Athenas:

(1) haberet *vulgo*.(2) secutus *vulgo*.

Perque Asiæ populos fatis urgentibus actus
Humana cum strage ruit, gladiumque per omnes
Exegit gentes: ignotos miscuit amnes,
Persarum Euphraten, Indorum sanguine Gangem:
Terrarum fatale malum, fulmenque, quod omnes
Percuteret pariter populos, & sidus infiquum
Gentibus. Oceano classes inferre parabat
Exteriore mari. Non illi flamma, nec undæ,
Nec sterilis Libye, nec Syrtibus (1) obstitit Hammon,
Isset in occasus, mundi devexa secutus,
Ambissetque polos, Nilonque ab fonte bibisset:
Occurrit suprema dies, naturaque solum
Hunc potuit finem vesano ponere regi:
Qui secum invidia, qua totum ceperat orbem,
Abstulit imperium; nulloque herede relicto,
Totius fati lacerandas præbuit urbes.
Sed cecidit Babylone sua, Parthoque verendus,
Pro pudor! Eoi propius timuere sarissas,
Quam nunc pila timent populi. Licet usque sub Arcton
Regnemus, Zephyrique domus, terrasque premamus
Flagrantis post terga Noti: cedemus in ortu
Arsacidum domino. Non felix Parthia Crassis
Exiguæ secuta fuit provincia Pellæ.

Jam Pelusiaco veniens a gurgite Nili
Rex puer, imbellis populi sedaverat iras,

(1) Syrticus *vulgo*.

Obside quo pacis Pellæa tutus in aula
 Cæsar erat: quum se parva Cleopatra biremi,
 Corrupto custode Phari laxare (1) catenas,
 Intulit Emathiis ignaro Cæsare testis;
 Dedecus Ægypti, Latio feralis Erinnyes,
 Romano non casta malo. Quantum impulit Argos,
 Iliacasque domus facie Spartana nocenti,
 Hesperios auxit tantum Cleopatra furores.
 Terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro,
 Et Romana petit imbelli signa Canopo,
 Cæsare captivo Pharios ductura triumphos:
 Leucadioque fuit dubius sub gurgite casus,
 An mundum ne nostra quidem matrona teneret.
 Hoc animi nox illa dabat, quæ prima cubili
 Miscuit incestam ducibus Ptolemaida nostris.
 Quis tibi vesani veniam non donet amoris,
 Antoni? durum quum Cæsaris hauserit ignis
 Pectus, & in media rabie, medioque furore,
 Et Pompejanis habitata manibus aula,
 Sanguine Thessaliæ cladis perfusus adulter
 Admisit Venerem curis, & miscuit armis
 Illicitosque toros, & non ex conjugè partus?
 Pro pudor! oblitus Magni, tibi Julia fratres
 Obscena de matre dedit: partesque fugatas
 Passus in extremis Libyes coalescere regnis,

(1) laxata MSS. tres & ed. Lovan.

Tempora Niliaco turpis dependit amori,
Dum donare Pharon, dum non sibi vincere mavult.
Quem formæ confisa suæ Cleopatra sine ullis
Tristis adit lacrimis, simulatam comta dolorem
Qua decuit, laceros veluti dispersa capillos,
Et sic orsa loqui: „Si qua est, o maxime Cæsar,
„Nobilitas, Pharii proles clarissima Lagi,
„Exsul in æternum sceptris depulsa paternis,
„Si tua restituat veteri me dextera fato,
„Complector regina pedes. Tu gentibus æquum
„Sidus ades nostris. Non urbes prima tenebo
„Femina Niliacas: nullo discrimine sexus
„Reginam scit ferre Pharos. Lege summa perempti
„Verba patris, qui jura mihi communia regni,
„Et thalamos cum fratre dedit. Puer ille sororem,
„Sit modo liber, amat: sed habet sub jure Pothini
„Adfectus, ensesque suos. Nil ipsa paterni
„Juris, nil repeto: culpa, tantoque pudore
„Solve domum: remove funesta satellitis arma,
„Et regem regnare jube. Quantosne tumores
„Mente gerit famulus, Magni oervice revulsa!
„Jam tibi (sed procul hoc avertant fata) minatur.
„Sat fuit indignum, Cæsar, mundoque tibi que,
„Pompejum facinus meritumque fuisse Pothini.“
Nequidquam duras tentasset Cæsaris aures:
Vultus adest precibus, faciesque incesta perorat.
Exigit infandam, corrupto iudice, noctem.

Pax ubi parta duci, donisque ingentibus emta est;
 Excepere epulæ tantarum gaudia rerum:
 Explicuitque suos magno Cleopatra tumultu
 Nondum translatos Romana in sæcula luxus.
 Ipse locus templi, quod vix corruptior ætas
 Exstruit, instar erat: laqueataque tecta ferebant
 Divitias, crassumque trabes absconderat aurum.
 Nec summis crustata domus, scellisque nitebat
 Marmoribus: stabatque sibi non segnis Achates,
 Purpureusque lapis, totaque effusus in aula
 Calcabatur Onyx: Hebeus Mareotica vastos
 Non operit postes, sed stat pro robore vili
 Auxilium, non forma domus. Ebur atria vestit,
 Et subfixa (1) manu foribus testudinis Indæ
 Terga sedent, crebro maculas distincta Smaragdo.
 Fulcit gemma toros, & Jaspide fulva supellex:
 Strata micant: Tyrio quorum pars maxima fuco
 Cocta diu, virus non uno duxit aheno;
 Pars auro plumata nitet; pars ignea cocco,
 Ut mos est Phariis miscendi licia telis.
 Tum famulæ numerus turbæ, populusque minister,
 Discolor hos sanguis, alios distinxerat ætas.
 Hæc Libycos, pars tam flavos gerit altera crines,
 Ut nullis Cæsar Rheni se dicat in arvis
 Tam rutilas vidisse comas. Pars sanguinis usti
Tor-

(1) suffecta MSS. plerique.

Torta caput, refugosque gerens a fronte capillos.
Nec non infelix ferro mollita Juventus,
Atque exsecta virum. Stat contra fortior ætas,
Vix ulla fuscante tamen lanugine malas.

Discubuerunt illic reges, majorque potestas
Cæsar: & inmodice formam fucata nocentem,
Nec sceptris contenta suis, nec fratre marito,
Plena maris rubri spoliis, colloque, comisque
Divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.
Candida Sidonio perlucet pectora filo,
Quod Nilotis acus percussum pectine Serum
Solvit, & extenso laxavit stamina velo.
Dentibus hic niveis, sectos Atlantide silva
Imposuere orbes; quales ad Cæsaris ora
Nec capto venere Juba. Pro! cæcus, & amens
Ambitione furor, civilia bella gerenti
Divitias aperire suas, incendere mentem
Hospitis armati. Non sit licet ille nefando
Marte paratus opes mundi quæsisse ruina:
Pone duces priscos, & nomina pauperis ævi
Fabricios, Curiosque graves: hic ille recumbat
Sordidus Hetruscis abductus Consul aratris,
Optabit patriæ talem duxisse triumphum.
Infudere epulas auro, quod terra, quod aer,
Quod pelagus, Nilusque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens toto quæsit in orbe,
Non mandante fame: multas volucresque ferasque

Ægypti posuere deos: manibusque ministrat
 Niliacas crystallus aquas: gemmæque capaces
 Excepere merum, sed non Marcotidos uvæ,
 Nobile sed paucis senium cui contulit annis
 Indomitum Meroe cogens spumare Falernum.
 Accipiunt sertas (1) nardo florente coronas,
 Et numquam fugiente rosa: multumque madenti
 Infudere comæ, quod nondum evanuit aura
 Cinnamon, externa nec perdidit aera terra.
 Advectumque recens vicinæ messis Amomon.
 Discit opes Cæsar spoliati perdere mundi,
 Et gessisse pudet genero cum paupere bellum,
 Et caussas Phariis Martis cum gentibus optat.

Postquam epulis, Bacchoque modum lassata voluptas
 Imposuit, longis Cæsar producere noctem
 Inchoat adloquiis: summaque in sede jacentem
 Linigerum placidis compellat Achorea dictis:
 „O sacris devote senex, quodque arguit ætas,
 „Non neglecte deis, Phariæ primordia gentis,
 „Terrarum situm, vulgique edissere mores,
 „Et ritus, formasque deûm: quodcumque vetustis
 „Insculptum est adytis profer, noscique volentes
 „Prode deos. Si Cecropium sua sacra Platona
 „Majores docuere tui: quis dignior umquam
 „Hoc fuit auditu, mundique capacior hospes?
 „Fama quidem generi Pharias me duxit ad urbes,

(1) septas, festas, sectas MSS.

„Sed tamen & vestri: media inter prælia semper
 „Stellarum, cœlique plagis, superisque (1) vacavi,
 „Nec meus Eudoxi vincetur Fastibus annus.
 „Sed quum tanta meo vivat sub pectore virtus,
 „Tantus amor veri, nihil est quod noscere malim,
 „Quam fluvii caussas per sæcula tanta latentes,
 „Ignotumque caput: spes sit mihi certa videndi
 „Niliacos fontes; bellum civile relinquam.“
 Finierat, contraque sacer sic orsus Achoreus:

„Fas mihi magnorum Cæsar secreta parentum
 „Prodere, ad hoc ævi populis ignota profanis.
 „Sit pietas aliis, miracula tanta silere:
 „Ast ego cœlicolis gratum reor, ire per omnes
 „Hoc opus, & sacras populis notescere leges.
 „Sideribus, quæ sola fugam moderantur Olympi,
 „Occurruntque polo, diversa potentia prima
 „Mundi lege data est. Sol tempora dividit anni (2),
 „Mutat nocte dies, radiisque potentibus astra
 „Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.
 „Luna suis vicibus Tethyn, terrenaque miscet.
 „Frigida Saturno glacies, & zona nivalis
 „Cessit. Habet ventos, incertaque fulmina (3) Mavors.
 „Sub Jove temperies, & numquam turbidus aer.
 „At fecunda Venus cunctarum semina rerum

(1) curisque duo ex melioribus.

(2) ævi MSS. pleriq. & edd. Aldina.

(3) numina, flumina, flamina MSS.

„Possidet. Immensæ Cyllenius arbiter undæ est.
„Hunc ubi pars cœli tenuit, qua mixta Leonis
„Sidera sunt Cancro, rapidos qua Sirius ignes
„Exerit, & varii mutator circulus anni
„Ægoceron, Cancrumque tenet, cui subdita Nili
„Ora latent: quæ quum dominus percussit aquarum
„Ignæ superjecto, tunc Nilus fonte soluto
„Exit, ut Oceanus lunaribus incrementis
„Jussus adest, auctusque suos non ante coartat,
„Quam nox æstivas a sole receperit horas.
„Vana fides veterum, Nilo, quo crescat in arva,
„Æthiopum prodesse nives. Non Arctos in illis
„Montibus, aut Boreas. Testis tibi sole perusti
„Ipse color populi, calidique vaporibus Austri.
„Adde, quod omne caput fluvii, quodcumque soluta
„Præcipitat glacies, ingresso vere tumescit
„Prima tæbe nivis: Nilus neque suscitât undas
„Ante Canis radios, nec ripis adligat amnem
„Ante parem nocti, Libra sub iudice, Phœbum,
„Unde etiam leges aliarum nescit aquarum:
„Nec tumet hybernus, quum longe sole remoto
„Officiis caret unda suis: dare jussus iniquo
„Temperiem cœlo, mediis æstatibus exit,
„Sub torrente plaga: neu terras dissipet ignis,
„Nilus adest mundo, contraque incensa Leonis
„Ora tumet: Cancroque suam torrente Syenen,
„Imploratus adest: campos nec liberat undis,

„Donec in autumnum declinet Phœbus, & umbras
„Extendat Meroe. Quis caussas reddere possit?
„Sic jussit natura parens decurrere Nilum:
„Sic opus est mundo. Zephyros quoque vana vetustas
„His adscribit aquis, quorum stata tempora flatus,
„Continuique dies, & in aere longa potestas:
„Vel quod ab occiduo pellunt tot nubila cœlo
„Trans Noton; & fluvio cogunt incumbere nimbos:
„Vel quod aquas toties rumpentis litora Nili
„Adsiduo feriunt, coguntque resistere fluctu.
„Ille mora cursus, adversique obice ponti
„Æstuat in campos. Sunt qui spiramina terris
„Esse putant, magnosque cavæ compagis hiatus.
„Commeat hac tacitis penitus discursibus unda
„Frigore ab Arctoo medium revocata sub axem:
„Quum Phœbus pressit Meroen, tellusque perusta
„Illuc duxit aquas, trahitur Gangesque, Padusque,
„Per tacitum mundi; tunc omnia flumina Nilus
„Uno fonte vomens non uno gurgite perfert.
„Rumor, ab Oceano, qui terras adligat omnes,
„Exundante procul violentum erumpere Nilum,
„Æquoreosque sales longo mitescere tractu.
„Nec non Oceano pasci Phœbumque polosque
„Credimus: hunc, calidi tetigit quum brachia Cancri,
„Sol rapit, atque undæ plus, quam quod digerat aer
„Tollitur. Hoc noctes referunt, Niloque refundunt.
„Ast ego, si tantam jus est mihi solvere litem,

„ Quasdam, Cæsar, aquas post mundi sera peracti
 „ Sæcula, concussis terrarum erumpere venis,
 „ Non id agente deo, quasdam compage sub ipsa
 „ Cum toto cœpisse reor, quas ille creator,
 „ Atque opifex rerum certo sub jure coercet.
 „ Quæ tibi noscendi Nilum, Romane, cupido,
 „ Et Phariis, Persisque fuit, Macetûmque tyrannis:
 „ Nullaque non ætas voluit conferre futuris
 „ Notitiam: sed vincit adhuc natura latendi.
 „ Summus Alexander regum, quos Memphis adorat,
 „ Invidit Nilo, misitque per ultima terræ
 „ Æthiopum lectos: illos rubicunda perusti
 „ Zona poli tenuit; Nilum vidère calentem.
 „ Venit ad occasus, mundique extrema Sesostris,
 „ Et Pharios currus regum cervicibus egit:
 „ Ante tamen vestros amnes Rhodanumque, Padumque,
 „ Quam Nilum de fonte bibit. Vesanus in ortus
 „ Cambyses longi populos pervenit ad ævi,
 „ Defectusque epulis, & pastus cæde suorum,
 „ Ignoto te, Nile, redit. Non fabula mendax
 „ Ausa loqui de fonte tuo est, ubicumque videris,
 „ Quæreris: & nulli contingit gloria genti,
 „ Ut Nilo sit læta (1) suo. Tua flumina prodam,
 „ Qua deus undarum celator, Nile, tuarum
 „ Te mihi nosse dedit. Medio consurgis ab axe,

(1) nota MSS. *quinque*.

„Ausus in ardentem ripas adtollere Cancrum:
 „In Borean is rectus aquis, mediumque Booten:
 „Cursus in occasum flexu torquetur, & ortus,
 „Nunc Arabum populis, Libycis nunc æquus arenis:
 „Teque vident primi, quærunt tamen hi quoque, Seres,
 „Æthiopumque feris alieno gurgite campos:
 „Et te terrarum nescit cui debeat orbis.
 „Arcanum natura caput non prodidit ulli,
 „Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
 „Amovitque sinus, & gentes maluit ortus
 „Mirari, quam nosse tuos. Consurgere in ipsis
 „Jus tibi solstitiis, aliena crescere bruma,
 „Atque hiemes adferre (1) tuas: solique vagari
 „Concessum per utrosque polos. Hic quæritur ortus,
 „Illic finis aquæ. Late tibi gurgite rupto
 „Ambitur nigris Meroë fecunda colonis,
 „Læta comis hebeni: quæ, quamvis arbore multa
 „Frondeat, æstatem nulla sibi mitigat umbra:
 „Linea tam rectum mundi fert illa Leonem.
 „Inde plagas Phœbi, damnum non passus aquarum,
 „Præveheris, sterilisque diu metiris arenas,
 „Nunc omnes unum vires collectus in amnem,
 „Nunc vagus, & spargens facilem tibi cedere ripam.
 „Rursus multifidas revocat piger alveus undas,
 „Qua dirimunt Arabum populis Ægyptia rura

(1) perferre *edd. principes*.

„Regni claustra Philæ. Mox te deserta secantem,
 „Quæ dirimunt nostro rubri commercia Ponti,
 „Mollis lapsus agit. Quis te tam lene fluentem
 „Moturum tantas violenti gurgitis iras,
 „Nile, putet? sed quum lapsus abrupta viarum
 „Exceperet tuos, & præcipites cataractæ,
 „Ac nusquam vetitis ulla obsistere cautes
 „Indignaris aquis: spuma tunc astra lacessis:
 „Cuncta fremunt undis: ac multo murmure montis
 „Spumeus invitis (1) canescit fluctibus amnis.
 „Hinc, Abaton quam nostra vocat veneranda vetustas,
 „Petra patens, (2) primos sentit percussa tumultus,
 „Et scopuli, placuit fluvii quos dicere venas,
 „Quod manifesta novi primum dant signa tumoris.
 „Hinc montes natura vagis circumdedit undis,
 „Qui Libyæ te, Nile, negant: quos inter in alta
 „It convalle tacens jam moribus (3) unda receptis.
 „Prima tibi campos permittit, aperta que Memphis
 „Rura, modumque vetat crescendi ponere ripas.“

Sic velut in tuta securi pace trahebant
 Noctis iter mediæ: sed non vesana Pothini
 Mens imbuta semel tam sacra cæde, vacabat.
 A scelerum motu. Magno nihil ille peremto
 Jam putat esse nefas: habitant sub pectore manes,

(1) invictis *vulgo*.

(2) terra potens *vulgo*.

(3) jacens stat molibus *var*.

Ultricesque deæ dant in nova monstra furorem.
Dignatur viles isto quoque sanguine dextras,
Quo Fortuna parat victos perfundere Patres;
Pœnaque civilis belli, vindicta senatus
Pæne data est famulo. Procul hoc avertite fata
Crimen, ut hæc Bruto cervix absente secetur.
It scelus in Pharium Romani pœna tyranni,
Exemplumque perit. Struit audax irrita fatis,
Nec parat occultæ cædem committere fraudi:
Inviictumque ducem detecto Marte lacessit.
Tantum animi delicta dabant, ut colla ferire
Cæsaris, & socerum jungi tibi, Magne, juberet:
Atque hæc dicta monet famulos perferre fideles
Ad Pompejanæ socium sibi cædis Achillam,
Quem puer imbellis cunctis præfecerat armis,
Et dederat ferrum, nullo sibi jure retento,
In cunctos, in seque simul. „Tu mollibus, inquit,
„Nunc incumbe toris, & pingues exige somnos:
„Invasit Cleopatra domum. Nec prodita tantum est,
„Sed donata Pharos. Cessas accurrere solus
„Ad dominæ thalamos? nubit soror impia fratri:
„Nam Latio jam nupta duci est: interque maritos
„Discurrens Ægypton habet, Romamque meretur.
„Expugnare senem potuit Cleopatra venenis:
„Crede miser puero: quem nox si junxerit una,
„Et semel amplexus incesto pectore passus
„Hauserit obscenum titulo pietatis amorem,

„Meque, tuumque caput, per singula forsitan illi
„Oscula donabit. Crucibus, flammisque luemus
„Si sperit formosa soror. Nil undique restat
„Auxilii: rex hinc conjux, hinc Cæsar adulter:
„Et sumus, ut fatear, tam sæva iudice sontes.
„Quem non ex nobis credit Cleopatra nocentem
„A quo casta fuit? per te, quod fecimus una,
„Perdidimusque nefas, perque ictum sanguine Magni
„Fœdus, ades: subito bellum molire tumultu:
„Irrue nocturnus, rumpamus funere tædas,
„Crudelemque toris dominam mactemus in ipsis
„Cum quocumque viro. Nec nos deterreat ausis
„Hesperii Fortuna ducis. Quæ sustulit illum,
„Imposuitque orbi, communis gloria nobis:
„Nos quoque sublimes Magnus facit. Adspice litus
„Spem nostri sceleris: pollutos consule fluctus,
„Quid liceat nobis: tumulumque e pulvere parvo
„Adspice Pompeji non omnia membra tegentem.
„Quem metuis, par hujus erat. Non sanguine clari:
„Quid refert? nec opes populorum, ac regna movemus.
„Ad scelus ingentis fati sumus. Adtrahit illos
„In nostras Fortuna manus. En altera venit
„Vidua nobilior. Placemus cæde secunda
„Hesperias gentes. Jugulus mihi Cæsaris haustus
„Hoc præstare potest, Pompeji cæde nocentes
„Ut populus Romanus amet. Quid nomina tanta
„Horremus, viresque ducis, quibus ille relictis

„Miles erit? nox hæc peraget civilia bella,
„Inferiasque dabit populis, & mittet ad umbras,
„Quod debetur adhuc, mundi caput. Ite feroces
„Cæsaris in jugulum: præstet Lagea juvenus
„Hoc regi, Romana sibi. Tu parce morari:
„Plenum epulis, madidumque mero, Venerique paratum
„Invenies: aude: superos tot vota Catonum,
„Brutorumque tibi tribuent.“ Non segnis Achilles
Suadenti parere nefas. Haud clara movendis,
Ut mos, signa dedit castris; nec prodidit arma
Ullius clangore tubæ: temere omnia sævi
Instrumenta rapit belli. Pars maxima turbæ
Plebis erat Latia: sed tanta oblivio mentes
Cepit, in externos corrupto milite mores,
Ut duce sub famulo, jussuque satellitis irent,
Quos erat indignum Phario parere tyranno.
Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur;
Venalesque manus: ibi fas, ubi proxima merces:
Ære merent parvo: jugulumque in Cæsaris ire
Non sibi dant. Pro fas! ubi non civilia bella
Invenit imperii fatum miserabile nostri?
Thessaliæ subducta acies in litore Nili
More furit patrio. Quid te plus, Magne, recepto
Ausa foret Lagea domus? dat scilicet omnis
Dextera, quod debet superis: nullique vacare
Fas est Romano. Latium sic scindere corpus
Dis placitum: non in soceri generique favorem

Discedunt populi. Civilia bella satelles
 Movit, & in partem Romani venit Achilles.
 Et ni fata manus a sanguine Cæsaris arcent,
 Hæ vincunt partes. Aderant maturus uterque:
 Et districta epulis ad cunctas aula patebat
 Insidias: poteratque cruor per regia fundi
 Pocula Cæsareus, mensæque incumbere cervix.
 Sed metuunt belli trepidos in nocte tumultus,
 Ne cædes confusa, manus permissaque fatis
 Te, Ptolemæe, trahat. Tanta est fiducia ferri.
 Non rapuere nefas: summi contemta facultas
 Est operis: visum famulis reparabile damnum,
 Illam mactandi dimittere (1) Cæsaris horam.
 Servatur pœnas in aperta luce daturus.
 Donata est nox una duci, vixitque Pothini
 Munere Phœbeos Cæsar dilatus in ortus.

Lucifer a Casia prospexit rupe, diemque
 Misit in Ægypton primo quoque sole calentem:
 Quum procul e muris (2) acies non sparsa manipulis,
 Nec vaga conspicitur, sed justos qualis in hostes
 Recta fronte venit. Passuri comminus arma,
 Laturique ruunt. At Cæsar mœnibus urbis
 Diffusus, clausæ foribus se protegit aulæ,
 Degeneres passus latebras. Nec tota vacabat
 Regia compresso: minima collegerat arma

(1) permittere MSS. *quinq.* & *Lovan.*

(2) a muris *vulgo.*

Parte domûs: tanguant animos iræque, metusque:
Et timet incursus, indignaturque timere.
Sic fremit in parvis fera nobilis abdita claustris,
Et frangit rapidos præmorso carcere dentes:
Nec secus in Siculis fureret tua flamma cavernis,
Obstrueret summam si quis tibi Mulciber Ætnen.
Audax Thessalici nuper qui rupe sub Æmi,
Hesperix cunctos proceres, aciemque senatus,
Pompejumque ducem, caussa sperare vetante,
Non timuit, fatumque sibi promisit iniquum,
Expavit servile nefas, intraque penates
Obruitur (1) telis; quem non violasset Alanus,
Non Scythæ, non fixo qui ludit in hospite Maurus.
Hic, cui Romani spatium non sufficit orbis,
Parvaque regna putat Tyriis cum Gadibus Indos,
Ceu puer imbellis, ceu captis femina muris,
Quærit tuta domûs: spem vitæ in limine clauso
Ponit, & incerto lustrat vagus atria cursu:
Non sine rege tamen; quem ducit in omnia secum,
Sumturus pœnas & grata piacula morti,
Missurusque tuum, si non sint tela, neque ignis,
In famulos, Ptolemæe, caput. Sic barbara Colchis
Creditur ultorem metuens regnique, fugæque,
Ense suo fratrisque simul cervice parata
Exspectasse patrem. Cogunt tamen ultima rerum
Spem pacis tentare ducem: missusque satellites

(1) obstruitur MS. & ed. Venet.

Regius, ut sævos absentis voce tyranni
 Corriperet famulos, quo bellum auctore moverent.
 Sed neque jus mundi valuit, nec fœdera sancta
 Gentibus: orator regis, pacisque sequester,
 Æstimat in numero scelerum ponenda tuorum,
 Tot monstribus, Ægypte, nocens. Non Thessala tellus,
 Vastaque regna Jubæ, non Pontus, & impia signa
 Pharnacis, & gelido circumfluis orbis Ibero
 Tantum ausus (1) scelerum, non Syrtis barbara, quantum
 Deliciæ fecere tuæ. Premit undique bellum,
 Inque domum jam tela cadunt, quassantque penates.
 Non aries uno moturus limina pulsu,
 Fracturusque domum; non ulla est machina belli:
 Nec flammis mandatur opus: sed cæca Juventus
 Consilii, vastos ambit divisa penates,
 Et nusquam totis incursat viribus agmen.
 Fata vetant, murique vicem Fortuna tuetur.
 Nec non & ratibus tentatur regia, qua se
 Protulit in medios audaci margine fluctus
 Ambitiosa domus. Sed adest defensor ubique
 Cæsar, & hos aditu gladiis, hos ignibus arcet:
 Obsessusque gerit (tanta est constantia menti)
 Expugnantis opus. Piceo jubet unguine tactas (2)
 Lampadas inmitti junctis in bella (3) carinis.

(1) ausi *scripsi septem.*

(2) tinctas *vulgo.*

(3) in vela *MSS.*

Nec piger ignis erat per stuppea vincula, perque
Manantes cera tabulas: & tempore eodem
Transtraque nautarum summique arsere ceruchi.
Jam prope semiustæ merguntur in æquore classes,
Jamque hostes, & tela natant. Nec puppibus ignis
Incubuit solis: sed quæ vicina fuere
Tectâ mari longis rapuere vaporibus ignem:
Et cladem fovere Noti, percussaue flamma
Turbine, non alio motu per tectâ cucurrit,
Quam solet ætherio lampas discurrere sulco,
Materiaque carens, atque ardens aere solo.
Illa lues clausa paullum revocavit ab aula
Urbis in auxilium populos. Nec tempora cladis
Perdidit in somnos, sed cæca nocte carinas
Insiluit Cæsar, semper feliciter (1) usus
Præcipiti cursu bellorum, & tempore raptō.
Tunc claustrum pelagi cepit Pharon. Insula quondam
In medio stetit illa mari, sub tempore vatis
Proteos: at nunc est Pellæis proxima muris.
Illa duci geminos bellorum præstitit usus:
Abstulit excursus (2) & fauces æquoris hosti;
Cæsaris auxiliis aditus ac libera ponti
Ostia permisit. Nec pœnas inde Pothini
Distulit ulterius: sed non qua debuit ira,
Non cruce, non flammis, rapuit non dente ferarum,

(1) felicibus sex meliores.

(2) & cursus aliquot scripti.

Heu facinus! cervix gladio male cæsa pependit:
 Magni morte perit. Nec non subrepta paratis
 A famulo Ganymede dolis pervenit ad hostes
 Cæsaris Arsinoe: quæ castra carentia rege
 Ut proles Lagea tonet, famulumque tyranni
 Terribilem justo transegit Achillea ferro.
 Altera, Magne, tuis en! víctima mittitur umbris:
 Nec satis hoc Fortuna putat. Procul absit, ut ista
 Vindictæ sit summa tuæ. Non ipse tyrannus
 Sufficit in pœnas, non omnis regia Lagi.
 Dum patrii veniant in viscera Cæsaris enses,
 Magnus inultus erit. Sed non auctore furoris
 Sublato cecidit rabies: nam rursus in arma
 Auspiciis Ganymedis eunt: ac multa secundo
 Prœlia Marte gerunt. Potuit discrimine summo
 Cæsaris una dies (1) in famam, & sæcula mitti.
 Molis in exiguæ spatio stipantibus armis,
 Dum parat in vacuas Martem transferre carinas
 Dux Latius, tota subiti formidine belli
 Cingitur: hinc densæ prætexunt litora classes,
 Hinc tergo insultant pedites: via nulla salutis,
 Non fuga, non virtus: vix spes quoque mortis honestæ.
 Non acie fusa, magnæ nec stragis acervo
 Vincendus tunc Cæsar erat, sed sanguine nullo,
 Captus sorte loci: pendet dubiusque timeret,
Opta-

(1) illa dies MS.

Optāretne mori; respexit in agmine denso
Scēnam perpetuæ meritum jam nomina famæ
Ad campos Epidamne tuos; ubi solus apertis
Obsedit muris calcantem mœnia Magnum.

FINIS PHARSALIÆ.





INCERTI AUCTORIS

A D

CALPURNIUM PISONEM

POEMATION

LUCANO VULGO ADSCRIPTUM.

UNDE prius cœpti surgat mihi carminis ordo,
 Quosve canam titulos, dubius, feror. Hinc tua, Piso,
 Nobilitas, veterisque citant sublimia Calpi
 Nomina, Romanas inter fulgentia gentes:
 Hinc tua me virtus rapit, & miranda per omnes
 Vita modos: quæ, si deesset tibi forte creato
 Nobilitas, eadem pro nobilitate fuisset.
 Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
 Atria, quid pleni numeroso consule fasti,
 Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo
 Nobilitas, cujus laus est in origine sola.
 Felix, qui tantis animum natalibus æquas,
 Et partem tituli, non summam ponis in illis,

Ipse canendus eris: nam quid memorare necesse est,
 Ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat?
 Claraque Pisonis tulerit cognomina prima,
 Humida callosa quum pinseret hordea dextra?
 Nec si cuncta velim, breviter decurrere possim:
 Et prius ætheriæ moles circumvaga flammæ,
 Annua bis senis revocabit mensibus astra,
 Quam mihi priscorum titulos, operosaque bella
 Contigerit memorare: manus sed bellica patrum
 Armorumque labor, veteres docuere Quirites,
 Atque illos cecinere sui per carmina vates.
 Nos quoque pacata Pisonem laude nitentem,
 Exæquamus avis. Tamen etsi bella quierunt,
 Non periit virtus: licet exercere togatæ
 Munera militiæ: licet & sine sanguinis haustu
 Mitia legitimo sub iudice bella movere.
 Hinc quoque servati contingit gloria civis,
 Altaque victrices intexunt limina palmæ.
 Quin age majorum juvenis facunde tuorum,
 Scande super titulos, & avitæ laudis honores,
 Armorumque decus præcede forensibus actis.
 Sic etiam magno jam tunc Cicerone vigente
 Laureæ facundis cesserunt arma togatis.
 Quæque patrum claros quondam visura triumphos
 Olim turba vias impleverat agmine denso,
 Ardua nunc eadem stipat fora, quum tua mæstos
 Defensura reos vocem facundia mittit:

Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum,
Et firmare jubet centeno judice causas:
Seu capitale nefas operosa diluis arte,
Laudibus ipsa tuis resonant fora. Tu quoque Piso
Judicis adfectum, possessaque pectora ducis
Victor, sponte sua sequitur quocumque vocasti:
Flet, si flere jubes: gaudet gaudere coactus:
Et te dante capit judex, quam non habet, iram.
Sic auriga solet ferventia Thessalus ora
Mobilibus frenis in aperto flectere campo,
Qui modo non solum rapido permittit habenas
Quadrupedi, sed calce citat, modo torquet in auras
Flexibiles rictus, & nunc cervice rotata
Incipit effusos in gyrum carpere cursus.
Quis non adtonitus judex tua respicit ora?
Quis regit ipse suam, nisi per tua pondera, mentem?
Nam tu, sive libet pariter cum grandine nimbos,
Densaue vibrata jaculari fulmina lingua,
Seu juvat adstrictas in nodum cogere voces,
Et dare subtili vivacia verba catenæ,
Vim Laertiadæ, brevitatem vincis Atridæ.
Dulcia seu mavis, liquidoque fluentia cursu
Verba, nec incluso, sed aperto pingere flore,
Inelyta Nestorei cedit tibi gratia mellis.
Nec te Piso tamen populo sub judice sola
Mirantur fora; sed numerosa laude senatus
Excipit, & meritas reddit tibi curiæ voces.

Quis digne referat, qualis tibi luce sub illa
Gloria contigerit, qua tu, reticente senatu,
Quum tua bis senos numeraret purpura fasces,
Cæsareum grato cecinisti pectore numen?
Huc etiam tota concurrit ab urbe Juventus
Auditura virum, si quando iudice fesso
Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus:
Tunc etenim levibus veluti proludit in armis,
Compositisque suas exercet litibus artes.
Quin etiam facilis Romano profluit ore
Græcia, Cecropiæque sonat gravis æmulus undæ.
Testis Acidalia quæ condidit alite muros,
Euboicam referens secunda Neapolis arcem.
Qualis io supèri, qualis nitor oris amœnis
Vocibus? hinc solido fulgore micantia verba
Implevere locos: hinc exornata figuris
Advolat, excussa velox sententia torno.
Magna quidem virtus erat, & si sola fuisset,
Eloquio sanctum modo permulcere senatum,
Exonerare pios modo, nunc onerare nocentes:
Sed super ista movet plenus gravitate serena
Vultus, & insigni præstringit imagine visus.
Talis inest habitus, qualem nec dicere mœstum,
Nec fluidum, læta sed tetricitate decorum
Possumus: ingenitæ stat nobilitatis in illo
Pulcher honos, & digna suis natalibus ora.
Additur huc & justa fides, & plena pudoris

Libertas, animusque mala ferrugine purus:
Ipsaque possesso mens est opulentior auro.
Quis tua cultorum juvenis facunde tuorum
Limina pauper adit, quem non animosa beatum
Excipit, & subito juvat indulgentia censu?
Quodque magis dono fuerit pretiosius omni,
Diligis ex æquo: nec te Fortuna clientum,
Natalesve movent: probitas spectatur in illis.
Nulla superborum patiuntur dicta jocorum:
Nullius subitos adfert injuria risus.
Unus amicitiae summos tenor ambit, & imos.
Rara domus tenuem non aspernatur amicum,
Raraque non humilem calcit fastosa clientem.
Illic casta licet mens, & sine crimine constet
Vita, tamen probitas cum paupertate jacebit.
Sed lateri nullus comitem circumdare quærit,
Quem dat purus amor, sed quem tulit impia merces,
Nec quisquam vero pretium largitur amico,
Quem regat ex æquo, vicibusque regatur ab illo:
Sed miserum parva stipe munerat, ut pudibundos
Exercere sales inter convivia possit.
Ista procul labes, procul hæc Fortuna refugit
Piso tuam venerande domum; tu mitis, & acri
Asperitate carens, positoque per omnia fastu,
Inter ut æquales unus numeraris amicos:
Obsequiumque doces, & amorem quæris amando.
Cuncta domus varia cultorum personat arte,

Cuncta movet studium: nec enim tibi dura clientum
Turba rudisve placet, misero quæ freta labore
Nil nisi summoto novit præcedere vulgo:
Sed virtus numerosa juvat. Tu pronus in omne
Pectora ducis opus, seu te graviora vocarunt,
Seu leviora juvant. Nec enim facundia semper
Adducta cum fronte placet: nec semper in armis.
Bellica turba manet: nec tota classicus horror
Nocte dieque gemit: nec semper Cnossius arcu
Destinat, exempto sed laxat cornua nervo.
Et galea miles caput, & latus ense resolvit.
Ipsa vices natura subit, variataque cursus
Ordinat, inversis & frondibus explicat annum.
Non semper fluidis adopertus nubibus æther
Aurea terriferis obcæcat sidera nimbis.
Cessat hiems, madidos & siccatur verè capillos:
Ver fugit æstates; æstatum terga lacessit
Pomifer autumnus, nebulis cessurus, & undis.
Ignea quin etiam superùm pater arma recondit;
Et Ganymedeæ repetens convivia mensæ,
Pocula sumit ea, qua gessit fulmina, dextra.
Temporibus servire decet: qui tempora certis
Ponderibus pensavit, eum si bella vocabunt,
Miles erit: si pax, positis toga gestiet armis.
Hunc fora pacatum, bellantem castra decebunt.
Felix illa dies, totumque canenda per orbem,
Quæ tibi, vitales quum primum traderet auras,

Contulit innumeras intra tua pectora dotes.
Mira subest gravitas inter fora: mirus, omissa
Paulisper gravitate, lepos. Si carmina forte
Nescere ludenti jovit fluitantia versu,
Aonium facilis deducit pagina carmen.
Sive chelyn digitis, & eburno verberare pulsas,
Dulcis Apollinea sequitur testudine cantus,
Et te credibile est Phœbo didicisse magistro.
Nec pudeat pepulisse lyram, quum pace serena
Publica securis exsultent otia terris.
Nec pudeat Phœbea chelys, si creditur illis
Pulsari manibus, quibus & contenditur arcus.
Ipse fidem movisse ferox narratur Achilles,
Quamvis mille rates Priamejus ureret heros,
Et gravis obstreperet modulatis buccina nervis.
Illo dulce melos Nerejus extudit heros
Pollice, terribilis quo Pelias ibat in hostem.
Arma tuis etiam si forte rotare lacertis,
Inque gradum clausis libuit consistere membris
Et vitare simul, simul & captare petentem:
Mobilitate pedum celeres super orbibus orbes
Flectis, & obliquis fugientem cursibus urges.
Et nunc vivaci scrutaris pectora dextra,
Nunc latus adversum necopino percutis ictu.
Nec tibi mobilitas minor est, si forte volantem
Aut geminare pilam juvat, aut revocare cadentem
Et non sperato fugientem reddere gestu.

Hæret in hæc populus spectacula, totaque ludos
Turba repente suos jam sudabunda relinquit.
Te si forte juvat studiorum pondere iessum,
Non languere tamen, lususque movere per artem,
Callidiore modo tabula variatur aperta,
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros, nunc & niger adliget albos.
Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit
Calculus? aut quis non periturus perdidit hostem?
Mille modis acies tua dimicat: ille petentem
Dum fugit, ipse rapit: longo venit ille recessu,
Qui stetit in speculis: hic se committere rixæ
Audet, & in prædam venientem decipit hostem.
Ancipites subit ille moras, similisque ligato
Obligat ipse duos: hic ad majora movetur,
Ut citus & fracta prorumpat in agmina mandra,
Clausaque dejecto populetur mœnia vallo.
Interea sætis, quamvis acerrima surgant
Prœlia, militibus: plena tamen ipse phalange,
Aut etiam paucio spoliata milite vincis,
Et tibi captiva resonat manus utraque turba.
Sed prius emenso Titan versetur Olympo,
Quam mea tot laudes decurrere carmina possint.
Felix, & longa juvenis dignissime vita,
Eximiumque tuæ gentis decus, accipe nostri
Certus, & hoc veri complectere pignus amoris.
Quod si digna tua minus est mea pagina laude,

Sic & Ædonia superantur voce cicadæ,
Stridula quum rapido faciunt convicia Soli.
Quare age Calliope, posita gravitate forensi,
Limina Pisonis mecum pete: plura supersunt,
Quæ laudare velis inventa penatibus ipsis.





PETRONII ARBITRI

SPECIMEN

BELLI CIVILIS. (*)

*Ecce, belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur. Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longe melius historici faciunt, sed per ambages, deorumque ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus; ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosæ orationis sub testibus fidis. * tanquam si placet hic impetus, etsi nondum recepit ultimam manum.*

ORBE jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque,
Nec satius erat. Gravidis freta pulsa carinis

(*) Hoc Belli Civilis Specimen, æque ac sequens Supplementum extant in editione Parisiensi Barbou anni 1767.

At voluisse sat est : animum, non carmina jacto.
Tu modo lætus ades, forsan meliora canemus.
Et vires dabit ipse favor, dabit ipsa feracem
Spes animum: dignare tuos aperire Penates.
Hoc solum petimus: nec enim me divitis auri
Imperiosa fames, & habendi sæva libido
Impulerant, sed laudis amor: juvat, optime, tecum
Degere, cumque tuis virtutibus omne per ævum
Carminibus certare meis: sublimior ibo,
Si famæ mihi pandis iter, si detrahis umbram.
Abdita quid prodest generosi vena metalli,
Si cultore caret? quid inertī condita portu,
Si ductoris eget, ratis efficit, omnia quamvis
Armamenta ferat, teretique fluentia malo
Possit, & excusso dimittere vela rudente?
Ipse per Ausonias Æneja carmina gentes
Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum,
Mœoniumque senem Romano provocat ore,
Forsitan illius nemoris latuisset in umbra,
Quod canit, & sterili tantum cantasset avena,
Ignotus populis, si Mæcenate careret.
Qui tamen haud uni patefecit limina vati,
Nec sua Virgilio permisit numina soli.
Mæcenas Tragico quatientem pulpita cæstu
Evexit Varium. Mæcenas alta Thoantis
Eruit, & populis ostendit nomina Grajis.
Carmina Romanis etiam resonantia chordis,

Ausoniamque chelin gracilis patefecit Horatî.
O decus, & toto merito venerabilis ævo
Pierii tutela chori, quo præside tuti
Non ænquam vates inopi timuere senectæ.
Quod si quis nostris precibus locus, & mea vota
Si mentem subiere tuam, memorabilis olim
Tu mihi Mæcenas tereti cantabere versu.
Possumus æternæ nomen committere famæ:
Si tamen hoc ulli de se promittere fas est,
Et deus ultor abest: superest animosa voluntas,
Ipsaque nescio quid mens excellentius audet.
Tu nanti protende manum: tu, Piso, latentem
Exsere. Nos humilis domus, & sincera parentum,
Sed tenuis Fortunâ sua caliginè celat.
Possumus impositis caput exonerare tenebris,
Et lucem spectare novam, si quid modo lætus
Adnuis, & nostris subscribis, candide, votis.
Est mihi, crede, meis animus constantior annis;
Quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas
Cœperit, & nondum vicesima venerit ætas.
Quod si tam validæ mihi robur mentis inesset,
Et solidus primos impleret spiritus annos,
Auderem voces per carmina nostra referre
Piso tuas: sed fessa labat mihi pondere cervix,
Et tremefacta cadunt succiso poplite membra.
Sic nec olorinos audet Pandionis ales
Parva referre sonos, nec, si velit improba, possit.

Sic & Ædonia superantur voce cicadæ,
Stridula quum rapido faciunt convicia Soli.
Quare age Calliope, posita gravitate forensi,
Limina Pisonis mecum pete: plura supersunt,
Quæ laudare velis inventa penatibus ipsis.





PETRONII ARBITRI

SPECIMEN

BELLI CIVILIS. (*)

*Ecce , belli civilis ingens opus quisquis attigerit , nisi plenus literis , sub onere labetur . Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt , quod longe melius historici faciunt , sed per ambages , deorumque ministeria , & fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus ; ut potius furentis animi vaticinatio appareat , quam religiosæ orationis sub testibus fidis . * tanquam si placet hic impetus , etsi nondum recepit ultimam manum .*

ORBE jam totum victor Romanus habebat ,
 Qua mare , qua terræ , qua sidus currit utrumque ,
 Nec satiatum erat . Gravidis freta pulsa carinis

(*) Hoc Belli Civilis Specimen , æque ac sequens Supplementum extant in editione Parisiensi Barbou anni 1767.

Jam peragrabantur. Si quis sinus abditus ultra,
Si qua foret tellus quæ fulvum mitteret aurum,
Hostis erat: fatisque in tristia bella paratis
Quærebantur opes. Non vulgo nota placebant
Gaudia: non usu plebejo trita voluptas:
Assyria concham laudabat miles in unda.
Quæsitus tellure nitor certaverat ostro.
Hinc Numidæ crustas, illinc nova vellera Seres,
Atque Arabum populus sua despoliaverat arva.
Ecce aliæ clades, & læsa vulnera pacis.
Quæritur in silvis Mauri fera: & ultimus Ammon
Afrorum excutitur. Ne desit belluæ dente
Ad mortes pretiosa suas. Premit advena classes
Tigris, & aurata gradiens veſtatur in aula,
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem.
Heu pudet effari, perituraque prodere fata:
Persarum ritu male pubescentibus annis
Surripuere viros; exsectaque viscera ferro
In venerem fregere: atque ut fuga mobilis ævi
Circumscripta mora properantes differat annos,
Quærit se natura, nec invenit. Omnibus ergo
Scorta placent, fractique enervi corpore gressus:
Et laxi crines, & tot nova nomina vestis,
Quæque virum quærunt. Ecce Afris eruta terris
Citrea mensa, greges servorum, ostrumque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quæ sensum turbant. Hostile ac mobile lignum

Turba sepulta mero circumvenit: omniaque orbis
 Præmia, correptis miles vagus extruit armis.
 Ingeniosa gula est. Siculo scarus æquore mersus:
 Ad mensam vivus perducitur, inde Lucrinis
 Eruta litoribus vendunt conchylia cœnas,
 Ut renovent per damna famem. Jam Phasidos unda
 Orbata est avibus: mutoque in litore tantum
 Solæ desertis aspirant frondibus auræ.
 Nec minor in campo furor est, emptique Quirites
 Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertunt.
 Venalis populus, venalis curia Patrum:
 Est favor in pretio, senibus quoque libera virtus
 Exciderat, sparsisque opibus conversa potestas,
 Ipsaque majestas auro corrupta jacebat.
 Pellitur a populo victus Cato: tristior ille est
 Qui vicit, fascisque pudet rapuisse Catoni.
 Namque hoc dedecus est populi, morumque ruina.
 Non homo pulsus erat; sed in uno victa potestas
 Romanumque decus. Quare tam perdita Roma
 Ipsa sui merces erat, & sine vindice præda.
 Præterea gemino deprensam gurgite prædam
 Fœnoris illuvies, ususque exederat æris.
 Nulla est certa domus, nullum sine pignore corpus;
 Sed veluti tabes tacitis concepta medullis
 Intra membra furens curis latrantibus errat.
 Arma placent miseris, detritaque commoda luxu
 Vulneribus reparantur. Inops audacia tuta est.

Hoc mersam cœno Romam, somnoque jacentem
Quæ poterant artes sana ratione movere,
Ni furor, & bellum, ferroque excita libido?
Tres tulerat Fortuna duces; quos obruit omnes
Armorum strue diversa feralis Enyo.
Crassum Parthus habet; Libyco jacet æquore Magnus:
Julius ingratham perfudit sanguine Romam.
Et, quasi non posset tot tellus ferre sepulcra,
Divisit cineres. Hos gloria reddit honores.
Est locus exciso penitus demersus hiatu,
Parthenopen inter, magnæque Dicarchidos arva,
Cocytia perfusus aqua. Nam spiritus extra
Qui furit effusus funesto spargitur æstu.
Non hæc autumnus tellus viret, aut alit herbas
Cespitem lætus ager. Non verno persona cantu
Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur:
Sed chaos, & nigro squallentiâ pumice saxa
Gaudent ferali circumtumulata cupressu.
Has inter sedes Ditis pater extulit ora,
Bustorum flammis, & cana sparsa favilla:
Ac tali volucrem Fortunam voce lacessit:
„Rerum humanarum, divinarumque potestas,
„Fors, cui nulla placet nimium secunda potestas,
„Quæ nova semper amas, & mox possessa relinquis;
„Ecquid Romano sentis te pondere victam?
„Nec posse ulterius perituram extollere molem?
„Ipsa suas vires odit Romana juvenus,
„Et

„Et quas struxit opes, male sustinet. Aspice late
 „Luxuriam spoliū, & censum in damna furentē.
 „Ædificant auro, sedesque ad sidera mittunt:
 „Expelluntur aquæ saxis: mare nascitur arvis;
 „Et permutata rerū statione rebellant.
 „En etiam mea regna petunt. Perfossa dehiscit
 „Molibus insanis tellus, jam montibus haustis
 „Antra gemunt: & dum varios lapis invenit usus,
 „Inferni manes cælum sperare jubentur.
 „Quare age, Fors, muta pacatum in prælia vultum,
 „Romanosque cie, ac nostris da funera regnis.
 „Jam pridem nullo perfundimus ora cruore,
 „Nec mea Tisiphone sitientes perluit artus
 „Ex quo Syllanus bibit ensis, & horrida tellus
 „Extulit in lucem nutritas sanguine fruges.“
 Hæc ubi dicta dedit; dextræ conjungere dextram
 Conatus, rupto tellurem solvit hiatu.

Tunc fortuna levi defudit pectore voces:

„O genitor, cui Cocyti penetralia parent,
 „Si modo vera mihi fas est impune profari,
 „Vota tibi cedent: nec enim minor ira rebellet
 „Pectore in hoc, leviorque exurit flamma medullas.
 „Omnia, quæ tribui Romanis arcibus, odi;
 „Muneribusque meis irascor: destruet istas
 „Idem, qui posuit, moles Deus. Est mihi cordi
 „Quippe cremare viros, & sanguine pascere luxum.
 „Cerno equidem gemina jam stratos morte Philippos,

Z

„Thessaliæque rogos, & funera gentis Iberæ.
„Jam fragor armorum trepidantes personat aures.
„Et Libyæ cerno tua Nile gementia claustra,
„Adiacosque sinus, & Apollinis arma timentes.
„Pande age terrarum sitientia regna tuarum,
„Atque animas arcesse novas. Vix navita Porthmeus
„Sufficiet simulacra virûm traducere cimba,
„Classe opus est: tuque ingenti satiare ruina
„Pallida Tisiphone, concisaque vulnera mande.
„Ad Stygios manes laceratus ducitur orbis“.
Vix dum finierat, quum fulgure rupta corusco
Intremuit nubes, elisosque abscidit ignes.
Subsedit pater umbrarum, gremioque reducto
Telluris, pavitans fraternos palluit ictus.
Continuo clades hominum venturaque damna
Auspiciis patuere Deûm, namque ore cruento
Deformis Titan vultus caligine textit.
Civiles acies jam tum spirare putares.
Parte alia plenos extinxit Cynthia vultus,
Et lucem sceleri subduxit. Rupta tonabant
Verticibus lassis montis juga, nec vaga passim
Flumina per notas ibant morientia ripas.
Armorum strepitu cœlum furit, & tuba Martem
Sideribus transmissa ciet; jamque Ætna voratur
Ignibus insolitis, & in æthera fulmina mittit.
Ecce inter tumulos, atque ossa carentia bustis
Umbrarum facies diro stridore minatur.

Fax stellis comitata novis incendia ducit;
 Sanguineoque recens descendit Jupiter imbre.
 Hæc ostenta brevi solvit Deus. Exiit omnes
 Quippe moras Cæsar, vindictæque actus amore
 Gallica projecit, civilia sustulit arma.
 Alpibus aeriis, ubi Grajo nomine, pulsæ
 Descendunt rupes, & se patiuntur adiri,
 Est locus Herculeis aris sacer. Hunc nive dura
 Claudit hiems, canoque ad sidera vertice tollit.
 Cælum illinc cecidisse putes. Non solis adulti
 Mansuescit radiis, non verni temporis aura:
 Sed glacie concreta rigens, hiemisque pruinis
 Totum ferre potest humeris minitantibus orbem.
 Hæc ubi calcavit Cæsar juga milite læto,
 Optavitque locum, summo de vertice montis
 Hesperix campos late prospexit, & ambas
 Intentans cum voce manus ad sidera dixit:
 „Jupiter omnipotens, & tu Saturnia Tellus,
 „Armis læta meis, olimque onerata triumphis:
 „Testor ad has acies invitum arcessere Martem,
 „Invitas me ferre manus: sed vulnere cogor,
 „Pulsus ab urbe mea, dum Rhenum sanguine vinco;
 „Dum Gallos iterum Capitolia nostra petentes
 „Alpibus excludo: vincendo certior exul:
 „Sanguine Germano, sexagintaque triumphis,
 „Esse nocens cœpi. Quanquam quos gloria terret,
 „Aut qui sunt, qui bella volunt? mercedibus emptæ,

„Ac viles operæ; quorum est mea Roma noverca:
„Ut reor, haud impune; nec hanc sine vindice dextram
„Vinciet ignavus. Victores ite ferentes,
„Ite mei comites, & causam dicite ferro.
„Namque omnes unum crimen vocat: omnibus una
„Impendet clades. Reddenda est gratia vobis:
„Non solus vici. Quare, quia pœna trophæis
„Imminet, & sordes meruit victoria nostra,
„Iudice fortuna cadat alea. Sumite bellum,
„Et tentate manus. Certe mea causa peracta est.
„Inter tot fortes armatus nescio vinci.“
Hæc ubi personuit, de cœlo Delphicus ales
Omina læta dedit, pepulitque meatibus auras.
Nec non horrendi nemoris de parte sinistra
Insolitæ voces flamma sonuere sequenti.
Ipse nitor Phœbi vulgato lætior orbe
Crevit, & aurato præcinxit fulgure vultus.
Fortior ominibus movit Mavortia signa
Cæsar; & insolito gressu prior occupat haustus.
Prima quidem glacies, & cana juncta pruina
Non pugnavit humus, mitique horrore quievit:
Sed postquam turmæ nimbos fregere ligatos,
Et pavidus quadrupes undarum vincula rupit,
Incaluere nives, mox flumina montibus altis
Undabant modo nata: sed hæc quoque jussa putares,
Stabant & vincla fluctus stupuere pruina:
Et paulo ante lues jam concidenda jacebat.

Tum vero malefida prius vestigia luit,
 Decepitque pedes. Passim turmæque virique,
 Armaque congesta strue deplorata jacebant.
 Ecce etiam rigido concussæ flamine nubes
 Exonerabantur, nec rupti turbine venti
 Deerant, aut tumida confractum grandine cælum:
 Ipsæ jam nubes ruptæ super arma cadebant,
 Et concreta gelu Ponti velut unda ruebat.
 Victa erat ingenti Tellus nive, victaque cœli
 Sidera, victa suis hærentia flumina ripis;
 Nondum Cæsar erat: sed magnam nixus in hastant
 Horrida securis frangebat gressibus arva.
 Qualis Caucasæ decurrens arduus arce
 Amphitryoniades; aut torvo Jupiter ore,
 Quum se verticibus magni demisit Olympi,
 Et periturorum disjecit tela Gigantum.
 Dum Cæsar tumidas iratus deprimit arcēs:
 Interea voluer motis conterrita pennis
 Fama volat, summique petit juga celsa Palatī:
 Atque hoc Romano attonito fert omnia signa:
 Jam classes fluitare mari, totasque per Alpes
 Fervere Germano perfusas sanguine turmas.
 Arma, cruor, cædes, incendia, totaque bella
 Ante oculos volitant. Ergo pulsata tumultu
 Pectora per dubias scinduntur territa causas.
 Huic fuga per terras, illi magis unda probatur;
 Et patria est Pontus jam tutior. Est magis, arma

Qui tentata velit: fatisque iubentibus actus,
Quantum quisque timet, tantum fugit. Ocyor ipse
Hos inter motus populus, miserabile visu,
Quo mens ista iubet, deserta ducitur urbe.
Gaudet Roma fuga, debellatique Quirites
Rumoris sonitu mœrentia tecta relinquunt.
Ille manu trepida natos tenet: ille penates
Occultat gremio, deploratumque relinquit
Limen, & absentem votis interficit hostem.
Sunt qui conjugibus mœrentia pectora jungant,
Grandævosque patres; onerisque ignara juvenus
Id, pro quo metuit, tantum trahit. Omnia secum
Hic vehit imprudens, prædamque in prælia ducit.
Ac velut ex alto quum magnus inhorruit Auster,
Et pulsas evertit aquas, non arma ministris,
Non regimen prodest: ligat alter pondera pinus,
Alter tuta sinu tranquillaque litora quærit:
Hic dat vela fugæ, Fortunæque omnia credit.
Quid tam parva queror? gemino cum Consule Magnus,
Ille tremor Ponti, sævi quoque terror Hydaspis,
Et piratarum scopulus: modo quem ter ovantem
Jupiter horruerat; quem fracto in gurgite Pontus,
Et veneratus erat submissa Bosporus unda,
Proh pudor! Imperii deserto nomine fugit,
Ut Fortuna levis Magni quoque terga videret.
Ergo tanta lues Divûm quoque numina vidit:
Consensitque fugæ cœli timor. Ecce per orbem

Mitis turba Deūm, terras exosa furentes
 Deserit; atque hominum damnatum avertitur agmen.
 Pax prima ante alias, niveos pulsata lacertos
 Abscondit galea victum caput, atque relicto
 Orbe fugax Ditis petit implacabile regnum.
 Huic comes it sincera Fides, & crine soluto
 Justitia, ac mærens lacera Concordia palla.
 At contra, sedes Erebi qua rupta dehiscit,
 Emergit late Ditis chorus, horrida Erinnyes,
 Et Bellona minax, facibusque armata Megæra:
 Lethumque, Insidiæque, & lurida Mortis imago.
 Quas inter Furor, abruptis ceu liber habenis
 Sanguineum late tollit caput, oraque mille
 Vulneribus confossa cruenta casside velat.
 Hæret detritus lævæ Mavortius umbo,
 Innumerabilibus telis gravis: atque flagranti
 Stipite dextra minax terris incendia portat.
 Sentit terra Deos, mutataque sidera pondus
 Quæsivere suum. Namque omnis Regia cœli
 In partes diducta ruit: primumque Dione
 Cæsaris acta sui ducit. Comes additur illi
 Pallas, & ingentem quatiens Mavortius hastam;
 Magnaque cum Phæbo soror, & Cyllenia proles
 Excipit, ac totis similis Tyrinthus actis.
 Infremuere tubæ, ac scisso Discordia crine
 Extulit ad Superos Stygium caput. Hujus in ore
 Concretus sanguis, contusaque lumina flebant.

Stabant ærati scabra rubigine dentes;
 Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
 Atque intertorto laceratam pectore vestem
 Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.
 Hæc ut Cocyti tenebras, & Tartara liquit,
 Alta petit gradiens juga nobilis Appennini,
 Unde omnes terras, atque omnia litora posset
 Aspicere, ac toto fluitantes orbe catervas:
 Atque has erumpit furibundo pectore voces:
 „Sumite nunc gentes accensis mentibus arma;
 „Sumite, & in medias immittite lampadas urbes.
 „Vincetur quicumque latet: non femina cesset,
 „Non puer, aut ævo jam desolata senectus.
 „Ipsa tremat Tellus, lacerataque tecta rebellent.
 „Tu legem, Marcelle tene: tu concute plebem
 „Curio, tu fortem ne supprime Lentule Martem.
 „Quid porro tu Dive tuis cunctaris in armis?
 „Non frangis portas? non muris oppida solvis,
 „Thesaurusque rapis? nescis tu Magne tueri
 „Romanas acies? Epidauria mœnia quære,
 „Thessalicosque sinus humano sanguine tinge.“
 Factum est in terris; quidquid Discordia jussit.



SUPPLEMENTUM
L U C A N I.
LIBRI SEPTEM,
AUCTORE
T H O M A M A I O
A N G L O.



SUPPLEMENTUM
LUCANI.
LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

*Rex Ptolemæus a Cæsare dimissus bellum parat.
Oraculum Serapidis. Ptolemæi mors.*

PERDIDERANT freta sæva minas, & ab æquore tutus,
Tutus ab insidiis imbellibus, & scelerata
Ægypti rabie, consedit litore Cæsar,
Vindictam spirans, tantaque efferbuit ira,
Quantam non Pharii potuit restinguere regni
Exitium. Justa est belli data causa gerendi:
Sed pudor, & magnam premit indignatio mentem
Bella dari tam justa, aut mollem audere Canopum
Cæsareas iras, infectaque tela mereri,
Quæ vix armipotens est ausa lacessere Roma;

Nec damno tantas iras levioꛑe luisseꛑ
Quam libertatis jactura, & funere Magni.

Quod tamen incolumis per tanta pericula Cæsar
Evāsīt, Superis poteras ignoscere, Roma,
Si sola Ægyptus redivivæ vulnera dextræ
Et sævos posthac gladios censura fuisset.
Inferias tibi, Magne, pias hæc bella dedissent
Et gratas Latio. Phæria de clade triumphum
Victori placida donasset fronte Senatus,
Templa coronasset votis, plausuque superbum
Spectasset læto currum Romana juvenus.
Hæc patriæ forsā victoria conciliasset
Cæsaris arma suæ, ni dira sequentia bella,
Ni Libycæ clades, & tristis funera Mundæ
Victrices alio fœdassent crimine dextras.

At Nili scelerata cohors, quæ sceptrā dedisset
Reginæ Arsinoe, subito mutata rebellat,
Fœmineum imperiū, fastusque exosa superbos
Eunuchi Ganymedis, & implet castra tumultu.
Nec pavidum murmur; consensu audacia crevit,
Tantaque turba metu pœnarum solvit ab omni.
Nec mora: delecti ad tentoria Cæsaris ibant
Invita Arsinoe, pacem Rēgemque petentes,
Et delictorum veniam, dirumque Pothinum
Ut scelerum auctorem, & sævum execrantur Achillam,
Qui facinus merita jam tandem morte luissent.

Ausonius Ductor, quamvis jam fervidus ira,

Pacem optans, Phariaque timens regione teneri
Dum procul Emathiæ coeant fragmenta ruinæ,
Dum, quas dispersit clades Pharsalica, rursus
Jungantur vires, & castra hostilia crescant,
Castigat primo dictis; mox fronte serena
Dat veniam precibus; nec tanta Cæsaris ira
Dignatur viles populos, impendere totos
Irarum fluctus cupiens civilibus armis.
Nil nisi Romani Imperii patriæque ruinas
Aut scelera esse suis aut digna pericula fatis
Credit, & imbellem Ptolemæum in regna remittit.

Quid tandem, miserande puer, tibi proderit ista
Libertas, quam morte lues, regnique ruina?
Tutior ah longe custodia Cæsaris esset
Quam data libertas; nec cum captivus agebas
Esse nocens poteras. Te sævi Cæsaris ira
Liberat ut fieres. Phariæ nam noverat aulæ
Perfidiam, moresque tuos, tua crimina sperans.
Ut mox justa cadas Cleopatraræ victima regno;
Cujus adulterii pretium Nilotica sceptrâ
Donabit Cæsar, dulcique impendet amor.

Nec Latium versuta Ducem spes ista fefellit.
Namque infelicem Ptolemæum in regna remissum
(Sive Ægyptiacæ fuit inconstantia gentis,
Seu Regis vitium) confestim oblivio cepit
Et dextræ fideique datæ; nova bella parabat,
Consiliis pravis, & spe delusus inani,

Inque suam accelerat properantia fata ruinam.
Et ne subsidiis accrescant castra marinis
Cæsarea, instructam disponit in æquora classem,
Qua levis Ægypto disternat unda Canopum.
Inceptum visa est primum Fortuna juvare.
Incidit in classem hanc sociis divisa carinis
Cæsaris una ratis, quæ fortem Euphranora vexit:
Hanc omni Phariæ puppes statione solutæ
Circumeunt. Perit numeris oppressa triremis.

Regius interea per Deltam exercitus ibat
Terrestris, multasque via muniverat arces.
Jam belli molem pulcherrima Delta tenebat,
Delta Ægyptiaci decus atque opulentia regni;
Per cujus virides sinuato gurgite campos
Huc illuc ludit Nilus, gyrisque recurrens
Nunc ambit, nunc implicitis intersecat undis
Pinguia culta suis, & nigra ditat arena.
Huic nomen terræ dat litera Delta triformi.
Oceano Boreale latus defenditur, in quem
Infandit sese septeno gurgite Nilus.
Quæ restant latera inde duo, duo brachia Nili
Ultima constituunt. Hæc inter brachia, quinque
In mare gurgitibus per Deltam volvitur amnis.

Magnus ab Æthiopum campis nigrantibus amnis
Volvitur, atque uno longe decurrit in alveo
Usque ad planitiem, qua surgit maxima Memphis
Pyramidum aggeribus totum celebrata per orbem.

Indulsit nimium faciles telluris opimæ
Fertilitas fruges populo, nimiumque pepercit
Agricolæ manibus, tanti jactura laboris
Ut fieri posset; moles ut vulgus inanes,
Vanaque Pyramidum miracula stupesceret Orbis.
Tot potuere manus steriles invertere glebas,
Emendare solum, muris circumdare terras,
Et tanto imbellem munimine cingere gentem,
Ut non incursum populi timuisset Eoi,
Non Persarum acies, pharetrataque robora Susæ;
Nec Macedum æratæ cessisset præda Phalangi
Fertilis Ægyptus; sed inexpugnabilis armis,
Atque sui juris seclum mansisset in omne.

Volvitur a Memphi partito gurgite Nilus,
Extremoque Eurum versus ferit æquora cornu
Ad Pelusiacas arces; at gurgite mollis,
Alluit occiduo litus portumque Canopi.
Huic dedit antiquum Menelai Navita nomen,
Litore (si famæ credas) tumultatus in isto,
Cum Pharii justus tenuit diademata regni
Proteus. Eripuit Paridi castissimus ille
Tindarida, & nullo vitiatam crimine servans
Post Trojam excisam ferro flammisque marito
Reddidit. Hæc tellus inter duo flumina Delta est
Dives opum, dives pecorum, lætisque colonum
Frugibus exaturans, atque urbibus inclyta magnis.
Quid Butum, Butive lacum, quo gentibus olim

Niliacis responsa dabat Phœbeja mater:

Quid sævam hospitibus memorem Busiridis urbem,
 Funestasque aras? teve urbs pulcherrima, nomen
 Cui Venus ipsa dedit? vel te delubra Minervæ
 Alta tenens Sais, quam rex Psammiticus olim
 Condidit? antiquæ juxta stant mœnia Mendes,
 Qua Deus Arcadiæ Pan pastoralis in urbe
 Religione patrum colitur. Cum matribus illic
 (Ut perhibent) capri coiere, & semine misto
 Fœdaverè uteros. Olim sic ille creatus,
 Qui pueri nimio Gyparissi ardebat amore.

Ante tamen quam rex Ptolemæus ab urbe Canopo
 Per Deltam transire parat, (nam nota Canopo
 Templâ Serapis habet.) scrutari oracula divûm,
 Et belli casus cupit explorare futuros.

Hic Deus alta tenens molli delubra Canopo,
 Quem serpentina Nilotica terra figura
 Vicinque colunt, non voce oracula reddit,
 Corniger ut Libycis colitur qui Syrtibus Ammon;
 Non esuve, fameve, velut Memphiticus Apis,
 Certa boni, fative mali præsentia pandit;
 Nec Phœbo similis Gyrrhæo, Virginis implet
 Concussos artus miseræ, quam pœna recepti
 Numinis, aut pretium mors immatura sequatur;
 Erudit at placide humanam per somnia mentem,
 Nocturnaue quiete docet: nulloque labore
 Hic tantum parta est pretiosa scientia, nullo

Excu-

Excuitur studio verum. Mortalia corda
Tunc Deus iste docet, cum sunt minus apta doceri,
Cum nullum obsequium præstant, meritisque fatentur
Nil sese debere suis; tunc recta scientes
Cum nil scire valent. Non illo tempore sensus
Humanos forsân dignatur numen inire,
Cum propriis possunt per se discursibus uti,
Ne forte humana ratio divina coiret.

Jamque Sacerdotes Regem in penetralia templi
Duxerunt. Tyrio resplendens sanguine & auro
Stratus erat lectus, quo tu, Ptolemæe, recumbens
Fatidici infelix captas præsentia somni.
Sacratos intrant templi sola illa recessus
Somnia, quæ Deus ipse creat; nam cætera cuncta,
Quæ vel temperies varias, variosve sequuntur
Corporis humores, vel quæ repetita diei
Aut studia, aut curæ finxerunt somnia, templo
Exteriore volant multas imitantia formas.
Illic præ reliquis fuscâ exhilarantia noctem
Formosa specie, roseisque volantia pennis
Sanguinea apparent, templique in margine ludunt.
His quoque de Veneris campo, placidoque vireto
Mille pharetrati fratres, gens mollis Amorum
Occurrunt noctu, & templo consortia jungunt.
Illic flammatis alis, vel fulguris instar
Nocturnæve facis, per summa cacumina templi
Somnia de flava nascentia bile, volatu

A a

Irato strepitant, tamquam hostem quærere semper
Audacem, & sævas assueta lacessere pugnas;
Excelsoque parant cælum superare volatu.
At contra timide tenebrosa per atria templi
Quæ nigra de bile fluunt, demissius ibant,
Nocturnæque ut aves strident feralibus alis,
Inter busta volant, & foedis sola sepulcris
Invitant Stygios mœsta ad consortia Manes.
Illic per postes, albataque mœnia templi
Ignavo incessu, tardæ testudinis instar,
Somnia, quæ pituita creat, trepidantia serpunt;
Ne si forte cadant, liquidis mergantur in undis;
Nam semper vana falluntur imagine lymphæ.
Hæc inter volitant imitantia mille figuris
Quidquid agunt homines passim; totidemque feruntur
Quot patitur magnus diversa negotia Mundus,
Aut objecta tenet. Cedunt hæc somnia cuncta
Divinis, quæ dat Numen, longeque remota
Non audent templi sacros intrare recessus.

Nocte fere media Ptolemæi pectora somnus
Vicerat optatus, cum jam divina Serapis
Somnia, mutandum Ægypti narrantia regnum,
Miserat. Incessu tardo delubra petebat
Bos niger ingenti specie; geminisque micabat
Pelle insignitus stellis; quarum altera tergo,
Altera fronte fuit media. Lugubre videtur
Mugire, atque oculis lacrymas effundere nigris,

Confectus macie, tanquam qui pabula nulla
Gustasset mœrens. Post majestate decora
Incedit; quamvis pullato fœmina cultu
Turrigero laceros effundens vertica crines,
Atque catenatos tendens post terga lacertos.
Tum, velut inferni plorarent carcere Manes,
Erupit subito tumulis lacrymabile murmur
Ex imis, scindi regalia Mausolea
Vidit, & erupto Ptolemæum exire sepulcro
Lagæum primo, reliquos hunc ordine reges
Pone sequi, miseræ crudelia fata gementes.
His vero attonitus visis Ptolemæus (ab omni
Nam gelidus trepido manavit corpore sudor)
Excusso somno templum circumspicit omne,
Talia Divorum quærens ostenta; sed illa
Quæ vidit clausis, oculis non vidit apertis.
Jamque sacerdotes veniunt, & somnia Regis
Audita horrentes, hinc lamentabile fatum,
Atque propinquantem regni dixere ruinam
Niliaci. Tum Dīs patriis lustrantur, & aras
Incendunt votis. Sed Dī propiore ruina
Te, Ptolemæe, prement. Casus, miserande, futuros
Dum patriæ narrat, celat tua fata Serapis.

Interea valido Mithridates agmine nuper
Per Cilicum populos Syriæque extrema coacto,
Ad Pelusiacam properans pervenerat arcem,
Quæ viridem Ægyptum Syriæ disternat arvīs.

Nam tota Ægyptus claustris munita duobus
Nititur; accessum prohibens arx ista pedestrem,
Ut Pharos æquoreum. Tanti sunt mœnia regni.
Sed non egregium omnino Pelusia tardant
Claustra ducem. Una dies arcemque expugnat & urbem.
Inde rapit celeri Mithridates agmine cursum,
Et se Cæsareis properat conjungere castris.
Hoc metuens equitum præmiserat agmina turmis
Obvia Cæsareis Ptolemæus; dum sibi castra
Colle locat celso, late qui despicit omnem
Planitiem, Ægyptus qua terram-effusa, patentem
Explicat. Est proprio mons undique robore tutus:
Difficilem declive solum, præruptaque saxa
Una parte dabant ascensum: tuta palude
Pars alia est: rapido pars tertia cingitur amne.
Sola angusta aditus ad montem præbuit isthmus.

Sed non castrorum tanto munimine tutum
Se satis esse ratus, procul illo arcere parabat
Cæsaris occursum; pontes, aditusque remotos
Milite custodit præmisso, & dissita longe
Flumina nequidquam (infelix) defendere tentat.
Nam neque Romanis animis fiducia cessit
Contra hostes, contraque locos pugnare paratis:
Virtutem Phariæ nec sustinere catervæ
Ausoniam. Cedunt ripis, & terga per agros
Præcipites dantes victoribus omnia relinquunt.

Contectam vidit castris Ptolemæus ab altis

Corporibus terram, rubefactaque cæde suorum
Prata quibus steterant, proprii præsagia fati
Tristia concipiens animo; dum castra petentes
Quos fuga servavit pauci, non viribus augent
Auxiliove suos, implent sed cuncta timore.
Quorum victores fugientia terga secuti
Instabant; acrique ad Regia castra tumultu
Perveniant; quæ jam Cæsar conamine toto,
Dum fortuna calet, dumque omnia plena timore,
Impiger aggreditur; nec adhuc victoria certa
Esse videbatur; Pharii dum castra tenebant.
Ite viri, dixit, belloque imponite finem.
Virtutis pretium, mercedem sanguinis, auro
Argentoque referta tenent tentoria Regis;
Niliacas gemmas, Erythræo e litore conchas,
Totque simul Procerum congestas undique gazas,
Quæ vobis debentur, ait, nunc sumere restat,
Et rapere a victis. Nec prædam quærere tantam
Segnis erat miles; parvam primo occupat Isthmon.
(Sola aditum hæc præbens disjungit ab amne paludem)
Illam præcipue pubes Ægyptia servat.
Illic concurrunt, oriturque miserrima cædes.
Hos formido ingens, & si vincantur in armis
Desperata salus: prædæ spes excitat illos.
Illic immensa rabie decernitur; amnis
Atque palus multo fœdantur utrinque cruore,
Semianimesque artus, & saucia corporavolvunt;

Quæ gemino pereunt fato. Dumque hostibus hostes
Conseruere manus, alternaque brachia nexu
Robusto tenere, cadunt in flumina juncti;
Nec furiosa illic relinquunt certamina; pugna
Contendunt ambo collapsi flumine vana;
Nam victum Stygias sequitur cito victor ad umbras.
Dumque omnes illa castrorum parte feroces
Concurrere manus Phariæ; celsum undique Cæsar
Contemplans montem, prærupta parte videbat
(Qua miseris est collis inexpugnabilis esse
Niliacis visus) nullo custode teneri;
Confestimque leves illuc jubet ire catervas
Quas Carfulenus duxit. Nec dura videntur
Hæc mandata Ducis; scandunt acclivia saxa,
Præcipitemque locum capiunt. Mors opprimit inde
Niliacos, poterat minimo unde labore repelli.
Jam Carfulenus per collem ascenderat audax,
Cumque levi intrarat Ptolemæi castra cohorte.
Attoniti fugiunt custodes; castra tumultu
Implentur; subitis perculsi casibus omnes
Huc illuc miseri discurrunt; quidve relinquunt,
Quidve petant capti non norunt. Cæsariani
(Dum trepidant intus, dum conficit omnia terror)
Acriter instantes irrumpunt undique castris.
Implorat frustra veniam gens victa; furentes
Nec tenuit Cæsar gladios; mactare nocentes
Imperat, inuisoque orbem purgare cruore.

Pars turbæ miseræ Latîis nutrita sub armis,
Et de Romuleis legionibus ante fuisset.
Hos olim e Syria duxit Gabinius audax
Exulis auxilio regis, belloque peractô
Pilæ satellitio Phario Romana reliquit.
Tempore torpuerant vires, luxuque Canopi
Cœperunt fracti veteres dediscere ritus,
Atque Ægyptiacos paulatim assumere mores.

Non procul a castris fugiens conspexit in undis
Rex miser haud magno pendentem a fune carinam;
Et cito conscendens, comites de litore jussit
Solvere, purpureos humeris dejecit amictus,
Ne nosci fugiens posset. Sed dura salutem
Fata negant; misero detracta insignia solum
Hoc Ptolemæe dabant, ut vilior umbra jaceres.
Namque hanc de castris Ægyptia turba carinam
Assequitur fugiens, properantque ascendere cuncti.
Cæsarei urgebant gladii post terga; fugasset
Jam timor officium; pavidis reverentia nulla
Regis erat, nimio dum pondere victa carina.
Deficit, & rapidis Ptolemæus mergitur undis.

Plebejo extinctus fato, gelidoque sepultus
Rex, Ægypte, tuus Nilo jacet, ultima tantæ
Et miseranda domus soboles. Non Mausoleis
Excelsis habitant Manes, non Regia templis
Condita, marmoreis aut montibus ossa quiescunt
Lagææ de more domus, quæ funera luxu,

Divitiisque solet nimis violare sepulcra.

Quam breve crudeles regnum, Ptolemæ, dederunt
Dî tibi! non aliter Pharium diadema gerebas
Hostia quam tristem gestat moritura coronam.
Sed breviora tamen si Dî tibi regna dedissent,
Ad Styga venisses felicior umbra, priusquam
Sanguine Niliacas perfudit Magnus arenas,
Depulso qui sceptrâ tuo dedit ante parenti;
Te nunc occisi, rex ingratissime, Magni
Manibus inferias Cæsar (quem demeruisse
Crimine sperasti) mittit; Generique perempti
Ne possit debere nefas, ulciscitur ipse,
Inque tua titulum pietatis cæde requirit.

Pellæam tendens victor jam Cæsar ad urbem,
Ne Ducis adventum tanti, justasque timeret
Iras victoris sibi conscia turba rebellis,
Præmittit veniam cunctis, trepidantia solvens
Corda metu, leges populo, proavitaque jura
Se concessurum affirmans, & debita stirpi
Lagææ dudum Pharii diademata regni.



LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Cæsar amore Cleopatæ captus in Ægypto moratur, dum L. Scipio cum Rege Juba bellum in Africa rehorvat. Cæsar Pharnacem vincit.

Splendida Pellæam celebrant jam festa per urbem,
 Et Ducis Ausonii landes ad sidera tollunt
 Servati Cives (dum passim altaria fumant)
 Votaque Dīs solvunt. Nescis, gens impia, nescis
 Cui causæ hanc debes veniam, patriæque salutem.
 Non hanc semideive Canes, aut barbara præstant
 Numina, queis ritu persolvis vota profano;
 Nec Ducis inflectunt animum fulgentia testæ,
 Non veterum monumenta Ducum, non templa Deorum,
 Nec Macedûm cineres Regis, quos Cæsar adorat
 Plus aris templisque tuis: sed inania sacra,
 Infirmosque Deos facie Cleopatra potente
 Protegit, & stupro redimit Memphitica sceptræ.
 Nec visum est æquum Cœlestibus, ut meliori
 Deberent causæ tam turpia regna salutem.
 Jamque sui Phariæ regnans Cleopatra per urbes

Auctorem fati regali splendida cultu
Excipit, & magno celebrat convivia luxu.
Atria fulgebant tali laqueata paratu
Qualem magna solent, sed jam ruitura, studere
Regna, quibus veteres, quas longa potentia fecit,
Ostentantur opes, vitiis alimenta futuris.
Sed non divitiæ, non auro fulva supellex,
Gemmæ tibi tori passim, pictive tapetes
Cæsareos pascunt oculos, nec talia curat,
Dum prope sidereo cunctis splendoribus ore
Præradiat, vultuque movet Cleopatra superbo.
Hanc videt, huic oculis & pectore totus inhæret;
Quoque magis cernit, magis ardet; cætera visu
Splendida quæ primo, sordent objecta secundo:
Fæmineus decor augetur, crescitque revisus.
Purpureas stupet ille comas, & candida colla,
Queis gemmis lux major inest. Abscondere formam
Divitiæ eximiam, non exornare videntur;
Quamvis non desunt Erythræo e litore gemmæ,
Non spolia Eoi Gangis, non quidquid in undis
Volvitur Assyriis, aut dives mittit Hydaspes;
Non Arabum ex petris viridi splendore smaragdus,
Nec lapis auratus, quem dat Mareotica tellus.
Sidereis adamas radiis hebetatur ocelli,
Quoque minus lucet, formæ magis auget honorem.
Sapphirum pulchra pendentem pectore vincunt
Cærule venarum violaria; labra rubinus

Non rosea æquaret, nisi primo victa fuisset,
Et pudor augeret quem dat Natura ruborem.

Ausonius Ductor jamdudum saucius, ignem
Concipit inde novum, nimioque accenditur æstu;
Nec placidam celare studet, sed pascere flammam.
Quænam, inquit, nostris obstare potentia votis,
Aut quæ fama potest? quid sic durissima virtus
Oppugnata ageret? Facies absolveret ista
Judice raptorem cœlo, nam talia quondam
Stupra Deis summis celebres tribuere poetæ,
Æthere qui toties posuere Tonantis amicas,
Et forma eximias fecere Heroidas astra.
Temporibus si visa illis Cleopatra fuisset,
Non coma Niliacæ Berenices aurea cœlo
Fulsisset, pulchræ nec Pleiades astra fuissent;
Non stupri pretium radiantia plaustra tulisset
Callisto, aut Bacchi conjux formosa coronam,
Donec partem aliquam Cleopatrarum stella sereni
Nobilitare poli certam dignata fuisset.
Jupiter exemplum mihi sit, quem sæpe coegit
Sævus amor magno furtim descendere cœlo:
Vel potius nostra absolvant delicta Tonantem,
Cæsareum Jovi veniam det nomen amoris.

Ne, Cæsar, tua vota time; non pervigil ista
Hesperidum serpens fulgentia poma tuetur,
Nec nimio forma est hæc custodita pudore.
Sed puerilis Amor, vanique Cupidinis ignes;

Pectora qui stimulare solent innoxia vulgi,
Pastoresque rudes urunt, rurisque puellas,
Non tibi rem peragunt, Cæsar; nec causa domare
Vulgaris potuit Reginæ corda superbæ;
Formosamve tuis Cleopatram amplexibus offert
Dulcis amor Veneris: sed regni insana Cupido,
Majestas, nimisque optata potentia votis.
Hic amor affectus alios Ptolemæidis omnes
Pectore sustulerat. Penitus si nullus inesset
Venarum calor, aut artus depasceret ignis,
Lascivos tamen amplexus in Cæsaris isset
Frigida, & Ambitio solvisset tanta pudorem.
Quæ te causa fidem, Cæsar, violare coegit,
Visceraque in patriæ sceleratos impulit enses
Emathios Latio perfundens sanguine campos,
Illa pudicitiam Reginæ in pectore vicit,
Prostituitque tibi. Nec quisquam Cæsaris altos
Suspiciat posthac animos, cum spiritus idem
Fœmineum impellit pectus. Qua Cæsar, eadem
Ambitione nocens facta est Cleopatra; fidelis
Nec manet hic civis, nec conjux illa pudica.

Ne tamen illicito Cæsar videatur amori,
Non patriæ vicisse suæ, (nam Ægyptia tellus
Viçta licet, nondum Latia est provincia facta,
Sed sceptro subiecta manet) veritusque rebellem
Niliacum subito populum, si regna teneret
Fœmina, dum stirpis Lagææ mascula proles

Vivat adhuc, puerum Ptolemæum lustra videntem
Vix bina, Arsinoes, quam duxerat ante, sororis
Conjugio avulsum Cleopatraz. jungit, & illum
Immaturum annis Phario diademate cingit.
Hunc vocat Ægyptus Regem, Cleopatra maritum;
Defunctique locum fratris supplere videtur
Conjugio & regno. Quid præter nomina vana
Conjugii, regnique, puer miserande, tenebis?
Quid præter titulos, thalamum dum Cæsar adulter
Possidet, & regnum conjux Cleopatra gubernat?
Nec rivalis adhuc fieri puerilibus annis
Cæsareive potes thalami, regnive sororis.
Sed tenera poteris felix ætate videri,
Qua non incesti cognosces gaudia lecti,
Obscœnoque carens fructu, noxaque carebis.
Conjugium innocuum magis hoc est, quo minus aptum;
Conjugis incesti sine crimine nomen habebis,
Et sine curarum retinebis pondere regnum.

Humenti Nox atra polos involverat umbra,
Inque vicem Phœbi redeuntia sidera cœli
Ornarant varie faciem, cum captus amore
Illicito Ductor Latius, vinoque solutus,
Dulcibus indulget votis, tandemque cupito
Reginæ fruitur thalamo, pulcherrima lecti
Gaudia degustans. Tantum suadere potestas,
Donaque, & illustris gestarum gloria rerum
Fœminæ poterant menti. Nec crimen inesse

Concubitu nimium tali, Cleopatra, putabunt
Qui Ptolemæorum thalamos, consuetaque jura
Incestæ novere domus, fratremque sorori
Conjugio junctum, sacræ sub nomine tedæ
Majus adulterio delictum. Turpius isset
(Quis credit?) justi ad thalamos Cleopatra mariti;
Utque minus lecto peccaret, adultera facta est.

Pœna tamen sequitur; furtivi pignus amoris,
Cæsario infelix, fatis generatus iniquis
Cæsaris Augusti cadet olim victima ferro
Cæsareos tristans cognata cæde Penates.

Tempora dum Phario Ductor dependit amoris
Ausonius, Libycis iterum fragmenta ruinæ
Thessalicæ terris coeunt, quæ magnus agebat
Scipio dux belli. Cum quo (jam Cæsaris hostis,
Quamvis ille truces toties sub Cæsare Gallos
Stravisset) fortis stabat Labienus in armis.
Hic sanctus Cato privata non concitus ira,
Sed patriæ imperium, & communia signa secutus
Militat; injustis hic stat Petrejus in armis,
Oblitus fidei, terris quem Cæsar Iberis
Donasset vita; & Varus, cui cesserat omnis
Africa, Romanis quæ tum sub fascibus esset,
Quam ditione potens olim Carthago tenebat.
Delectas Libyæ turmas, & Punica secum
Agmina ducebat Varus, fallacia corda,
Membra leves: rubris induti vestibus ibant

Ut fusum in bello hac celarent arte cruorem.
Sub Varo populos sitientibus arida venis
Cyrene Barceque suos ad prœlia mittunt,
Quæque Afris Siculos permiscuit Æa colonos.
Tabraca bellantes Tyrio de sanguine turmas
Mittit, & antiqua Phœnicum stirpe creatos
Dat populos Libycis dilectus regibus Hippos;
Atque Utica, & tanto Tapsus post incluta bello.

Advenit his Libyco regum Juba maximus orbe,
Qui jam Cæsarea lætum de clade triumphum
Duxerat; infelix cecidit cum Curio fraude
Deceptus. Domino imperium non latius ulli
Contigit. Occiduo de cardine terminat Atlas:
Parte alia Thera, & confinis Syrtibus Ammon.
Undique diversæ gentes, populique remoti
Conveniunt ad signa Jubæ. Fulgentia signa
Medorum antiqua Mauri de stirpe tulerunt.
Atque inopes, qui cum mundo commercia solis
Naufragiis Nasamones habent. Garamantes iniquo
Sub cœlo positi, steriles qui semper arenas
Squalidaque arva tenent solis fœcunda venenis.
Cumque his Marmaridæ medicas egere catervas,
Serpentum morsus cantu curare parati.
Audaces Numidæ, & frænorum nescia turba
Massyli, levibus norunt qui flectere virgis
Ora ferocis equi; gregibusque assueta ferarum
Gens Getula viros mittit, qui cominus iras

Indomitorum ausi sunt irritare leonum.

Autololesque vagi, pedibus qui vincere cursum
 Venatoris equi celerem, cervique fugacis
 Assueti; atque Mibæ vicino Sole perusti,
 Qui ferrum infamant, scelerataque tela venenis;
 Et membra hirsuta capri qui pelle teguntur
 Cyniphii venere Macæ, fortisque juvenus
 Quam Vaga, quamque Uzzita dabat, quam regia Zama
 Nutrivit, vexilla Jubæ comitantur euntis.
 Scipiadæ, Latiisque Aquilis hæc agmina jungit
 Rex Juba; jamque actis intendunt viribus omnem
 (Cum primum Zephyro putris se gleba resolvit)
 In Latium belli casum transferre futuri.

Sed celer in cunctis, semperque inferre suetus
 Nunquam bella pati Cæsar, mox irrita fecit
 Hæc decreta Ducum, bellumque huc attulit omne.
 Heu nimium cito Marmaricis cernetis in oris,
 Quem vos Hesperia statuistis quærere terra.

Dulcibus interea illecebris, luxuque Canopi
 Captus, & afflatus fallente Cupidine Cæsar,
 Lascivas ducit Veneris sub numine noctes,
 Oblitus Libyæ tantas coalescere vires,
 Fortunamque suam, & surgentia regna morantes.
 Talibus illecebris, & molli fractus amore
 Formosæ Œchalidos Reginæ dicitur olim
 Maximus Alcides. Humeros non fulva leonis
 Terga Cleonæi velant, nodosave fortem

Cla-

Clava armat dextram; dormitores mille laborum
Desidia incipiunt duri torpere lacerti.

Nec jam vindicibus pacati viribus orbis
Terrentur Reges: sed plus Junonis iniquæ
Spes sævas facie formosa fœmina juit,
Quam poterant ferratæ acies, aut omnia terræ,
Aeris, Oceanique, & Ditis monstra profundi.

Sed longo Fortuna Ducem torpere veterno
Non patitur tantum, medio nec Cæsaris acta
Deficere in cursu; sive accelerare ruinam
Romanam cupit inconstans, exosa potentem
Jam populum, & vires nimias quas fecerat ipsa:
Sive Deam puduit, leges venerandaque jura
Cæsaris ignavæ solum debere salutem
Desidiæ, & potius statuisset perdere Marte
Quam sic servare; ut bellum, quod struxerat olim,
Destrueret rursum Imperii fastigia tanti:
Nec plus res Latias facie Cleopatra nocente
Quam gladii ultores, & Thessala castra juvarent.

Non tamen a Phariis primo civilia bella
Deliciis traxere Ducem, tantumve soporem
Excussere tubæ Latiae. Rex debilis illum
Et cito casurus Pharnaces excitat, ut non
Ipse ruat solus: sed secum nobilioris
Fata trahat populi. Sic cum Leo magnus apertis
Dormivit campis, passim formidine nulla
Illæsi carpere greges sua pabula; parvus

Bb

Forte culex stimulis audacibus ora leonis
Cum pupugit, somno excusso fera nobilis ira
Infrendens magna, postquam protriverit hostem
Exiguum, nondum vindictam nactus, in omnem
Prosiluit campum, grassataque sanguine multo
Stravit equos, stravit tauros, armentaue tota
Exigui culicis temeraria facta luerunt.

Munere Pompeji Pharnaces impius olim
Cimmerium, & pretium sceleris, diadema recepit.
Natus erat magno Ponti Mithridate, potentis
Qui populis Asiæ quondam, Grajisque subactis
Æmula Romanis per terras arma gerebat.
Qui victus tandem, & Pompeji viribus omni
Exutus regno, nati impietate nefandi
Proditus est, ceciditque minor sic gloria Magno.

Pharnacem nimia nunc ambitione tumentem,
Cum paribus dudum signis concurrere signa
Romanasque acies, & tantæ roboris gentis
In se civili novit conversa furore,
Quærendi regnum pepulit spes vana paternum.
Quem fallax primo juvit Fortuna, futuris
Deceptura malis; Urbisque ad mœnia magnæ,
Quam debellati Mithridatis struxerat olim
Pompejus monumentum ingens, devicit iniquis
Te, Domiti infelix, fatis; ad nota tulerunt
Mœnia barbarici Romana piacula Manes.

Lucida jam novies repararat cornua Phœbe

Ex quo Niliacas devenit Cæsar in oras,
Reginæque tument vitiati pondera ventris.
Quam verbis abiens solatur Cæsar amicis:
„O fortunarum rectrix Cleopatra mearum,
„Cæsaris & fatum, qui cætera fata gubernat,
„Me nunc bella vocant. Crudelis amantibus arma
„Crudelisque sibi Pharnaces impia movit,
„Exitioque suo nostrum interrumpit amorem.
„Tu cohibe lacrymas; devictus sentiet hostis
„Cæsaris armati gemitus, & clade suorum
„Agnoscet quanta Cleopatraz amplexibus ira
„Divellor. Sed non nostris concurrere turmis
„Debilis audebit Pharnaces. Arma relinquet,
„Quæ temere sumpsit, subito: nomenque fugabit
„Cæsaris invalidas acies. Avellor amore,
„Non ad bella vocor; citius victoria cedit
„Nuncquam pugna mihi; facilis venit, ecce, triumphus.
„Verum ut te caream, nec erit victoria læta,
„Nec laurus jucunda mihi; non ipsa triumpho
„Quæ comes est, tantum pensabit gloria damnum.
„A te discedam tristis, pulcherrima rerum,
„A te, quæ fusca Ægypti lucentibus arva
„Irradias oculis, & splendidiora Deorum
„Tramite cœlesti, cui lactea nomina Græci
„Antiqui tribuere, facis; sine qua mihi tellus
„Nulla placet, triste exilium Rôma ipsa videtur.
„Sed nos hinc majora vocant certamina; nondum

„Attigit optati Cæsar fastigia regni.
 „Quantos debet adhuc nobis Fortuna triumphos!
 „Quantaque civilis, quod restat, præmia belli
 „Te, Cleopatra, manent! formam hanc venerabitur orbis
 „Sideream. Australi populi qui litore degunt,
 „Et nunquam Oceano fulgentia plaustra Bootæ
 „Mersa vident: & quæ septem subjecta Trioni
 „Gens jacet, in cujus nunquam regione Canopus
 „Cernitur, hoc tantum cælo contenta vagari,
 „Nomen adorabunt Cleopatrarum: litore gentes
 „Occiduo, & quæ surgentem videt India Solem.
 „Cum Nilo Tiberis tibi serviet, & tua regna
 „Defendent Aquilæ nostræ, Romanaque signa;
 „Dum Reges inter famulos Cleopatra superbos,
 „Et sceptris subjecta suis nova sceptra videbit.
 „Talia nam (si nota satis mihi Numina) spondet
 „Hoc bellum Regina tibi. Nunc fata sequenda,
 „Et cito quo ducunt. Uteri per cara tumentis
 „Pignora, civilis belli post fata revertar“.

At blandis Cleopatra dolis instructa, venustas
 Cui niveæ frontis tanta est, ut luctus, & ipsæ
 Vel lacrymæ deceant, lacrymis sic infit obortis:
 „Non tanti facio, Cæsar, mea vota precesque,
 „Ut decreta Ducis tanti mutare valerent,
 „A quibus humani generis fortuna per orbem
 „Pendet; queis stellæ, queis Numina cuncta vacabunt.
 „Audax Religio nimium, Pietasque superba


„Censetur, quæ magna optat mutare Deorum
 „Consilia. Ah potius flammæ, votisque resistentam
 „Ipsa meis, dulcemque sibi Cleopatra negabit
 „Cæsaris aspectum, quam tanta negotia, torque
 „Bellorum laurus tardabit nostra voluptas.
 „Sed tamen ignoscas paulum si, Cæsar, amori,
 „Indulget Cleopatra suo; si vivere tecum
 „Exoptat, si castra sequi victricia. Non pax
 „Tutior ulla mihi quam classica Cæsaris essent:
 „Quo propius bellum sub te ductore secuta,
 „Hoc magis a belli fuero terrore remota.
 „Sed jam jussa sequar, Phariisque videbor in oris
 „Tutela securæ tuæ, magnique putabo
 „Cæsaris occiduis Alcidae a Gadibus usque
 „Eoum Gangem victricem extendere dextram,
 „A Thule ad populös Austri. Tam dissita Mundo
 „Litora nulla jacent, ut jam divortia longa
 „Inter nos faciant, si sit tam Cæsar amando
 „Quam vincendo celer.“ Lacrymas tum sponte cadentes
 Combibit ore avido Cæsar, repetitaque jungit
 Oscula. Niliacis tandem digressus ab oris,
 Tendit in Armeniam Libycis velocior Austris
 Pharnacem exquirens; altæ hunc prope mœnia Zelæ
 Invenit, & solo conspectu fundit inertem.
 Tam cito devictus pugnae non ulla reliquit,
 Sed tantum monumenta fugæ; nec fama loquetur
 Pharnacis de bello aliud, quam tempore Cæsar

Quod venit, viditque hostes, & vicit eodem.

Hæc quantum famæ Magni fuga detrahit illa
Pharnacis timidi, dum Cæsariana juvenus
Mollitiem cernit gentis! Non digna triumpho,
Nec titulis tantis jam Pontica regna subacta
Armenosque putant victos. Non destruit illo
In bello Cæsar tantum diademata regis,
Sed Magni decus; exultans tum talia fatur:
„O felix Pompei! cui nomina tanta subactæ
„Degeneres istæ gentes, laurosque dederunt,
„Quando ego pugnaces Gallos, fortesque Sicambros
„Vincendo, nullum videor meruisse triumphum.
„Fatum bella tibi si transalpina dedisset,
„Nostrarum forsan nosset discrimina laudum.
„Non hæc omnino civilia bella fuissent.“

Sed maiora vocant illinc discrimina belli
Victrices Aquilas. Libycis consedit in arvis
Scipio Romanis cinctus legionibus, hostis
Securus nimium, gelidi cum jam Capricorni
Terga premens, horas contraxerat inde diurnas
Phœbus; & acris hyems cursum frænarat aquarum,
Nudaque vestierat niveis nemora alta pruinis.
Sed præceps Cæsar, quem nunquam in bella ruentem
Tempestas, tristesve hyemes potuere morari,
Ter jam Romulea factus Dictator in urbe
Vela dedit ventis, paulumque moratus in oris
Sicaniis, iterum Lilybæo a litore solvit,

Et prætervehitur magnæ Carthagini arces
Semirutas, Clupearque videns, male litora nota
Damnat, ubi infelix perituris Curio turmis
Appulit. Infaustas oras, Uticamque relinquit,
(Quam Cato tum legum vindex justissimus armis
Præsidioque tenet, nomen qui sumet ab urbe,
Æternamque urbi reddet per sæcula famam)
Inde Adrumetum tendens, ubi Scipio belli
Ingentis Duxor Romanis stabat in armis.





LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

*Levia aliquot Ducum prœlia. Cn. Pompejus a Catone
objurgatus in Hispaniam navigat. Pugna Thapsiaca, & Victoria Cæsaris describitur.*

JAmque propinquabat bellum, Libyæque nefandi
Concurrunt iterum gladii, quos Thessala tellus
Vidisset. Pugna cur, Dî, voluistis in illa
Restare exiguum nequidquam sanguinis urbi?
Ut flueret torrente novo, fieretque secundum
Hic civile nefas? Una num clade pudebat
(Quantumvis magna) Romanam excindere gentem?
Aut una tanti populi regione jacere
Non est passa graves tristis Fortuna ruinas?
Jam Roma in Libya est. Latii quæ terra triumphos
Spectasset toties, jam tristia vulnera spectat.

Sed levibus tantum pugnis contenta parumper
Fortuna, extremi differt certamina Martis,
Tot subito gentes, perituraque millia letho
Condemnare pudet; nec adhuc feralia Thapsi
Arva Jubæ casus magni, vel triste videbunt

Scipiadæ exitium, donec coeuntia signa
Ductorum, atque aliquos belli Rhuspina tumultus
Vidit, & exhibuit tantæ præludia cladis.

Scipiadæ a castris Rex (in sua regna reversus)
Quæ longe infestis populatur Sittius armis)
Discedit paulum; plenamque hostilibus armis
Advenit Libyen una legione, relicto
Robore militiæ Lilybæo in litore Cæsar.
Nec de more suo dederat mandata relictis
Militibus quo conveniant, quæ signa sequantur,
Quemve petant portum, permittens omnia fatis,
Fortunæque suæ fidens. Cur, Cæsar inique,
Non pudet in minimis toties instare favori
Fortunæ, & toties casus tentare per omnes?
Non tibi sat visum est, bello quod semper aperto
Res agit illa tuas, & tantos conficit hostes
Cum plena pugnas acie, sine milite ni te
Protegat, & tua prospiciens temeraria cœpta
Dirigat in melius, Ducis objectumque periclis
Privatis toties redimat caput? An tibi parvum est
Effugisse Phari insidias, parvaque carina
Nocturni tutum vicisse pericula ponti?
Cur Divæ, imperium tibi quæ promiserit orbis,
Casibus exiguis pretiosum absumis amorem?

Postquam Adrumeti frustra corrumpere fidum
Confidium, qui Scipiadæ servaverat urbem
Præsiis, Cæsar tentaverat, ordine certo,

Instructaque redit legione, nec urbe potiri,
Sed tuto remeare cupit. Sed vix fuga tanto
Induperatori concessa est tuta; frequentes
Confidii erumpunt equites, atque agmina turbant.
Summaque Ducitoris laus est, & Cæsare digna
Rhuspinam salvis potuisse redire catervis.
Sola urbes inter Libycas jam Cæsarianæ
Perfugium tenui restat Rhuspina cohorti.
Hinc iterum Ductor fatis egressus eisdem
Dum cepit Leptim, & firmavit robore, pæne
Amisit rursus reditum. Labienus in armis
Acer erat, validisque vias præcluserat omnes
Insidiis. Virtute opus est, & Cæsare toto.
Fortunaque ejus summa jam tempus egebat.
Et vicere viri virtus, fortunaque. Visæ
Tempore sunt apto insidiæ; victorque cruento
Perque viros, perque arma viam mucrone recludit;
Bisque fugam Cæsar solam vincendo paravit.

Dum prope signa Ducum vidit Rhuspina duorum,
Infestasque Aquilas, Uticæ Pompejus agebat.
Hanc Cato præsidiis tenuit; cum sic Cato sanctus
Alloquitur juvenem, & dictis castigat amicis.

„Surge animis, Pompei, magnum patris assere nomen,
„Et generis fatum tanti. Scrutare remotos
„Terrarum tractus, per regnaque dissita quære
„Quantus erat fama genitor, quantasque reliquit
„Nominis hæredi solo vel nomine vires.

„Pompeji nato gladios quæ terra negabit?
„Quæ tibi non classes (armis pacata paternis)
„Æquora præbebunt? Hostis te viribus æquum
„Tanta facit fama, & mundo venerabile nomen.
„Si libet occiduos Orbis tentare recessus,
„Hispanosque armare truces, tua signa sequetur
„Cantaber, & Cæcis sociatus nomen Iberus;
„Et tota Herculeis pubes a Gadibus, altos
„Ad Pyrenæos, extremaque litora mundi.
„Si nihil omnino patriæ miseranda moveret
„Afflictæ facies, si nil moritura moveret
„Libertas, possesque hilaris servire tyranno:
„Te privata tamen facerent mala Cæsaris hostem.
„Si pater arma tuus pro libertate gerebat,
„Nullus in Emathiis plus, quam tu, perdidit arvis:
„Sed sibi si genitor campo pugnavit in illo,
„Multo sunt tua damna illic majora, tibi que
„Abstulit imperium victoria Cæsaris orbis.
„Sed bona, quæ moriens Genitor tibi vera reliquit
„Sunt vitæ exemplum, & gestarum imitatio rerum.
„Hæc tibi perpetuo, quæ non invisa potestas
„Cæsaris, aut fortuna potest auferre, manebunt.
„Labentem patriam teneris suscepit ab annis,
„Nullus adhuc titulis, nulloque insignis honore:
„Nec vires habuit nisi quas virtute paravit.
„Quantos ille Duces juvenili ardore subegit,
„Cum Marii mœstam lacerasset factio Romam,

„Et miseram assiduis implesset cœdibus urbem!
 „Quot tum pro patria felicia bella peregit!
 „Illius auspiciis audax est Carbo peremptus,
 „Et cecidit terris Sertorius exul Iberis,
 „Præclarum Libyco (dignus tunc nomine Magni)
 „Duxit (adhuc Romanus Eques) de Rege triumphum.
 „Hæc fecit; nondumque tuos excesserat annos.
 „Sed tu cur Libycis resides privatus in oris?
 „Unius auxilium dextræ præstare valebis
 „Hic tantum patriæ. Procul hinc tu collige vires,
 „Et libertati Ductor succurre cadenti:
 „Vel dignam tantis natalibus oppete mortem“.
 Nil contra juvenis; sed tanquam Roma Cætonis
 Ex ore admoneat; promantve oracula vocem,
 Obsequitur citius dicto, & dans carbasa ventis
 Digreditur Libycis nunquam rediturus ab oris;
 Ut cadat Europa magnus, Ductorque per agros
 Tot ferat Hispanos Romanæ vulnera gentis,
 Quot prima Emathiis victoria Cæsaris arvis,
 Proxima vel faciet Libycis. Nimis invida quanquam
 Nobilis, o Pompei, longe tibi fata negarunt
 (Quæ patri dederant) felicia tempora vitæ:
 Morte tamen patrem æquabis, magnaue ruina,
 Nec fera fatalem vincet Pharsalia Mundam.

Sicaniis Cæsar vires jam nactus ab oris
 Protinus Uzultæ excelsum prope mœnia montem
 Occupat. Huc ducunt collatis undique signis

Rex Juba Scipiadesque suas ad prælia turmas.
Conspectu Uzzitæ bellum jam constitit omne.
Scipio detrectat pugnam: nec dulcia tantis
Uzzitæ fato damnantur cladibus arva:
Quamvis ter Cæsar certaminis acer amore
Instruit armatas acies, ter provocat hostes.
Sed nullam pugnæ cum spem superesse videbat,
Destituit rursus montem; & læto omine Thapsi
Nocte iter emensus, fatalia venit in arva.
Illic Vergilius valido castella tenebat
Milite, Scipiadæ fidus, causæque Senatus.
Scipiadæ, Regisque Jubæ vexilla sequuntur
Ad Thapsum, quamvis cladis præsaga futuræ
Æthera non cessant dare signa minacia. Lumen
Horridius tenebris præbebant fulgura. Stellæ
Insolitæ visæ; intonuit sine nubibus aer:
Et fragor armorum nocturnas terruit auras.
Ærata mœstus manavit casside sudor:
Et dura attonitis ardebant pila manipulis.
Vix poterant infausta examine tecta revelli
Signa solo: noctu Libycorum audita leonum
Murmura sæva. Solum Thapsi, montesque moveri
Cœliferumque Atlanta putant. Non læta videtur
Ulla avis; infaustus bubo, nocturnaue castris
Strix queritur. Nec cum Superi mortalibus ista
Prodigia ostendunt, clades vitare futuras,
Sed tantum trepidare docent. Feralia Thapsi

Scipiadae peritura acies jam venit in arva,
Quae tot damnassent crudelia fata ruinis.

Æquore, quo Siculis Libye disjungitur oris,
Alluitur longo tractu peninsula Thapsus
Qua spectat Borean: adversa parte palude
Cingitur: in medio est aditus terrestris ad urbem.
Hanc isthmon quamvis non late extenditur, altum
Dividit in medio stagnum, binasque relinquit
Angustas utrinque vias. Hæc Cæsar ad ora
Exteriora isthmi pervenerat agmine læto,
Castraque munierat vallis fossaque profunda
Qua Thapsum spectant: ne forsân terga suorum
In pugna opprimerent hostes ex urbe ruentes.

Sed fauces pæne angustas obsederat isthmi
Scipio: Cæsareis adversaque castra locasset
Magnum opus intendens, si non cita pugna daretur,
Aggeribus structis, ductaque ad litora fossa,
Deceptos illis includere faucibus hostes.
Sed coeptum celare suum, vel ferre paratus
Incursum belli, pulchro instruit ordine turmas.
Romanas medio legiones ipse gubernat;
Tot varias dextro gentes sua signa secutas
Rex Juba ducebat cornu; lævumque tenebat
In Libycis Varus, Gallis Labienus in armis
Teutonicisque ferox; alarum frontibus, altis
Aggeribus bello similes stabant elephantes.
His juncti Getuli equites, Numidæque steterunt.

Pone feras variæ gentes levia arma gerebant,
Armati jaculis Mauri, pharetrisque veneno
Illita gestabant scelerati spicula Mibæ.
Cæsaris at postquam instructam procedere vidit
Scipiades aciem, clara sic voce cohortes
Incitat: „Oh Romana manus, spes sola Senatus,
„Et patriæ tutela, animis si robora posset
„Addere Ductoris facundia, quanta diserto
„Argumenta darent miseræ tot vulnera Romæ,
„Viribus extinctæ leges, venerandaque jura,
„Ipsaque libertas armis oppressa nefandis?
„Si patriæ clades, si publica damna movere
„Nil poterant mentes, cui non Pharsalia luctus
„Exhibuit proprios, privataque funera? Quis non
„Aut fratres illic, aut natos mæret ademptos?
„Jam nunc ultrices spectant tot pignora dextras,
„Tot cari Manes. Tanto hic nos justius arma
„Induimus quam Thessalicis Pompejus in arvis,
„Quanto Thessalicis augentur crimina campis
„Cæsaris. Accedent tam justæ Numina causæ.
„Nec, quoniam Emathia cecidit sub Cæsare Roma,
„Vos transisse Deos, Romanaque jura perosos
„Credite. Pompejo solitum Fortuna negavit
„Non Urbi auxilium; toties lassata triumphis
„Privati, verita est ne, si cecidisset in arvis
„Emathiis Cæsar, deceptus crederet Orbis
„Non Romæ sed Pompejo donasse triumphum,

„Privatique fuisse Deam. Non amplius Urbem
„Destituet Fortuna suam, fativæ nefandi
„Cæsaris Ausoniæ sacras succumbere leges
„Imperiumque sinet. Non sunt hæc signa Deorum
„Iratorem Urbi (si me non omina fallunt)
„Ductorem vobis Libyco pugnantibus orbe
„Quod dant Scipiadem. Felicia nominis hujus
„Fata hic, aut Afros non est memorare necesse
„(Quos non ulla potest regio nescire) triumphos.
„Talia fas nobis sperare est; non minor armat
„Nos pietas: Latii nec nominis Annibal hostis
„Cæsare deterior. Patriæ junxere salutem
„Cum vestra Superi. Manibus reddetur eisdem
„Roma sibi & vobis. Virtute accersite fatum.
„Communi proprios cum libertate Penates,
„Conjugia atque domos istis conquirite campis.“
Militis erigitur virtus, animosa cohortes
Ira subit Latias, pugnæque accendit amore.
Nec minus interea vario clamore fremebat
Dissona turba Jubæ, & belli undique signa petebat.
Cæsar, ut optatum Dīs advenisse secundis
Pugnandi vidit tempus, sic voce cohortes
Incitat audaces: „Dextris victricibus iste
„Ultimus en sudor, qui tot mercede labores
„Pensabit digna, qui tot livore negatos
„Hactenus, & magna meritos virtute triumphos
„Asseret. Ista dies quascunque aut Gallia laurus,
„Aut

„Aut Rheni gentes, aut victa Britannia debent
 „Virtuti dudum vestrae, nuperve subactae
 „Promittunt gentes, invictis hostibus, omnes
 „Invito livore dabit: longeque triumphum
 „Majorem de rege Juba victoribus addet.
 „Nec dubitare mihi fas est; fallentia nunquam
 „Signa, truces oculos video, vultusque minaces.
 „Victores novisse suos, fragmenta ruinæ
 „Emathiae discant.“ Dixisset plura; repente
 Cum fera de dextro cecinerunt classica cornu,
 Prosiliuntque acres (nec eas retinere Tribunus
 Centuriove potest) ad praelia sponte catervæ.
 Non inhibet Cæsar, sed laxat fræna furori.
 Carcere sic pronus nimium ad certamina currus
 Cum forte erumpit, lorisque auriga retentis
 Frustra inhibere studet, tandem dat victus habenas.

Utraque jam tanto concurrunt agmina motu,
 Quanto (si longæ flexum natura Malææ
 Donaret nautis) adversis bina coirent
 Æquora gurgitibus. Pulsat fragor æthera, montes
 Undique vicini excipiunt, resonantque furentes
 Pugnantum voces. Siculas it clamor ad oras.
 Huncque repercutiunt Libeja saxa, timentque
 Vel sonitum belli terra retinere quieta.
 Non ita pinifero Boreas cum Thracius Ossæ
 Incubuit, resonant quassatae turbine silvæ;
 Murmure nec tanto Nilus, cum de Cataractis

Cc

Præcipitat duris illis cautibus undas
Astra lavans, surdas habitantibus obstruit aures.
Scipiadæ dulcis stimulat vindicta catervas:
Cæsareas ingens premit indignatio turmas,
Quod nova defuncto succedant prælia Magno:
Inventusque alius Ductor civilibus armis.
Sanguine merguntur campi, vicinaque multo
Tincta cruore palus; & quod tot vulnera rubrum
Emittant flumen, fecundam putria terræ
Alligat in glebam, & steriles connectit arenas.
Inter utramque aciem volitat feralis Enyo,
Lampada funestam quatiens, Reseraverat antrum
Tartareus Rector pallens, utque arma nefanda
Spectarent, caperentque sui solatia fati,
Invisas illuc Libyes emiserat umbras.
Undique consedere arvis, nigraque corona
Infecere diem, versatilis umbra Jugurthæ,
Annibalis sævi Manes, captique Syphacis:
Qui nunc eversas secum Carthaginis arces
Ignovere Deis, postquam feralia campi
Prælia Thapsiaci, & Latios videre furores.
Sed tamen Ausoniæ civilia vulnera dextræ
Afra luet tellus, & plus vastabitur, ætas
Proxima quam reparare potest. Inarata jacebunt
Arva, ruentque suis vacuatæ civibus urbes.
Quæque viri coluere, feræ nunc rura tenebunt.
Qua Reges olim per gentes jura dederunt,

Tigris erit, pardusque, & habebunt regna leones.
Innocuus vivet serpens, & nulla, venenis
Dum deerunt homines, pestis censebitur Orbi.

Cæsareis leviter percussi pectora telis
In sua conversis elephantes agmina frænis
Præcipites rabie currunt. Tum robore densos
Indomito turbant cuneos, atque agmina Regis
Prosternunt confusa Jubæ. Nil arte valebant
Rectores miseri, nil vi; Fortuna regebat
Sola feras, contraque suos pro Cæsare misit.
Illi hostes, illi socii, dum nemo gubernat,
Quos Fortuna facit. Vicinum elephantibus agmen
Getuli, Numidæ equites crudeliter illic
Calcabantur humi. Vasta pars mole ferarum
Contrita est; fossas pars præcipitatur in altas.
Tunc infelices tutela orbatu elephantum
Tot Libyæ populi, & gentes levia arma gerentes
Cæduntur cumulis passim, jugulisque fatigant
Cæsareos solis; nec stantes amplius hosti
Hic bellum sed præda manent. Hastilibus igne
Duratis quid Bamuræ jam nuda juvenus?
Quid levibus contra Romanos cominus hostes
Autololes jaculis? nil illis ignea plantæ
Vis prodest, cursusque levi velocior aura.
Non bene Cyniphiis hirsuti tegmina capri
Pectora defendunt. Vix contra Cæsaris enses
Æs ferrumque valent. Implentur sanguine fossæ.


Mœsta madet tellus, & de tot gentibus unus
Purpureus cæsis infecit pascua torrens.
Non Juba per mortes hominum, privataque fata,
Sed gentes pariter cæsas, populosque jacentes
Metitur quantis pereunt sibi regna ruinis.
Nec sua post tantam cladem munita putavit
Castra satis, miseram victis præstare salutem;
Sed cum Petrejo fugiens tentoria cunctis
Splendida divitiis hosti permisit avaro.
Quæ cito Cæsarei victorum terga sequentes
Diripiunt, opibusque Jubæ, tantisque potiti
Bellorum exuviis operum mercede, priusquam
Sanguinolenta fuit victoria plena, fruuntur.

Sed non tam celeri bellum pro Cæsare cursu,
Qua Latiis stabat vallatus Scipio turmis
Atque pares fulsere Aquilæ, Fortuna peregit.
Hic incerta diu varii stetit alea belli:
Hic hæsit fatum, & dubiis victoria pennis
Inter utrumque agmen visa est volitare; repellit
Viribus hæc acies vires; alternaque dextras
Crimina civiles fœdant; dum maxima regnant
Hic odia, hic cædes; animos in prælia tanquam
Causa mala augeret; tantoque ardentior ira
Quo scelerata magis dubitant ostendere fata
Quid tandem Romæ fortunæ Cæsaris esset.
Ex acie tandem Libycæ fugere cohortes
Quæ duce sub Varo steterant; dare terga coactus

Dux simul; & tu Gallorum, Labiene, tuorum
Corpora cæsa videns, Thapsi funesta relinquis
Arva gemens; aliis demum civilibus armis,
Romanisque iterum servate furoribus, arvo
Pars Latiae cladis Mundano magna jacebis.
Nec fato occumbes (acerrime Cæsaris hostis)
Dum potis est certare suo cum Cæsare Roma.

Scipio ut adversas videt increbescere vires,
Cedentesque suas, nec jam reparabile bellum,
Fluctuat ancipiti divisus pectora cura;
Ingerat an medios sese moriturus in hostes,
Ut populi caput Hesperii, Ductorque Senatus
Summo in honore cadat felix, Stygiasque per undas
Maxima Romani descendat nominis umbra:
An speraret adhuc, atque ultra fidere fatis
Ausoniis, tantoque velit superesse dolori.
Decepit tandem fiducia vana futuri
Successus miserum, pulchrumque excussit amorem
Mortis: ut Emathia, caput oblatura superbo
Victori, Magnum spes dira fefellerat olim.
Hos animo casus volventem concitus aufert
Scipiadem ex acie sonipes; cum territa passim
Agmina cœperunt toto discurrere campo;
Cedentesque equites tutas petiere latebras
Montibus Uzzitæ: peditum pars magna petebat.
Castra Jubæ, si forte brevem præstare salutem
Defessis alti poterant munimina valli.

Sed postquam se deceptos, & castra cruentis
Cæsareis possessa vident, tum tela cohortes
Victæ projiciunt, & inermia brachia tendunt.
Sed nihil (oh rabies civilis dira furoris)
Profuit heu miseris submissio. Cæde nefanda
Sternuntur, quamvis gladios inhibere suorum
Contendit Cæsar frustra, & clamore furentes
Increpuit magnò: „ Cives nunc esse memento,
„ Non hostes, miles; partum virtute triumphum
„ Cur feritate nova maculas? hæc sanguine sero
„ Quam paris invidia est plus quam victoria nobis. „
Sæpius hæc mœstus clamat; pars nullaque belli
Civilis tum Cæsar erat. Sed perdere cives
Quæ toties poterant, non jam servare valebant
Jussa Ducis. Jugulant miseranda cæde cohortes
Scipiadæ, stricisque odium mucronibus explent
Invito Duce Cæsarei. Et qui jussa per annos
Tot Ducis implessent magni crudelia semper,
Nunc solum, cum justa dedit mandata, rebellant.
Jam vero ingentem pro Cæsare fata ruinam
Sparsissent campis, & tecta cadavere tota
Planities funesta jacet. Tandemque sequendo
Defessas Cæsar revocans ad signa cohortes,
Prospera divitiis Regum certamina donat.





LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

*Juba & Petrejus se mutuis vulneribus interficiunt.
Scipionis & Catonis fata describuntur.*

Non funesta tamen clades quas fecerat omnes
Terra capit Thapsi; tantæve jacere ruinæ
Angusto potuere loco. Quot fata per oras
Thapsiacæ spargent ingentia vulnera pugnae,
Ne non diversis famam regionibus olim
Funera tantorum faciant divisa virorum!

Rex Juba Petrejo & paucis comitantibus urbem
Ad Zamam imperii sedem, qua pignora cara
Uxoresque suas, gazasque reliquerat omnes,
Advenit infelix. Sed jam clausere rebelles
Zamenses Regi portas, victoque negarunt
Introitus, odium sævi crudele tyranni
Ausi fortuna tandem pereunte fateri.
Nil precibus, mixtisve minis, vultuque moventur.
Perdita majestas victo; penditque prioris
Jam Juba sævitiae poenas. Oh sera tyranni
Cognitio! dum regna manent, se nescit amatum

Invisumve suis. Affectus sola latentes
Servorum pandit Fortuna adversa: sed illa,
Quæ post regna venit, cui nulla potentia juncta est,
Cognitio torquet miseros; nec reddere grates,
Nec licet ulcisci. Seros (& non nisi tantum
Ut doleant). oculos aperit Fortuna tyrannis.

Exclusi rapido fugiunt per devia cursu,
Et Villam, paucis equitum stipantibus, intrant
Rex Juba Petrejusque simul. Tum fessa quiete
Corpora componunt stratis, ægrosque per omnes
Devolvunt animos casus, solamina donec
Ultima lassatis ingens audacia præbet.
Continuo instaurant epulas, plenisque Lyæo
Discumbunt mensis. Postquam compressus edendi
Est amor; intrepido tandem sic inchoat ore,
Petrejumque toris Juba Rex affatur ab altis:
„En Romane vides quo nos Fortuna redegit:
„Sola relicta salus clementia Cæsaris; at non
„Nos duo tam fuimus temnendi Cæsaris hostes,
„Adversusve illum tam innoxia gessimus arma,
„Ut veniam liceat salvo sperare pudore,
„Oblatave frui. Quæ non dant arma salutem,
„Dent libertatem nobis. Me certa manebit
„Libertas ferro; nec dignam credere vitam
„Hanc possum votis, ut supplice Rege superbus
„Intumeat Cæsar; nec quem vidisset honore
„In summo forsán (si vel Pompejus in arvis

„Thessalicis olim, vel nostris Scipio terris.
 „Vicisset) me jam captivum Roma videbit,
 „Regia præbentem ridenda Quiritibus ora
 „Ante triumphantes currus, ut victa Syphacis
 „Atque catenati traxerunt colla Jugurthæ.
 „Nec Juba ridendum, nec erit miserabile nomen
 „Cæsareis. Non corda mihi, non tela, manusve
 „Ad letum desunt: sed te, Petreje, supremæ
 „Participem facio famæ, mortisque decoræ.
 „Causa reos eadem junxit, fortunaque victos;
 „Nunc eadem virtus, morientes jungat utrosque.
 „Stringe ensem, & mecum pariter nunc utere dextra.
 „Quæramus pulchram per mutua vulnera mortem,
 „Et libertatem citius quis donet amico
 „Contendat feralis Amor“. Petrejus ense
 Sic breviter stricto: „Libycorum maxime Regum,
 „Cujus honoratum per sæcula nomen habebit
 „Ausonia, hanc laudem cui me debere fatebor,
 „(Nec pudet Hesperium Ductorem discere, tanto
 „Rege docente, mori) Latius gaudebit honore
 „Hoc Genius, ne te captivum Roma videret,
 „Quem libertates nostras legesque tuentem
 „Laudavit toties, sociique infamia Regis
 „Cæsaris injustos posset decorare triumphos.
 „Roma Jubæ, sicut Masinissæ, nomen amabit;
 „Nec meliore nota signabit Cæsaris acta
 „Quam Catilinæ olim, & diri consulta Cethegi.“

Dixerat, & totis concurrunt viribus ambo,
 Grataque dant, referuntque per.ictus vulnera crebros.
 Crederet hoc quisquam, tanto conamine, tanta
 Pugnatum virtute mori, non vincere? tandem
 Petrejus cecidit. „Retine, Petreje, parumper
 „Festinantem animam, clamat Juba, dum comes umbræ
 „Umbra tuæ hoc gladio ad Stygias demittitur undas.
 „Quis regni posthac confidet viribus? aut quem
 „Gloria decipiet sceptri, soliive superbi
 „Lubrica majestas? Cunctis desertus ad umbras
 „Nudus eo, nuper Libyco Juba maximus orbe.
 „At vobis, populi infidi, & tibi, Zama rebellis,
 „Sit Latium precor usque jugum grave, perfidiamque
 „Hanc vestram domino domino pejore luatis“.
 Tunc iterum gladio pectus ferit; evolat acer
 Spiritus, æternæque oculos clausere tenebræ.

Ecce alios luctus, aliudque per æquora funus
 Nobile Thapsiacis Fortuna vehebat ab arvis.
 Scipio Dux belli tanta de clade superstes
 Non dedignatus parva tentare carina
 Et sola Libycum pelagus, properabat ad oras
 Hispanas, ubi Pompeji civilia cogunt
 Rursus in arma viros; sed tempestate repulsus
 In portum Hipponis vehitur. Se Scipio sentit
 Cum nave amissum; nec portum evadere vento
 Opposito licuit. Clara tum voce dolorem
 Testatus clamat: „Pelagusque ipsæque Procellæ,

„Et conjurati pugnant pro Cæsare venti.
„Oh utinam Thapso cecidissem; strage virorum
„Mixtus; nec tanto placuisset vita superstes
„Imperio, (Ductor summo Romanus honore
„Ad Stygias venissem undas,) aut ante tulisset
„Hanc male servatam potius Pharsalia vitam,
„Quam Thapso infelix duxissem bella Senatus,
„Ultraque Scipiadem vidisses Africa victum.
„Vos claræ majorum animæ, quos Africa sensit
„Sæpe triumphantes, ut cum Carthaginis altæ
„Excidio, captusque Syphax, claraque fugatus
„Annibal ex acie testantur, fata Nepotis
„Ne pudeat vestri, miserandaque bella videre.
„Nam neque me Libye vicit: sed viribus ipsa
„Scipiadem, seseque suis hic Roma subegit.
„Cum patria a patria vincor moriorque cadente
„Libertate libens. Misère hunc Numina ventum
„Adversum, ut morerer; ne spe delusus inani
„Optarem forsán tanto superesse dolori.
„Hispanas iterum Romana ad prælia gentes
„Pompeji cogant juvenes, legesque requirant,
„Et libertates: mea nunc fortuna peracta est.
„Et quanquam hæc armata manus testabitur orbi
„Me terra potuisse mori: placet æquore mergi,
„Ignotumque illic funus per sæcla manere.
„Oh nunquam veniat fluitans ad litora truncus,
„Ne Libyca condatur humo; victique futuris

„Scipiadæ ostendent monumenta nepotibus Afri!“
Tunc latus ense fodit, nec eo contentus in æquor
Prosilit; emissi spargit pars transtra carinæ
Sanguinis: æquoreos tingit pars altera fluctus;
Migrantique animæ fatum non sufficit unum.
Demersum monstris jacet, cheu! præda marinis
Nobile Scipiadæ corpus, nec colliget urna
Flebilis hos cineres; nec tanto nomine dignas
Exequias tibi Roma dabit; passivæ capillis
Scipiadem, extremum generis, lugebit ademptum.

Agmina de campis passim fugientia cunctas
Implessent magnis Libyæ terroribus oras.
Præsidiiis tum forte Uticam Cato nobilis urbem
Ausoniis tenuit: qui nota clade Senatus
Scipiadæque fuga, victorem arcere parabat,
Hortaturque suos alacer defendere muros.
Sed frustra: heu nimium trepidantia pectora sensit!
Et victum fama non visi Cæsaris agmen.
Tum Cato militibus vultu immutatus eodem
Ignovit pavidis. Ultro fugientibus ipse
Prospexit, classes portu contraxit ab omni
Vicino, remosque dedit properantibus aptos.
Cunctorumque, suam quamvis projecerat ipse,
Non dedignatur Ductor curare salutem.
Solatus cives Uticæ, & trepidantia verbis
Pectora confirmans placidis, quam certa supersit
Spes illis veniæ, victis clementia quanta

Cæsaris, edocuit. Talis cupit ipse videri
Civibus, ut qui non donatam a Cæsare vitam
Sperneret. Illum etiam, cui non durissima virtus
Affectus celare suos permiserat unquam,
Quem nullus simulare timor docuisset, aperto
Vel deflexisset rigidi de tramite veri,
Tandem mortis amor cogit simulare Catonem.

Orbarant homines jam luce silentia noctis
Inque vicem fessis donarant regna quietem;
Cum gratos cuncti, quos cura dolorque sinebant,
Carpebant somnos: sed non tranquilla Catonem
Exemit virtus curis mortalibus, alto
Ut jaceat somno oppressus: sed libera mentis
Erigat ut se vis, contempleturque futura
Sæcula, & æternos vitæ immortalis honores.

Ante tamen contemplatrix quam dogmata veræ
Scrutari possit Sophiæ, moralibus apte
Præceptis purganda anima est; prius ejiciendi
Affectus pravi, cunctæque e pectore sordes,
Ira nocens, & luxuries, & fœda libido.
Hos igitur motus animi (purgantia sicut
Corporis humores pravos medicamina tollunt)
Moralis plene educat Medicina, priusquam
Divinum, summumque bonum scrutarier ausa
Sit contemplando, ne densis pressa tenebris
Mens erret cæca, & vitiis decepta fatiscat.
Sic longa virtute fuit mens sancta Catonis

Purgata; atque illi vitæ immortalis honorem
 Jam contemplanti divini fata Platonis
 Phædonem tradunt; cum lætus talia fatur:
 „Salve sancte liber Superis demisse Catoni;
 „Dirige tu cursum, vitæque extrema meantis
 „Instrue; non alium moriturus, quæro magistrum;
 „Nec restare alias voluerunt Numina curas.
 „Jamque mori certo liceat mihi discere, quid sit
 „Mors, quid vita fuit, quid erit; num nulla futura est;
 „An vivant animæ post funera: præmia justis
 „Quæ restent: quæ sacrilegos vindicta manebit“.

Dum contemplatur, mentis se libera tollit
 Nec turbata acies, abstractaque corpore vires
 Exercere suas contendit pura facultas.
 Tunc volitans excelsa petit, nimiumque remotæ
 A terris, quo non oculi, non organa sensus
 Corporei penetrare valent, fulgentia cœli
 Corpora scrutatur; nec eis contenta, requirit
 Splendoris fontem cuncti, lucisque beatum
 Principium, æternique Dei vestigia adorat.
 Hæc magis atque magis cœlestia discere tentat
 Contemplans anima: at cæcis obducta tenebris,
 Et depressa gravi connexu corporis, ipsa
 Se non posse videre videt. Solatia sola hæc,
 Quod meliore frui post mortem lumine sperat.
 Immortalem animam spes hæc probat: aut tibi frustra
 Spem dedit omnipotens: frustra te jussit amare

Quæ nunquam poteris cognoscere: cur sapientes
Dum terris vivunt spernunt terrena, nec aurum,
Regna, voluptates quærunt, quæ sola videntur
Splendida: sed quæ non cernunt cœlestia tantum.
Depereunt, si non cœlestia gaudiâ tandem
Exciperent? Sed non illuc ascendere possunt
Corpora, quæ gravia, & terrenis mixta creantur
Principiis, in quæ tandem resoluta redibunt,
In terramque cadent. Animæ est cœlestis origo,
Igneus atque vigor, substantia pura, suique
In totâ similis; variis nec partibus illa
Composita est; ideo nullo dissolvitur ævo;
Sed sibi corporeo laxata a carcere vivit.
Felices posthac animæ, quas corpora nullis
Fœdarunt vitiis, nullaque libidine mersas
Detinuere olim, quæ, dum sub carne latebant,
Contemplatrices abstractæ a carne volarant
Sæpius ad cœlos, cœlis post fata quibuscum
Fœdera sanxerunt viventes sacra, locantur,
Æternaque illic lætantes luce fruuntur:
At tenebrosæ animæ, nimium quæ carnibus olim
Demersæ jacuere suis, queis tetra libido
Atque voluptates, solum quas sensus alebat,
In terris notæ, posthac de carne solutæ
Aspectum cœli, cum quo commercia nulla
Viventes habuere, timent, nec luce fruuntur:
Sed tenebris dilecta nimis prope corpora semper.

Ferales errant umbræ, mœstæque sepulcra
 Bustaque fœda colunt. Hinc noctu spectra videntur,
 Quæ terrent homines, animæ sunt ista malorum,
 Quæ, quoniam crassæ sunt, corporeæque, videntur.
 „Quam diversæ (inquit) restant post funera sortes!
 „Credo equidem, divine Plato, te dogmata vera
 „Hæc ipsum docuisse Deum. Deus ipse sequendam
 „(Aut Natura homines ratioque innata fefellit)
 „Proposuit virtutem, & præmia debita justis.
 „Hæc, quoniam justos injusta potentia fraudat
 „Sæpius in terris, & gens humana rebellat,
 „Solvere post mortem justissimus ipse tenetur“.

Funera non metuit sapiens suprema; nec illi,
 Qui contemplando toties super astra levavit
 Carnoso abstractam penitus de carcere mentem,
 Corporis atque animæ faciens divortia tanta
 Quanta homini licuit, mors formidanda venire
 Aut ignota potest. Nam mors divortia tantum
 Plena hæc, quæ sapiens toties optasse videtur
 Et toties tentasse, facit, Superosque petenti
 Libertatem animæ claustris concedit apertis.
 Si sæpe impatiens vitam projecit amator,
 Atque manu pectus propria perfodit, ut umbra
 Defunctam Stygias sponsam sequeretur ad umbras:
 (Qua tamen haud ille conceditur orbe potiri)
 Num sapientum animæ summi quæ gaudia cœli
 Depereunt, verique boni capiuntur amore,

Quo

Quo nequeunt in carne frui, de carcere tandem
 Corporeo solvi, claustrisque exire recusent,
 Cum Deus ipse fores aperit, licitamque meanti
 Dat Natura viam? At donec Deus ille creator,
 Qui terrena animam primo statione locavit,
 Evocet, haud illa statione excedere fas est.

Hic dubitans hæsit paulum Cato. „ Nondatur ergo
 „ Sponte mori victis (inquit); nec obire Catoni.
 „ Dum dabit injustus victor mandata, licebit?
 „ Cæsaris expectem gladios, atque in caput istud
 „ Jus illi agnoscam, Superi? Dominumque fatebor
 „ Esse meum, quem Roma suum decreverat hostem,
 „ Quemque ego damnaram? Num justam injusta dederunt
 „ Bella potestatem? Non sic, oh Numina certe
 „ Humanas placuit vobis confundere leges,
 „ Et dare jus sceleri. Sed si non sponte Catoni
 „ Projicere hanc lucem fas est, at crimine vitam
 „ Grandius est retinere nefas. Quam grande putarem
 „ Esse nefas nobis, turpem producere vitam
 „ Cæsaris imperiis, & regna injusta probare!
 „ Quam Romæ damnosa forent exempla Catonis!
 „ Pompeji juvenes, qui nunc ad prælia gentes
 „ Hispanas armant, patriæque impendere vitas
 „ Non dubitant, justæ posthac non credere causæ,
 „ Sed pulchris fortasse volent desistere cœptis,
 „ Nec libertatem per tanta pericula, per tot
 „ Ærumnas quærent, cum nobis regna probentur.

Dd

„Et non displiceat duro servire Catoni.
 „Ah potius fragilem hanc sit fas abrumpere vitam,
 „Quam te, Libertas, violem. Sed Numina si te
 „Nunc tandem jussere mori, tua funera saltem
 „Prosequar, & Stygias liber comitabor ad umbras.
 „Non ultra dubitare licet“. Tunc pectora dextra
 Nuda ferit, moriensque cadit; morientis ad ictum
 Undique concurrunt famuli; labentia tollunt
 Membra viri, vulnus refovent; mortique quietem
 Eripiunt tantum, dum, quam projecerat ipse
 Tanto animo, heu frustra, contendunt reddere vitam.
 Impatiens lucis propria Cato vulnera dextra
 Dilacerat: mortemque docet non posse negari.

Cæsar Thapsiaca victor de clade reversus
 Tendit Adrumetum, cum jam victoria passim
 Securum præstabat iter. Non arma, nec ullæ
 Insidiæ clausere vias. Ignoscit ubique
 Supplicibus: cum nulla videt restare pericla,
 Tutæque fortuna facta est clementia tanta.
 Inde Uticam advenit Cæsar, fatoque Catonis
 Audito ingemuit; questusque, „Oh invidè, dixit,
 „Cur odio moreris nostri? vitamque relinquis
 „Ne non Cæsareæ bonitati injuria fiat?
 „Heu tibi crudelis nimium moriendo fuisti,
 „Ut moriendo mihi posses crudelior esse.
 „Durius interitu, quam vita armisque fuisti,
 „Hostis es; atque odium nostri, quod sanguine nostro

„Non potuisti unquam, voluisti sanguine saltem
 „Nunc satiare tuo, teque ipsum impendere damno
 „Cæsaris. Evitas nostrum, crudelis, amorem,
 „Ut luctum facias. Mihi quid clementia prodest,
 „Cui non Romani dubitant præponere mortem?
 „Infelix Magnus sese committere fraudi
 „Barbaricæ potius quam nostro elegit amor.
 „Sed tamen ille suas sperans reparare ruinas
 „Auxilium infido, non mortem, a Rege petivit,
 „Quam tamen invitus subiit. Tu sponte peristi
 „Invidiam facture mihi. Sed detrahet illam
 „Invidiam, & spes injustas clementia vincet.
 „Deflebo funus, natumque amplectar honore;
 „Nec me crudelem victo fore sentiet Orbis“.

Dans veniam Cæsar timidis Uticensibus, agmen
 Defessum reficit, paulumque moratus in urbe
 Munimenta videns, circumspicit undique latam
 Planitiem. Prope silva stetit (regionibus illis
 Rara nimis) non ampla tamen, quam lentus alebat
 Bagrada, qui siccas illic connectit arenas.
 Horrida silva fuit, conjunctis aera ramis
 Obscurum & tristes exclusis Solibus umbras
 Complectens: nemus hoc ingressus Cæsar opacum,
 Antrum immane videt nigro squalore repletum,
 Et marcente situ, quem nox ibi longa creasset,
 Infecit gravidas erumpens halitus auras.
 Attonito terrore loci, tandemque roganti

Rem notam populis astans Libys incolâ narrat.

- „Hæc, Cæsar, multos jam non habitata per annos
„Antra immensa olim monstrum exitiale tenebat,
„Pestis, & ira Deûm, serpens cui sæcula nulla
„Produxere parem terris; non tanta palude
„Lernæa tumuit reparatis anguibus hydra;
„Nec qui pomâ draco custodiit aurea; nec, quem
„Servantem vigili Phryxæum lumine vellus
„Somniferis tandem domuit Medea venenis.
„Nec tu Phœbeis Python confixe sagittis
„Tantus eras, populis species incognita primis.
„Serpente in tanto potuisset Gorgonis omne
„Absumi virus; Libycis nec majus arenis
„Hoc monstro, semen si defluxisset in unum,
„Pestiferæ tabes generasset tota Medusæ.
„Tam longum sese (centum porrectus in ulnas,
„Quippe fuit) volvit serpens per fluminis undas,
„Ut quoties gyris distendit terga solutis
„Adversa prædam potuit deprendere ripa.
„Sæpe illic tigris spumantes oblita rictus,
„Atque cruentati taurorum cæde leones
„Flumina dum libant, monstri conduntur in alvo:
„Atque utinam his tantum prædis contenta fuisset
„Ingluvies; periire homines, quicumque per æstam
„Umbrosæ fessi petierunt tegmina silvæ,
„Aut quicumque istos, adverso numine ducti,
„Adveners viri gelidos haurire liquores.

„Nam simul ac nigro serpens caput extulit antro
 „Horrendus, totamque impleverunt sibila silvam,
 „Attonitos timor invasit; non ulla salutis
 „Spes manibus, non ulla fuga. Deprendere prædam
 „Distendit subito toto se corpore serpens:
 „Sæpius in flumen, monstrum vitare nefandum,
 „Desiluere viri; sed non præstare salutem
 „Flumen eis potuit. Nantes correpsit in undis,
 „Nec mergi licuit miseris; pejora manebant
 „Fata illos, monstri obscœna conduntur in alio.
 „Sic impune diu silvæ grassatus in ista
 „Egressus tandem est, & se ad majora paravit.
 „Quid pecudum strages, quid singula fata virorum
 „Persequar? haud vacat hic privatas dicere clades.
 „In populos furit, & totis cum gentibus atrox
 „Bella gerens, ausus Romana lacessere castra est;
 „Cum primum turmas Libyes ad litora duxit
 „Regulus Ausonias, & in his consederat arvis,
 „(Quis mihi de tanto credet certamine?) solus
 „Invasit totas acies. Exercitus ille,
 „Qui sibi promisit Libyæ, & Carthaginis altæ
 „Imperium, quem tot gentes, mundique timebat
 „Tertia pars, uno vix se defendit ab angue.
 „Dux capere arma jubet, nec solis ensibus illic,
 „Aut pilis, sed balistis, quæ mœnia summa
 „Et turres quaterent, monstro nova bella parari,
 „Protinus insonuere tubæ; tunc erigit alte

„Se, dirumque caput serpens attollit in auras
„Undique despiciens campos, tantusque videtur
„Quantus is est geminas cœlo qui dividit Arcūs.
„Tunc asper sævit; Scygias de gutture diro
„Exhalans nebulas; & flammea lumina torquet.
„Squamea cum volvit sublatus terga, putares
„Excelsum ad pugnas castellum sponte moveri.
„Distantum longe subito se immittit in ora.
„Hos morsu, afflatu necat hos, hos tollit in altum,
„Ut casu interimat miseros; totasque cohortes
„Sternit humo, latas cauda dum verrit arenas.
„Consternuntur equi passim, frænisque rebelles
„Invitos sævi dominos serpentis ab ira
„Dum fugiunt campo portant. Cessere manipuli,
„Tergaque vertissent (si fas est credere) cuncti,
„Ni tandem valido contortum hastile lacerto,
„Dum sese arrectu tollit, sub pectore diro
„Hæsisset. Fluxit sanies de vulnere nigra.
„Horrendum immugit tum primum vulnera passus
„Longævus serpens, caudaque flagellat arenas
„Iratus; cuncti clamorem ad sidera tollunt,
„Speque alacres validis mittunt per inane lacertis
„Undique pila. Ferit pars magna innoxia tergum
„Squamosum monstri, crepitantque sonantia tela,
„Ut sonat æstivus salientis grandinis imber,
„Tegmina tectorum feriens. Hastilia quædam
„Fortunata magis maculoso vulnera ventri

„Infligunt. Solus levibus penetrabilis illi
„Venter erat telis. Nigro humectantur arenæ
„Sanguine serpentis, secundaque ante venenis
„Gorgonea de tabe, novo nunc semine tristes
„Concipiunt iterum pestes, & monstra nefanda.
„Nec minus iratus serpens, tantique doloris
„Impatiens sævit campis, & corpora leto
„Prosternit. Levibus necquidquam prælia pilis
„Aut jaculis tantum tentasset miles in hostem;
„Robore ni tandem demissa Phalarica magno
„Immensi spinam fregisset pondere dorsi.
„Tum fractus vires, & tanto languidus ictu
„Decubuit. Solito non sese attollere nisu
„Jam potuit, patulo tantum minitatur hiatu,
„Et nebulas læsis expirat faucibus atras
„Sic quoque letalis; tandem stridore per auras
„Tormento volitat trabs acta, caputque nefandum
„Discutit, & cerebro nigras dispergit arenas.
„Horrendus tandem serpens tot jugera magno
„Ventre premens, ipsa metuendus morte jacebat“.

Postquam oculos silvæ miracula tanta vetustæ
Cæsaris implessent, Utica discessit ab urbe,
Et victi per regna Jubæ victricia ducens
Agmina, regalis famosa ad moenia Zamæ
Pervenit. Ducis hic Petreji animosa Jubæque
Funera cognoscens, animo tam tristia fata,
Fortunæque vices summæ miseratur amaras.

Tunc urbe exceptus Zamenses laudat, & illis
Præficit imperio Crispum. Maurusia tellus
Romula de tanto facta est provincia regno.
Inde Uticam remeans, ventis dans carbasa, Sardon
Appulit, atque illa paulum tellure moratus,
Tutus ad Ausoniæ pervenit litora Cæsar.





LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Triumphus Cæsaris quatuor continuis diebus. Templum Veneri extructum. Pompeji Juvenis bellum in Hispania renovant.

Romuleas arces celeri victoria fama
 Cæsaris intrasset. Fictis certare parati
 Obsequiis complent Phœbeja palatia Patres.
 Atque quater denis (quamvis devicta sit ipsa
 Illo Roma die) decernunt vota diebus.
 Cæduntur tauri, gratoque altaria ture
 Cuncta calent. Nec tot sunt templa ornata coronis,
 Cum Latio audita est olim victoria felix
 Scipiadae, & fusus Zamensibus Annibal arvis,
 Aut cum Teutonicis intravit mœnia victor
 Exuviis Marius. Non plus felicibus armis
 Externisve unquam lætata es, Roma, tropæis,
 Quam nunc amissa pro libertate triumphas.

Tum justo, meruit quem Gallia victa triumpho,
 Dilatoque diu, jungunt decreta Senatus
 Tres alios, veteres ut possit Cæsar honore.

Obscurare Duces ; pompasque excedere cunctas ;
 Utque triumphales utroque a cardine lauri
 Ornarent pariter currus: Australibus illa
 Splendida divitiis, Boreæ generosior ista
 Robore & exuviis: ut pictis mixta Britannis
 Agmina Niliaca incedant: ut sole perustos
 Mazaces albo comitentur corpore Suevi:
 Ut Galli Armenis juncti, Maurisque Sicambri
 Spectentur pariter populis: longèque remotæ
 Tot possint gentes , & quas commercia nunquam
 Junxissent, Latiis junctæ nunc ire catenis,
 Communemque simul victæ deflere ruinam.
 Ut cunctos pariter fontes, captivæque Tibris
 Flumina Cæsareis videat depicta tabellis.
 Inde catenati lugens Germania Rheni
 Fata sui sedeat: Nilus septemfluvius illic
 Cornua fracta gemens: frænato ut gurgite Gallis.
 Inde suis Rhodanus, Mauris hinc Bagrada ploret.
 Nec majorem ullo sese urbs Romana triumpho
 Fortunamque suam potuisset cernere, si non
 Ipsa triumphatæ partis pars magna fuisset.

Tot clarus titulis, tot bellorumque superbus
 Exuviis, Tyrio Cæsar spectabilis ostro
 Mœnia sublimi intravit Romana triumpho,
 Quadrijugis vetus niveis, quos pascua mittunt
 Clitumni læta, & sacræ victoribus undæ.
 Dicito Calliope, quot gentes quattuor illis

Quos Ponto, Ægypto, Libye, Gallisque subactis
Ducebat Cæsar, spectabat Roma triumphis.

Quam diversa fuit facies, quam corpore toto
Ornatus populis varius, quam dissona lingua,
Dum fluvios tabulis pictos, dum facta metallis
Oppida, bellorum series, diversaque pugnae
Tot genera ostendit; varie & fabricata ministri
Arma, Ducum exuvias, argenti pondera & auri,
Captaque magnorum portant diademata Regum.

Sed si non tantæ dignaris singula pompæ
Dicere Calliope, saltem miserabile magni
Vercingetorigis fatum reticere putato
Esse nefas, quem bellantem tot viderat annos
Gallia, collatis toties cum Cæsare signis,
Et toties renovantem acies proavita tueri
Jura, jugumque suis Romanum avertere Gallis.
Hic, quem dura Ducis nimium sententia morti
Damnasset, residens indignabunda pheretro
Dejicit ora: tegit frontem diffusa minacem
Cæsaries; dñs iratus, vitamque perosus
Captivam, domini gladios optare videtur.

Ecce alia in Phario facies miseranda triumpho
Corda movet vulgi. Incessit Regina catenis
Arsinoe, passis per candida colla capillis,
Et teneras, modo quæ gessere Ægyptia sceptras,
Auratis palmas manicis religata tenebat.
Quamvis Arsinoen non hic sententia mortis

Dura manet, parcit clementia Cæsaris illi:
Aut donat victor, Cleopatraz captus amore.
Germanæ veniam, Phariamque remittit ad aulam.
Heu quantum, Cleopatra, tibi, si capta perisset
Hic soror, abstulerat crimen Fortuna futurum!
Nam miseræ Arsinoe donatam a Cæsare vitam
Crimine majori posthac soror impia tollet.

Maxima sed populi subiit miseratio mentes,
Cum videre Afro pueri captiva triumpho
Ora Jubæ; cujus Libyco rex maximus Orbe
Nuper erat genitor, qui tot modo regna, tot urbes,
Tot populos lata tenuit ditione remotos.
Quis Latius, miserande puer, tam obtusa gerebat
Pectora, quem tua non ætas innoxia movit?
Aut quis te tanto dejectum culmine regni
Immerita hostili præbentem colla catenæ
Non mœrens animo vidit? sed cæca futuri
Mens hominum. Felix, quæ tam miseranda videtur,
Sors tua, Magne puer; vinclis felicior istis
Es Juba, quam magni maneant si regna parentis,
Et stet firma tuis tellus Maurusia sceptris.
Illa dies quæ te captivum fecerit, illa
Transtulit in melius (quis crederet?) illa futuræ,
(Tristis visa licet) posuit fundamina famæ.
Moribus Ausoniis primis nutritus ab annis,
Barbarie exutusque, tuo feliciâ posthac
Tempora constituens orbi, moderamine justo

Commissas olim regni tractabis habenas.

(Nam te post casus tantos ad culmina regni
Evehet Augustus Cæsar, solioque locabit.)

Præterea excultus studiis, miranda relinques
Ingenii monumenta tui, calamique perennis
Docti fama tibi per sæcula cuncta manebit.

Sed non Pharnacis captiva Quiritibus ora
Armeno potuit Cæsar monstrare triumpho.
Ille fuga evasit. Vehitur fugientis imago;
Et VENI, VIDI, VICI, tria verba superbo
Portantur curru totum narrantia bellum.

Romanos animos, plus quam spectacula viva,
Tristia fata Ducum tabulis depicta movebant.
Illic mœsta videt civilia vulnera Roma,
Et proprias luget clades; illic sua quisque
Funera Romanus, cognataque damna recenset.
Inter Barbaricas strages, & funera Regum
Extera, magnates Libiæ, cæsosque per Alpes
Gallorum proceres; proprio qua pingitur ense
Rex Juba transfixus convivia mœsta cruentans,
Demersusque sui Nili Ptolemæus in undis,
Monstrantur Latæ mortes, absumptaque bellis
Maxima Cæsareis Romanæ nomina gentis.
Hic cum Rege Juba Petrejus, Afranius illic:
Illic Torquatus moriens, hic Sylla jacebat.
Nec procul hinc oculis agnoscunt flentibus ora
Scipiadæ, puppi jam desilientis ab alta.

Te quoque, sancte Cato, fodientem viscera dextra,
Et properanti animæ lacerantem vulnera cernunt.
Verum inter procerum tot mortes una tæcetur.
Nec tabulæ mœstis monstrare Quiritibus audent
Flebile Pompeji fatum, ne tanta triumphos
Tristaret clades. Sed mors ea sola relicta.
Quæ tum præcipue populo expectata fuisset,
Altius infixæ est quærentibus, & bene cuncti
Jam sine picturis Magni miserabile letum,
Et seriem tantæ possunt memorare ruinæ.

Quis numerare queat variæ spectacula pompæ?
Quot campis ludi? nova quot certamina circo
Spectentur populis? quantoque madescit arena
Sanguine nobilium dat quas Hyrcana ferarum
Silva, aut monstriferis nutrit Getulia campis?
Quia & nocturnæ præfulgent undique pompæ,
Delectantque, parat cum post spectacula Cæsar
Nocte redire domum toto famulante Senatu.
Cum mediam cernunt elephantes ire per urbem,
Et lucem gestare: forum via lactea visum est:
Tot simul accensis elephantum terga micabant
Ignibus, atque ibant coelestibus æmula signis.

Nec tantas victoris opes spectacula vana
Testantur solum; sed duratura per ævum
Exurgunt opera, & sæclis miranda futuris.
Nam templum Veneri, domus a qua Julia nata est,
Aut pius, aut tanta sublatu origine Cæsar

Magnificum extruxit, spoliisque ornavit opimis.
Ut formosa Venus tanto videatur honore:
Plus Jovis uxorem, & Tritonida vincere, quam cum
Aurea poma illi nemorosæ in vallibus Idæ
Judicium Paridis Priamo fatale dedisset.
Plusque Dioneæ veneratur numina Mundus,
Quam vel Junonem vel Pallada: dignius orbi
Nomen Iulæ censetur stirpis origo
Quam superûm Regina, aut vertice nata Tonantis.
Interiora auro radiabant limina Templi
Marmorei, auratæque trabes, cælataque multa
Arte micant simulacra Deûm, & spirantia signa.
Hic Troja antiqua, & Veneris Phrygiique videntur
Anchisæ thalami, decantatumque poetis
Frondescit nemus Idæum: quod debuit olim
Vatibus, hic tantis debet pictoribus Ida.
Hic torus exurgit mollis, quem mater Amorum
Progeniem terris, tantosque datura nepotes
Cum juvene Anchisa quondam Venus aurea pressit,
Concubitusque hominis pulcherrima passa Dearum est.
Æneas juxta soboles stat, corpore talis
Formoso, qualis semper florente juvena
Exultat Phœbus: frenata aut Tigride qualis
Bacchus odoratis curru descendit ab Indis:
Trojus Æneas, cui tantam Musa Maronis
Donavit. felix famam per sæcula, quantam
Mœonius Grajo vates præstabat Achilli.

Illic eximiae visa est pietatis imago;
 Cum bonus Æneas, Troja pereunte, parentem
 Grandævum attollens humeris, per tela, per ignes
 Hostiles rapuit. Non illi Laomedontis
 Arsuræ curantur opes, non fulva supellex,
 Nec sparsæ passim per tanta incendia gazæ:
 Sed genitor, Phrygiique Lares, & sacra Deorum.
 Pone patrem sequitur fortem formosus Iulus;
 Unde genus nomenque suum gens Julia duxit.
 Condidit hic Albam longam, multosque per annos
 Imperio rexit. Longo dehinc ordine picti
 Post primum Albani Reges monstrantur Iulum,
 Donec Iulæam Tullus Rex diruit Albam,
 Transtulit & Romæ, cives. Hinc ordine rursus
 Reges atque Duces Latii, Romanaque fata
 Usque ad Cæsarei monstrantur tempora regni,
 Quo vetus Alba iterum Romam vicisse videtur.

Robore sed quamvis munita potentia tanto
 Cæsaris, & populi plausu firmata videtur:
 Nutat adhuc, & plus terris quatietur Iberis
 Quam vel Thessalicis, vel Thapsi tristibus arvis.
 Maxima adhuc restant discrimina, maxima bella,
 Quæ juvenes facient Pompeji nomine tanto
 Non indigna. Truces vicinos Gadibus illi
 Herculeis armant populos. Hispania sedes
 Tertia bellorum, & Romani scena furoris.

Currit ad occasus, extremaque litora Mundi

Jam

Jam civile nefas, qua sese Hispania pandit
Ultima. Non ulli populo majora videntur
(Cum vastus fessos exacta luce jugales
Proluit Oceanus) rutilantis corpora Phœbi.
Atque ideo propiora suæ putat incola terræ
Deceptus, tanquam sese illic ætheris alti
Convexum inclinet. Sed majus ab æquore tanto
Surgentes reddunt nebulæ, densique vapores
Objectum, radios oculi diffundere sueti.
Hinc non ulla vident surgente crepuscula Phœbo,
Nec fugiente. Dies oritur cum Sole, caditque.

Tota jacet corii specie diffusa bovini
Terra Hispana, mari cincta undique, & insula pœne
Facta, nisi gelida quod Pyrenæus ab Arcto
Mons interpositus Gallis disternat agris.
Facturum tantis montem divortia terris
Excelsum posuit Natura, & vertice cœlum
Æquantem summo. Nudum est, & gramine nullo
Vestitum, quod Gallorum præpinguibus arvis
Objicitur Boreale latus: contraque cacumen
Qua steriles terræ campos prospectat Iberæ,
Frondosum silvas densas, & pascua læta
Ostendit; tanquam Galli felicibus arvis
Divitias mons iste suas concesserat, utque
Vestiret sese, terras spoliaret Iberas.

Nubifero, famæ si credas, nomina monti
Pyrene miseranda dedit. Regnabat in illo

Ee

Monte Bebryx genitor, parvaque excepit in aula
Hospitio Alcidem formosa armenta petentem
Geryonis. Visa est Alcidæ regia virgo
Pyrene, placuitque nimis, deceptaque tandem
Hospitis invicti placido succumbit amori.
Conjugium Alcides miseræ, tædasque jugales
Si modo Geryonis victor remearit ab arvis,
Promittit: sed fata negant crudelia tædas.
Nec prius Alcides vincit, quam funere tristi
Pyrene formosa jacet. Timet illa parentem
Iratum; nec jam vitiati pondera ventris
Ulterius celare valet. Queribunda pererrat
Frondosas latebras, & vasti devia montis;
Solaque furtivum silvis deplangit amorem.
Amphitryoniadem falsum, tardumve vocabat;
Donec plorantis frustra, magnique vocantis
Herculis auxilium leto crudelior ipso
Bellua formosæ laceravit virginis artus.

Amphitryoniades tristem Bebrycis ad aulam
Jam victor rediens, amissa virgine demens
Et formidandus luctu, per lustra ferarum,
Per juga, perque alti frondosa cacumina montis
Tendebat, sponsæ quærens vestigia caræ,
Pyrenenque suam mæsto clamore vocabat.
Pyrenen silvæ, Pyrenen antra ferarum,
Et curvæ toto resonabant monte cavernæ.
Ingemuit locus ipse; feræ tremuere, metuque

Montani latuere fures; nec quærere prædam
Immanes audent ursi, torvive leones,
Dum nemore atque jugis graditur Tyrinthus altis:
Sed postquam laceros artus, atque ora puellæ
Deformata suæ cognovit, fata Deosque
Multum incusavit lacrymans. Tunc oscula caris
Reliquiis repetita dedit; supremæque plangens
Funera, Pyrenen tumulavit montibus illis.

„Diruet hanc (inquit) molem non longa vetustas:
„Famaque tum tua major erit; tumulique ruina
„Augebit tumulum. Toto tunc monte jacebis,
„Ut juga tuta tenet Bacchus Niseja sepultus.
„Mons erit iste tuus.“ Consensit fama. Tenentque
Pyrenes isti nomen per sæcula montes.

Pompeji juvenes instructo milite Gades
Linquentes, bellum omne locant, qua pingua Bætis
Culta secans, sua felici dat nomina terræ.
Oppida cepissent primo regionibus illis
Ateguam, atque Ucubin, & nomen clade futura
Funestum Ausoniæ Mundam, & te, grata Camœnis
Corduba, doctorum cunis fœcunda virorum.

Undique Pompejis vires Hispania mittit.
Hic præter Latias Aquilas, Romanaque signa,
Quæ Varus, duxitque acer Labienus, Iberi
Pugnaces coeunt. Hic trux stat Cantaber, armis
Qui vitam impendit solis, gens nescia pacis
Aut siccæ mortis, ferro prævertere sueta

Imbelles annos: decus esse abrumpere vitam,
Naturæque putant segnem donare senectam.
Augurii sacri, divinarumque peritam
Flammarum pubem dives Gallecia mittit.
Callaici veniunt, qui, dempto Marte, laborem
Non ullum novere viri. Nam semina sulcis
Injicit, & duro glebas invertit aratro
Fœmina, dum manibus peraguntur bella virorum.
A Minii ripis patrii venit impiger Astur,
Auriferique Tagi fulgentia signa ferebat
Incola, deciduum consuetus cernere Solem.
Et Vasco insuetus galeis, & Concanus audax,
Qui se Massagetum dura de stirpe fatetur
Cornipedis consuetus equi potare cruorem.
Celtiberi, bello qui corpora cæsa suorum
Igne cremant, creduntque nefas si forte jacentum
Exanimes fera vel volucris depascitur artus.
A ripis rapidi veniunt Sucronis & omnes
Hispanæ gentes, quæcunque aut funera Magni
Ulcisci, aut Latios cupiunt nutrire furores.



LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

*Pugna navalis cum tempestate describitur. Funestum
Mundæ prælium. Cn. Pompejus, Varus,
& Labienus interfecti sunt.*

EXcipit Oceanus civilia bella, priusquam
Hispanas tangant terras, & tristia Pontus
Pompejanarum gestat præludia cladum.
Qua Tartosiacas extremum litus ad oras
Extendit Libye, Pompeji nomine Varus
Æquora custodit: pro Cæsare Didius illuc
Classibus advenit. Vicinaque litora utrinque
Æquoris angusti belli videre furorem,
Et terris timuere suis. Vix pugna coorta est,
Cum variis subito tumuerunt æquora ventis.
Fluctibus insurgit totum mare; plusque pericli
Quam gladii hostiles tempestas atra minatur.
Et Tingitanis primo ruit Auster ab oris,
Corus ab Occiduo pelago, violentus Ibero
Litore surgebat Boreas, & flatibus undas
Reppulit adversis. Variis vexata procellis

Ec 3

Æquora confusos tollunt ad sidera fluctus.
 Nil aliud dubio flatu voluisse videtur
 Quam turbare mare, & sceleratum abrumpere bellum
 Æolus, aut mediis undis utramque, priusquam
 Sanguine civili madeant, immergere classem.
 Sed rabiem Oceani vicit, ventique furorem
 Bellandi vesanus amor; tantisque ruebat
 Militis impietas ad prælia dira procellis,
 Quantis mercator, quamvis avidissimus, undas
 Æquoreas tentare neget; nec vellera Parmæ,
 Indum ebur, aut rubro pretiosas æquore conchas
 Auderet tali ratibus conquirere coelo.

Jamque propinquabant classes, validisque lacertis
 Sulcatas vertèrè undas, tonsisque secabant
 Excussis: fluctu spumabant cæcula cano.
 Innumeræ pariter tolluntur ad æthera voces.
 Nec jam remorum sonitus, clangorve tubarum
 Audiri poterant; hominum clamore premeuntur:
 Sed remos, vocesque hominum, sonitumque tubarum
 Bacchantes venti, tempestatesque sonoræ
 Exuperant. Nimbis pariter jaculisque diurna
 Lux periit, densis & inhorruit unda tenebris.
 Tum rostra haud visis sonuerunt obvia rostris.
 Occurrunt aliæ proprio conamine naves:
 Hostibus obijciunt alias agitata procellis
 Æquora, & invitas forsan concurrere cogunt.
 Navibus elidunt naves, hominumque furori

Additur ira maris: Cunctos geminata pericla,
Dissimilesque metus urgent caligine tanta.
Dum pugnant alii, pelagi sarcire ruinas
Contendunt alii, & propiorem avertere mortem.
Nec jam pugnaantes pro Cæsare Didius audax
Hortari poterat, nec in ordine vertere classem:
Non Pompejanis Varus mandata valebat
Militibus dare: nec voces fragor æquoris ulla
Jam signit audiri: ventis, fatoque relinquunt
Omnia, & attonitas classes Fortuna regebat
Prælia committens. Rostro perfossa carina
Subsidet, & fatum nescit cui debeat, hosti,
An tempestati. Nec sola fragoribus auris
Terretur: sed nox oculis obducitur atra,
Nec tamen est tenebrosa satis: sed tristius illis
Exoritur lumen tenebris, & fulgura ponto
Crebra micant, lucisque reposcere regna videntur,
Quam Sol non potuit depellunt fulgura noctem.
Illic dum tumidis forte oppugnatur in undis
Pompejana ratis, nec se defendere contra
Hostiles valet incursus, & capta videtur,
Vindicat iratum pelagus sibi: gurgite pinus
Mergitur, & rapuit victoribus unda triumphum.
Ast alias jam possessas victore carinas
Obruit, & cito devictos ulciscitur æquor.
Contra utramque diu classem Fortuna videtur
Pugnare, atque odiis vexare hostilibus ambas.

Finivit tandem dubii certamina Martis,
 Ostenditque quibus cœli pelagique labores
 Ipsa excivisset tantos. Victoria classi
 Cæsareæ jam plena fuit, quam Didius audax
 Erubuit vento aut pelagi debere procellis.

Amissam Varius classem videt. Obruta ponto
 Pars jacuit: pars victores possessa vehebat.
 Reliquias secum fugientibus inde carinis
 Cartajæ ad portum vexit, ratibusque relictis
 Emensus telluræ vias, hinc castra petebat
 Pompeji juvenis. Toto tunc milite frustra
 Moenia Pompejus munitæ obsederat Ullæ.

Interea cursu celeri (quo bella solebat
 Conficere) Hispanas properabat Cæsar ad oras.
 Quem Roma egressum dena bis luce Saguntus
 Excipit, urbs fidei clarum per sæcula nomen,
 Et crimen quondam Superûm: quod non nisi magno
 Deleri excidio potuit Carthaginis altæ.
 Urbis ad occiduum nitidis it Duria lymphis
 Culta rigans vicina, atque in mare tendit Iberum.
 Sed Ducis haud tanti eursum vel Duria tardat,
 Vel rapidæ Sucronis aquæ, montesve corusci,
 Quæis faciunt dites argentea nomina venæ.
 Inde rapit cursum flavæ per litora Bætis,
 Et procul egressus totis te, Corduba dives,
 Obsidione premit turmis, non spe potiundæ,
 (Præsidis urbem validis nam Sextus habebat)

Sed trahat obsessæ ut Pompejum a mœnibus Ullæ,
 Quod juxta evenit: namque obsidione relicta
 Pompejus totis sedatur viribus hostem
 Jam pugnæ cupidus; sed non certamen iniquo
 Cæsar inire loco statuit: verum agmine moto
 Progressus, Salsis non magnas transilit undas,
 Atequamque capit subita feliciter arte.

Ategua amissa, veritus Pompejus Iberas,
 Fortuna quassante fidem, ne perderet urbes
 Et reliquas, uni properat committere pugnam
 Spes omnes, viresque suas, hostemque secutus
 Ocyus, ad Mundæ fatalia pervenit arva.
 Castra locat tumulo modico, qui desuper omnem
 Planitiem late despectat, Cæsaris unde
 Ante oculos positas potuit numerare cohortes.

Nulla hic auguria, aut tantæ prænuntia cladis
 Prodigia implorant campos aut æera; nullæ
 Vel per inane faces, vel diræ arsere cometae
 Non signis examen apum; liquefactave pila
 Fulmine; non volucres, non exta minacia terrent
 Plus tamen hic moerent omnes, metuitque silentes
 Turba Deos, tanquam clades immanior omni
 Ostento his campis, & inenarrabile damnum
 Immineat Mundæ. Tacito portenta timore
 Quæ nulli fecere Deum, sibi quisque creabat
 In Pompejanis per mœsta silentia castris
 Ancipites errant animi. Nunc improba vota

Concipiunt, & spes diras, umbrasque videntur,
 Horridaque ante oculos mortis simulacra futuræ
 Cornere: lymphata rursus formidine pallent.
 Nec quamvis sperare nimis fortuna vetabat
 Cæsaris, exoptant victas producere vitas.
 Danda tamen venia est illis, cum Cæsaris audax
 Bella timet miles, Latium qui sæpe cruorem
 Hauserat; & patriæ toties in viscera fortes
 Incipiunt trepidare manus. Exercitus Orbis
 Ille triumphati domitor, victorque Senatus
 Romani, qui tam præceps in bella ruisset
 Thessala, Thapsiacisque ausus prævertere campis
 Jussa Ducis, jam jussa timet, sonitumque tubarum;
 Nec sibi desuetum potis est celare timorem.

Sed minus ut vulgi pavidos misere tumultus,
 Tristis ad hæc Cæsar funestæ prælia Mundæ
 Ipse venit. Consueta deest fiducia, nec frons
 Illa Duci est, ex qua toties felicia belli
 Ante tubas hilaris tulerat præsentia miles.
 Lubrica fortassis mæsto tunc pectore dona
 Fortunæ expendens, quantisque agitata procellis
 Sint humanarum metuenda cacumina rerum,
 Per tot Magnorum quas fecerat ipse ruinas,
 Formidare suam discit. Felicia Magni
 Tempora dinumerat; totque inviolata per annos
 Prosperitas, similisque suæ, Pharsalia donec
 Tam longas evertit opes, in mente recursat.

Et Magni casum, postquam fastigia Magni
Attigerat, jam visa levis Fortuna minari.
Hæc moeste reputat Cæsar, mentemque labantem
Corripit, iratus tacite; tandemque cohortes
Alloquitur vultu cæcū celante timorem.

„Bellorum Comites, qui mille pericula, mille
„Vicistis plusquam Herculeæ virtute labores,
„En vobis toties truncata repullulat hydra,
„Ultimus hic labor est; infirma atque ultima colla
„Exerit; hic virtus eadem, quæ prima recidit,
„Et robusta magis, resecet postrema, nec ultra
„Crescere civilis permittat semina belli,
„Quæ post tot clades imbellis Iberia nutrit.
„Sanciet hæc nobis pacem victoria, totus
„Exarmatus erit post hæc certamina Mundus.
„Sed qui sunt, qui bella parant? qui Cæsaris enses
„Et totidem bellis victricia signa lacesunt?
„Destituet plebs ista Ducem non sponte secuta,
„Sed casu. Num Pompeji pugnabit amore
„Quem non novit adhuc? num vanam nominis umbram
„Plusquam Cæsareas vires, quas nuper Ilerda
„Vincentes vidit, populus formidat Iberus?
„At vero si qua est Legio Romana sub armis
„Pompeji, rudibus constat tyronibus, aut his
„Qui vobis victi fugientia terga dederunt,
„Et veterem adducunt secum ad nova castra timorem.
„Quæ toties victus faciet jam prælia Varus?

„Hispanisve geret Labienus transfuga plusquam
 „Aut prius Emathiis, Libycis aut gesserit arvis?
 „Ite, mei comites, belloque imponite finem“.
 Dixerat; at nullo excipiunt clamore cohortes
 Verba Ducis, nec stridentes accendere possunt
 Dejectos animos litui; conceptave cornu
 Classica; nec quanquam ad pugnam de colle propinquo
 Decurrunt Pompejani, procedere campo
 Longius, aut rapido (ut mos est) occurrere cursu
 (Tum primum trepidus) veteranus Cæsaris audet.
 Quod simul ut vidit, magna inflammatus ab ira,
 „Deseritisne Ducem, & faciet nece Cæsaris (inquit)
 „Vos timor emeritos hodie?“ Simul arripit hastam
 Ductor, & adversos solus defertur in hostes.
 Obstupuere illi, quibus hæc miracula, miles
 Cæsareus timidus, temerarius ipse, videntur.
 Vix oculis primo credunt, mox in caput audax
 Undique pila volant, donec, vincente pudore,
 Non virtute metum, cunctis exercitus armis
 Ad Ducis auxilium procurrit, & impia tanta
 Tunc rabie, quanto detrectavere timore,
 Bella gerit, redimat Romano ut sanguine culpam,
 Et dira faciat funesta piacula cæde.
 At primo pugnae gentes utrinque furore
 Diffugiunt, solis peragendaque bella relinquunt
 Ensibus Ausoniis; aliis nec egebat Enyo,
 Pallida nec plures Aleto optabat. In omne

Suffecere nefas hæ dextræ. Hic constitit atrox
Pugna; pares urgent acies, animique, paresque
Irarum stimuli. Magnis hortatibus ambo
Inter spemque metumque Duces discurrere primo
Cœperunt, frustra que suos impellere, donec
Lassati excedunt pugna: collemque propinquum
Ductor uterque capit. Diri hinc discrimina belli,
Totque cruentatos enses, tot stragis acervos
Dum tristes spectant, vix formidare vacabat,
Vix sperare, Duces subiit miseratio sola,
Feralisque timor, ne non victoria mœsto
Ulla, sed ambobus lugenda tragœdia campo
Restaret, Latiusque illic procumberet Orbis.
Ultima Cæsarei restare pericula credunt:
Et Pompejani post hæc sperare recusant
Prælia. Pugnaces animos agit æmula virtus.
Utque magis stupeas, cunctis incognita bellis
In totis subito sunt orsa silentia campis
Dum media fervent rabie; nulloque virorum
Audito clamore, manus movere furentes.
Ad Pompejanas tandem Victoriæ partes
Se trahere est visa, & paulatim cedere retro
Cæsarei cœpere; fuga vix Centuriones
A turpi retinere queunt, cum fortia Cæsar
Pectora denudans stricto sic ense profatur:
„Non tibi jam, Fortuna levis, quæ condere summa
„Exoptas potius quam condita summa tueri,

„Irascor; satis ampla mihi, quæ nulla tacebunt
„Sæcula, fecisti, fateor. Transferre favorem
„Jam te, Diva, decet; mundo ne ignota potestas
„Sit tua, meque Deum deceptus crederet orbis“.
Dixerat; & certa fodisset pectora dextra.

Sed Fortuna (velut prope summa pericula mater
Stare sinit puerum interdum, ut majora timenti
Gratius auxilium veniat) submittit alumno,
Unde minus speratur, opem. Nam castra Bogudes
Extra aciem positus, prædæ perductus amore
Pompejana petit. Contra hunc ad castra tuenda
Ex acie educit Labienus quinque cohortes.
Perdedit infelix Pompejum hic casus, & omne
Mutavit belli fatum. Pro Cæsare falsus
It timor, & cunctis Labienus terga dedisse
Creditur; illa suos debellat opinio, spemque
Cæsareis creat. Errorem monstrare, metumve
Tantum inhibere studet frustra Pompejus; acerbò
Prodita diffugit casu miseranda juvenus.

Infelix Varus toties devictus ab armis
Cæsareis, quem tot per clades fata tulissent,
Jam male servatam cupiens abrumpere vitam
Irruit in medios enses, in vulnera lætus
Mille ruit moriens; post tot certamina cladi
Huic superesse pudet, cumuloque deesse virorum.

At miser ut totis rediens Labienus in arvis
Pompejanorum vidit fugientia signa,

Erroremque simul fatalem audiverat, amens
„Me miserum exclamat! Tantæ, Fortuna, ruinæ
„Me facis auctorem? Per me crudelia fata
„Ausoniam subigunt? Hac hac fuge, prodite miles,
„Hoc aperi pectus, tristemque ulciscere cladem:
„Aut pœnas sument pro vobis Cæsaris enses“.
Tum vero, ut leo Getulis in saltibus ardens,
Qui venatorum telis cingentibus, ultro
Assilit in ferrum, sese ingerit ipse periclis,
Et cupide letum gladio molitur ab-omni.
Tandem vita fugit Stygias irata sub umbras.

Jam stragis cumulos & ineluctabile damnum
Viderat infelix tumulto Pompejus ab alto,
Et quamvis lucem damnat, sperare juvenus
Integra persuadet; nequidquam a tristibus arvis
Aufugit, heu tellure statim moriturus in ista.
Sed fratrem Hispanas abscondent fata per urbes,
Cæsaris ut possit post mortem tristia rursus
Bella, & Romanos olim renovare furores.
Impia jam cædes oritur, passimque per agros
Palantes cædunt insano ardore furentes
Cæsarei, & tanto saturant crudelius iras
Victores, quanto plus tristia bella timebant
Ante tubas dudum. Nec jam fugientibus ullam
Vicinæ latebræ, vel Pompejana salutem
Castra dabant miseris, infirmave mœnia Mundæ.
Nam cito diripiunt victores castra; citaque

Vi Mundam expugnant; dum (quod vix ulla tacebunt
Sæcula, vel credent forsân) pro cespite fossas
Corporibus complent, faciuntque cadavera muros.

Nec solum ante tubas, sed post hæc prælia tristis
Cæsar erat; quanti victoria constitit illa,
Et quam mœsta siet civili gloria bello
Sero animum subiit. Miseræ nunc vulnera Romæ,
Nunc sua, victorisque nefas crudele recenset,
Invidiamque simul; victricem pœne coactus
Fortunam damnare suam; quæ clade triumphum
Obruit, & tanto mersisset sanguine lauros.
Talia dum mœstoolvebat pectore Cæsar,
Pompeji caput abscissum Cenonius affert.
Ingemit, & tantæ lacrymis agnoscit obortis
Fata domûs; subiit magni genitoris imago,
Atque Ægyptiaco miserandum in litore funus.
Quærenti fatum juvenis Cenonius inquit:

„Cum modo Pompejus Mundæ funesta per arva
„Tot stragis cumulos, tot corpora cæsa suorum
„Infelix vidit, nec jam reparabile damnum,
„Vectus equo celeri Cartejæ ad litora fugit,
„Ut portum nactus notum, dare carbasa ventis
„Posset; at insidias veritus, nostrosque sequentes,
„Litora deseruit rursus, silvamque propinquam
„Consilii incertus petiit. Nos terga secuti
„Instamus, silvamque oculis scrutamur opacam;
„Quærentesque diu frustra, sub tegmine fagi

Um-

„Umbrosæ tandem defessum, & vulnere claudum
 „Pompejum aspiciamus solum, (pro tristia sortis
 „Humanæ specula, & pompæ documenta caducæ!)
 „Pompejum illum (inquam) qui tecum, o maxime Cæsar,
 „Tot modo stipatus legionibus, & comitatus
 „Gentibus innumeris, tam longo tempore fatis
 „Pugnavit dubiis, jam cinctum milite nullo
 „Vidimus. Ut tradat se hortamur; at ille minaci
 „Intrepidus vultu, „Nanquam me Cæsar, inquit,
 „Captivum, victum quamvis, Fortuna videbit.
 „Abscissum videat caput, & cervice revulsa
 „Hæredem agnoscat Magni. Nec dedecus illud,
 „Quod fatum genitoris erat, mihi Roma putabit.
 „Non tam vile tamen caput hoc, certamine nullo
 „Ut vobis tradatur, erit. Dum tela supersunt,
 „Non gratis moriar „. Tum pugnam ingressus inquam,
 „In mediosque ruens, sine spe, sine viribus, omnes
 „Nos pariter sola adjutus virtute lacessit.
 „Nec vitam, quam tanto animo projecerat ipse,
 „Servandi nobis conceditur ulla potestas.
 „Invasit ferrum, ceciditque in vulnera lætus,
 „Et tandem invito mortem sibi vindicat hoste.“
 Tum Cæsar lacrymans: „Generosum quærite truncum,
 „Turiferis collecta rogis componite membra
 „Cum capite, & dignam tantis date manibus urnam“.

Digressus Munda Cæsar securus ab omni
 Bellorum strepitu victricia signa per urbes

Ff

Sustulit, Hispanas. Jam Gades, Corduba dives,
Hispalis, atque omnes, quascumque interluit undis
Bætis Anasve suis, victori tradere sese
Non dubitant urbes. Populi, gentesque remotæ
Sub juga jam veniunt: abjectis Cantaber armis,
Callaicusque ferox, & Celta, atque impiger Astur
Exposcunt veniam, pacemque a Cæsare quærunt.
Nil terris olim venerabile nomen Iberis
Jam valuit Magni. Cunctos Fortuna clientes
Transtulerat; solus jam possidet omnia Cæsar.
Nec mirum obtineat terras si solus Iberas,
Qui sine rivali Romanas obtinet arces.



LIBER SEPTIMUS.

ARGUMENTUM.

*Honores Cæsari a Senatu decreti. Bellum in Partbos
parat. Conjuratio in Cæsarem. Prodigia.*

Cæsar in Senatu occiditur.

JAm se post clades tantas, tot vulnera gentis
Ausoniæ, & strages populorum, absumpserat ipsum
Civilis furor, & terris pax alma refulsit.
Defessis iterum rebus, sperare quietem
Cœperunt populi, non tristia bella timebant,
Omnia dum tenuit Cæsar, nec in orbe potestas
Altera, nec fuerit communis Roma duobus.
Hunc supra invidiam Fortuna evexerat; hujus
Regnum amat, ut tutum, populus. Nam quem magis optet
Custodem pacis, quam qui fortissimus armis
Semper erat, nulloque unquam devictus ab hoste?
Plebs libertatem, sola contenta salute,
Romula projecit; nec post tot prælia pacem,
Quamvis cum domino veniat pax ista, recusat.
Nec solum vulgus domino servire paratum
Cæsaris imperium votis amplectitur: illud

Et Procerum pars magna cupit; tranquillaque Patres
 Tempora lassati exoptant; quos (fulgura summos
 Ut feriunt montes) feriunt discrimina sævi
 Præcipue belli, & gaudens feralis Enyo
 Sanguine nobilium semper. Nec nomen inane
 Jam libertatis (dudum ipsa eversa fuisset)
 Sanguine jam retinere student. Vix ipsa videtur
 Libertas tanti. Neque ficto Cæsaris augment
 Obsequio titulos. Sed vero pectore tantos,
 Ne sibi Rege minor videatur Cæsar, honores
 Decernunt, quantos nequeat privatus habere.
 Perpetuum Dictatorem, patriæque Parentem
 Appellant Patres; denos ut Consul in annos
 Designaretur statuunt: altaque Curuli
 Ipse ut supremus Romana Censor in urbe
 Veste triumphali indutus, lauroque sederet
 Perpetua ornatus. Nec non de principe Numen
 Ut fieret victor, donant altaria, Sacra,
 Altaque templa, quibus pulcherrima iuncta Deorum
 Illius astabat statuæ Clementia sacræ.
 Cæsareo faciunt Vestales nomine vota.
 Et quo quæque die victoria contigit illi
 (Civilis quanquam) celebrantur festa per urbem.
 Crederet hoc aliquis, cum sint feralia fastis
 Et Trebia, & Cannæ Romanis nomina; Mundæ,
 Thessaliæ, Thapsique dies jam læta vocentur
 Tempora! Pompeique necem, sanctique Catonis,

Scipiadæque albis designet Roma lapillis!

Nullus restat honor, quem non assumere possit

Jam sibi, victori tanta est concessa potestas.

Quid nunc imperio securam Cæsaris urbem,

Et tandem optata, pro libertate, quiete

Lætantem, possit civilia rursus in arma,

Rursus in horrendas populos impellere clades?

Quid tantas victoris opes, stabilitaque regna

Eruere? an non tam facile est suprema tueri

Quam dare Dīs Superis? an non mortalibus ulla

Firma datur, nullisque malis violanda potestas?

Nullane livorem poterit transcendere virtus?

Nec tantum meriti spatium est, quod non capit ulla

Invidiæ rabies. Oh summis lubrica semper

Et minitans statio! Non te tua plurima virtus

Securum, Cæsar, præstat, non robur in armis,

Non bonitas, tantasque æquans clementia vires.

Supplicibus frustra veniam, victisque salutem,

Exulibusque urbem permittis: Romula frustra

Imperia exornare studes, dum legibus orbem

Emendas prudens, aut oppida diruta condis

Magnificus. Tantis jamdudum extincta ruinis

Per te stat Carthago, novisque impleta colonis

Exurgit, nuribus non jam metuenda Latinis.

Tu quoque restauras, Latiisque habitanda Corinthi

Mœnia das Bimaris; nec famam auctoribus ullam

Detrahis antiquis; sed adhuc retinere vetusta

Nomina permittis totum vulgata per orbem.

Non tamen hæc fatum avertunt, nec regna tueri

Usurpata diu possunt. Non mentibus ulla

Conciliare jugum generosis munera possunt;

Nec libertatem clementia pensat adeptam.

Invidiæ stimulos ergo ut lenire furentis,

Et capite insidias, quas maturare quietem

Non nescit, Cæsar factis avertere possit,

Nec non externo maculas abstergere bello

Civiles; cum jam Crassi vindicta perisset

Debita jamdudum Latio; jussu ille Senatûs

(Ne Patrum imminui videatur sacra potestas)

Decretoque togæ, mandari Parthica bella

Suppliciter petiit, felix ut more retento

Romulei antiquo populi, legionibus iret

Tessera. Sicque alacri compellat voce Senatum:

„Si mihi, conscripti Patres, quæsita potestas

„Esset, ut immani sævaque tyrannide solus

„Regnarem; ut quodcumque jubet furor impius, aut mens

„Ægra metu, aut suadet luxus, vel præva libido

„Exequerer: tanto non tempore dissimulata

„Consilia, & furia latuissent pectoris hujus;

„Jamdudum gladios sensisset Roma nefandos.

„Sed non nos vitis famulantia gessimus arma,

„Nec factura urbi, sed detractura tyrannos.

„Libertatis erit custos victoria nostra,

„Et legum. Nec, si non hæc perspecta fuissent

„Numinibus, nostræ favissent Numina causæ.
„Cur gravis aut metuenda, Patres, sit nostra potestas,
„Quæ vitam tot devictis dedit hostibus, & tot
„Exulibus reditum? Quis jussu Cæsaris unquam
„Dum siluere tubæ, jugulatus concidit hostis?
„Scipiadæ chartas post Thapsi bella cremavi
„Non lectas, ne quos victor deprendere possem,
„Et punire hostes. Potius quam cæde tueri
„Nobilium hanc vitam, nescire pericula nostra
„Elegi. Nec non invitus (Numina testor)
„Civilem sumpsi gladium, dum præmia justa
„Bellorum bello conquirere, proque triumphis,
„Quos tot trans Alpes annos, Pontumque Britannum,
„Et Rhenum merui vincendo, vincere cogor
„Rursus; & invidiam his armis, quibus ante feroces
„Edomui Britonas, Suevos, Gallosque, domare.
„His isdem forsân, vobis mandantibus, armis
„(Si non in patriam paucorum injuriâ bellum
„Vertisset) Latiis Babylon spoliata tropæis
„Jamdudum nostros lenisset clade dolores,
„Ultimaque Ausonias tremuissent Bactra secures.
„Hæc jam bella mihi Numen peragenda reliquit.
„Ad Parthos, Patres, si vos decernitis, ibo;
„Et simul ac tauri de cornibus aureus exit
„Phœbus, ad Eoas victricia signa pharetras
„Convertam. Ausonias Aquilas, amissaque signa
„Aut referam, aut moriar; dignis aut cladibus ultus

„Tunc erit, aut cæso comitatus Cæsare Crassus“.
 Assensere Patres: placuit tam nobile bellum,
 Et tantus Ductor. Cui Parthica bella Senatus
 Nequidquam mandat. Cœptis ingentibus obstant
 Fata, nec Ausoniæ decus hoc, nec Cæsaris armis
 Concedunt. Iterum redeunt civilia bella,
 Et populi abruptis tristis Fortuna quietem.
 Sola quies jam Cæsar erat. Cum Cæsare rursus
 Pax Romana perit. Cujus mors dira pianda est
 Cladibus innumeris, laceroque cruentior orbi
 Quam tot viventis feralia bella fuissent.

Fata Ducis mortem accelerant; pars magna Senatûs
 Conjurat trepidi; nec qui de parte stetissent
 Adversa solum, & noti jam Cæsaris hostes
 Spurius, & Naso, Rubrius, Servilius audax,
 Donatusque semel venia Ligarius, atque
 Cæcilius: sed qui vulgo creduntur amici
 Illius adjungunt sese; Trebonius inter
 Hos fuit, & Casca, & Cimber; nec Cassius acer
 Defuit insidiis, qui libertatis ademptæ.
 (Quamvis Urbana Prætura a Cæsare nuper
 Donatus) vindex nunquam non esse volebat.
 Jungitur his Decimus notissimus inter amicos
 Cæsaris, ingratus, cui trans-Alpina fuisset
 Gallia Cæsareo nuper commissa favore.
 Non illum conjuncta fides, non nomen amici
 Detertere potest. Nec adhuc sat firma videtur

Conjurata manus, quamvis pars tanta Senatûs
Totque simul Proceres sanxissent fœdera dira:
Te quoque, flos juvenum Latiorum, & nobile nomen,
Brute, petunt cœpti socium, cædisque nefandæ
Participem; ut tantæ pietatem obtendere culpæ,
Et dare jus sceleri posset venerabile Bruti
Nomen apud populos. Hic libertatis ademptæ
Et patriæ vindex natalibus esse videtur
A Superis designatus: tua, maxime Brute,
Progenies, primus qui nomine Consulis annos
Signavit Latios, pulsus ex urbe tyrannis.
Urbis erat Prætor Brutus: cui Cassius ardis
Junctus amicitii (ut eodem junctus honore)
Et tunc immensis cupiebat jungier ausis.
Hunc quoque, cum notas intravit Cassius ædes,
Invenit mœstum, & tacite surgentia regna
Damnantem. Tales versat dum pectore curas,
Cassius aggreditur. „Non vanis, Brute, querelis
„Tempus eget. Sat jam votis, tacitoque dolori
„Concessum est, sat consiliis: nunc vindice dextra
„Utendum. Ultorem sperat te Roma, tuamque
„Libertas oppressa manum jam, Brute, requirit.
„Hoc a te expectat populus, taciteque precatur.
„Hæc sellis statuisque tuis inscripta legebas
„Auctore ignoto. Non a te munera vana
„Venatus ludosque petunt, aut talia: sola
„Reddita libertas Bruto Prætore videtur

„Dignum munus eis. Forsan dum regna relinquat
„Cæsar, & imperium, quod per tot bella petebat,
„Deponat sponte expectas? Non sufficit illi
„Dictatoris honor, quia libera novit honorem
„Roma illum. Quodcumque potest donare Senatus
„Posse negare putat; nec jam suprema potestas
„Victori satis est, nisi sit quoque sola potestas:
„Vera ideo imperii quærens insignia, sceptrum
„Et diadema petit. Probat hoc (quod vidimus omnes)
„Sacra Tribunorum, dum detraxere coronam
„Cæsareæ nuper statuæ, violata potestas.
„An coram populo (quamvis tum respuit) illi
„Obtulit invito diadema Antonius audax?
„An non ut populum tentaret, ut ambitiosis
„Artibus hoc sciret, quo vultu regna, priusquam
„Se Regem faceret, pateretur Romula pubes?
„Maſtetur Dominus: libertatemque (paratæ
„Servitio quamvis) reddat mors Cæsaris urbi.
„Et festinanda est; si paulum, Brute, moramur
„Dum redeat læto post Parthica bella triumpho,
„Majore invidia cædes peragenda manebit.“
Ingemuit Brutus, tristisque has pectore voces
Edidit: „Oh Cassi, frustra quod Numina nobis
„Imposuere jugum, jam detrectamus acerbum.
„An libertatem Superi, causamque Senatûs
„Tot damnaverunt bellis, tot cladibus, ut jam
„Insidiis possint, & proditione tueri?

„ Ah potius bellø pereat, quo crevit, aperto
„ Libertas populi Latii, quam cæde dolosa,
„ Fraudibus, & gladio occulto videatur egere.
„ Talibus insidiis hostes, civesque nefandos
„ Vincere Romani duxere ignobile prisci.
„ Incertæ potius patriam permittere belli
„ Fortunæ voluit, quam sic te tollere, Pyrrhæ,
„ Fabritius. Nec non, quamvis Sertorius audax
„ Hostis erat patriæ, turpis Perpenna vocatur
„ Proditor a cunctis. Quis tanto sanguine Syllam
„ Carnificem imbutum positurum regna putavit?
„ Quis tamen occultis tantum maculare tyrannum
„ Insidiis conatus erat? Quis Cæsaris audet
„ Præferre imperio crudelia tempora Syllæ,
„ Ni furias præferre Deis audebit? Ut illi
„ Degeneres nimium Proceres, pavidique vocantur
„ Qui tantum subiere jugum: sic Cæsaris ista
„ Virtuti & meritis ingrata vocabitur ætas;
„ Plusque senes illi damnabunt crimina nostra
„ Tempora qui sævi meminere immania Syllæ.
„ Sed me præcipue miserum qua cuncta notabit
„ Posteritas fama, quem tanto Cæsar amore,
„ Totque sibi meritis semper devinxit? Iniqua
„ Est mea sors; liber nequeo gratusque manere.
„ Oh utinam tunc, cum plebeja casside teſus
„ Cæsaris intentus jugulo per tela ruebam,
„ Thessalica Brutus cecidisset strage, priusquam

„Donasset vita victor; tunc libera ad umbras
„Venissem Stygias; vel si pia Numina dextram
„Hanc bene rexissent, una feliciter ictu
„(Ni sibi Pompejus regnum quoque victor in illo
„Quæsisset campo) libertas parta fuisset.
„Expecta, o Cassi, quid tandem Numina nobis,
„Quidve hostes facient Parthi.“ Qui talia contra
Cassius: „Exoptes Parthis si, Brute, triumphum
„De Latio, patriæ es factus, non Cæsaris hostis:
„Quod procul avertant Superi. Rationibus erras,
„Brute, tuis: ingrata vocas quæ justa vocabit
„Posteritas: & dum vis non ingratus haberi,
„Impius es. Nec, quæ patriæ sunt debita, donis
„Privati debere potes. Corrupta vocatur
„Hæc non justa fides. Quo plus te dona ligarunt
„Illius, hoc magis es patriæ justusque piusque.
„Heu quantam, tibi si non esset Cæsar amicus,
„Detraheret famam facto Fortuna merenti!
„Cum plus privatis affectibus indulgere
„Quam patriæ servire tuæ te crederet Orbis.
„Si tamen exemplis opus est, illum aspice priscum
„Brutorum generis, libertatisque parentem,
„Romanos primus qui nomine Consulis annos
„Signavit. Proprios natos dum regna favebant,
„Supplicio affectos spectavit fronte serena.
„Exiit ille patrem Brutus, dum civis haberi
„Vult pius. An tibi plus sunt munera Cæsaris, illi

„Quam Natura fuit? sed justior ultio nostra
„Tempore jam facta est. Pro libertate vetusta
„Tot confirmata magnæ per sæcula Romæ
„Quid nunc egisset Brutus, quæ talia fecit,
„Cum nova libertas, & Reges nuper abacti?“

Hac postquam juvenem flexisset Cassius arte,
Cum Decimo Proceres reliqui venire, dataque
Acceptaque fidē sanxerunt fœdera dira;
Et libertatem amissam, quam sanguine tanto
Tot bellis frustra quæsisserunt, quæque Deorum
Decretis nunquam reditura reliquerat orbem,
Cæsaris infanda decepti cæde requirunt.

Jam propinquabant Martis tibi, maxime Cæsar,
Fatales Idus; nec tanta instantia possunt
Funera Dī celare; dies nec Vatis illa
Anguribusque venire potest ignota; loquuntur
Hoc solitæ volucres, hoc exta minacia fatum.
Has Idus frustra monuit Spurinna timendas,
Sol quoque mœsta dedit tantæ præsentia mortis;
Lugenti similem, madida nunc Iride cinctum,
Nunc caput obscura tectum ferrugine Solem
Attoniti videre homines; pecudesque locutæ.
Destituere amnes cursum; terræque cavernas
Spiritus erumpens detexerat. Imbre tumescens
Eridanus subito vicinos merserat agros:
Et subito ad ripas rediens per prata reliquit
Innumeros angues, & prodigiosa nigrorum

Corpora serpentum: totidem prope Tibridis ora
 Destitit pisces refluxum mare litore sicco.
 Cæsaream propiora necem sed signa notabant.
 Nam quos victor equos finito Marte sacrarat
 Cæsar, & emeritos bellis permiserat alto
 Depasci nemore, & per dulcia rura vagari,
 Ante necem Domini multis luxere diebus.
 Non illis amnes, non illis pascua curæ;
 Sed lacrymis prata humectant. Cædemque cruentam
 Præcedente die, cum lauri regia ramum
 Ore avis exiguum volitans gestaverat, illam
 E sylvis volucrum crudelis turba secuta est,
 Et Pompejana captam laceravit in aula.

Horrida prodigiis aderat nox ultima vitæ
 Cæsareæ; diris turbata Palatia monstris
 Excitant somnum cunctis, & flebile totis
 Ædibus auditur murmur. Patuere reclusæ
 Sponte fores; raurum dederant crepitantia Martis
 Arma sonum; moestisque canes ululatibus implent
 Atria; ferales effundit sæpe querelas
 Stryx nocturna suas, infausta que carmina bubo.
 Morpheus intravit media jam nocte cubile
 Quo Tyrio formosa cubans Calphurnia lecto
 Carpebat magno teneros cum conjuge somnos.
 In faciem occisi vertens se Cæsaris astat
 Ante torum miseræ, lacerata veste cruentus;
 Vulnere mille patent, qualem te crastina, Cæsar,

Lux populo ostendet. Diris exterrita visis
Ingemuit, & lacrymans Calphurnia brachia somno
Per lectum prensura virum movet; invenit illum
Incolumem; sed vix (nam jam turbata soporem
Excussit) putat incolumem; vix sensibus ipsa
Credidit, attonitæ tam somnia fixa manebant.
Oscula dat mœstæ Cæsar, causamque doloris
Querenti, visum narrat Calphurnia triste.
Quod dum narrat, adhuc trepidat, lacrymasque recentes
Effundit; pectusque ulnis amplexa virile
Sidereis, orat ne vana hæc somnia credat,
Neve ostenta Deum contemnat; Martis ut Idus;
Quæ male tunc aderant, & quid Spurinna moneret,
Quidque alii vates, reputet; nec jam sua tantis
Præmonitus signis nescire pericula vellet;
Utque manere domi placeat; lucemque sequentem
Hanc unam, si non propriæ donare saluti,
Conjugis at saltem vellet donare timori.
Hispanas iterum, dum tanta pericula restant,
Dimissas nuper monuit revocare cohortes,
Et stipatores fidos. Non esse pavoris
Sed pietatis opus Divorum ostenta timere.
Cui Cæsar contra: „Plus me, Calphurnia, luctus
„Et lacrymæ movere tuæ, quam tristia Vatum
„Responsa, infaustæ volucres, aut ulla dierum
„Vana superstitio poterant. Ostenta timere
„Si nunc inciperem, quæ non mihi tempora posthac

- „Anxia transirent? quæ lux jucunda maneret?
„Aut quæ libertas? frustra servire timori
„(Dum nec luce frui, nec mortem arcere licebit)
„Cogar, & huic capiti, quod Roma veretur, Aruspex
„Jus dabit, & vanus semper dominabitur Augur.
„Si mortem mihi Roma paret, dubiæne Saluti
„Proderit una dies? aut cur differre laborem
„Quam nequeo vitare, necem? semperne timere
„Exoptem potius quam certa occumbere morte?
„Cur tamen insidias timeam? cur Roma salutem
„Non potius nostram exoptet? partaque quiete
„Cæsaris imperio post tot civilia bella,
„Post rabiem tantam lassatus gaudeat Orbis?
„Pax mundi mea Sola Salus: nece Cæsaris enses
„Stringentur rursus, rursus lacerabitur Orbis,
„Mœstaque Romano tingetur sanguine tellus.
„Sed si non homini satis esset cura diei,
„Ni nocturna alias facerent insomnia curas,
„Dic mihi, nam Morpheus nobis contraria misit
„Somnia, quis potius credes? hac nocte volasse
„Ad cælum, dextramque Jovis tetigisse, serena
„Et majestate indutus sedisse videbar.
„Quid nisi fausta, & magna mihi hæc (si credere vellem
„Talibus omnino) portendere somnia possunt?“

Jam jubar Auroræ pallentia vicerat astra.
Prosiluit stratis Cæsar, mœstæque reliquit
Conjugis amplexus; magnæque capacia turbæ,

Et tantos pariter mox exceptura clientes
Magnifico splendent excelsa Palatia cultu.
Festini Proceres, magnique ad limina Patres
Luce salutatum prima venire, domumque
Admissi implerunt. Animus non omnibus unus.
Cæsareo quidam vere lætantur honore:
Pars alia Invidiæ stimulis agitata nefandis
Quem mactare parant, falso venerantur honore,
Et funesta animis, linguis dum fausta precantur.
Ante alios Decimus, cui fallere nomen amici
Præcipue dederat, Ductorem, sæpe morantem
Incitat: & spretis hortatur adire Senatum
Prodigiis. Tandem patrum famulante caterva
Progreditur Cæsar, quamvis ostendere cædem
Venturam Superi non cessavere minaces.
Progreditur tamen, atque (oh mira potentia fati!)
Dum transit, chartam oblatam, quæ nomina tanta
Conjuratorum, facinusque ex ordine totum
Detegit, ante sinu, quam sit perlecta, recondit,
Funestamque intrat fatis urgentibus ædem.
Cæsaris intenti jugulo stant undique Patres
Et conjurati Proceres; altamque Curulem
Circumdant. Primo aspectu cecidere parumper
Audaces animi, & fortes tremuere lacerti.
Jam pæne inceptum damnant. Armare videtur
Ingens fama Ducem, majestas laurea frontis,
Terribilis decor, & gestarum gloria rerum.

G g

Nunc fortuna viri nimium comperta, favorque
Perpetuus Superùm terrent. Nec quantus in armis
Cæsar, ut audaci stipatus milite turmas
Fuderat hostiles toties, totiesque per omnes
Terrarum tractus victricia signa tulisset,
Mentibus occursat: sed quanta pericula solus
Vicit, Fortuna tantum comitante Deisque,
Qualiter Ægypti insidias, Pontique procellas
Nocturnas, sævosque intra sua castra tumultus
Militis irati evasit. Cur jam caput istud
Numina destituant? versant dum talia, rursus
Pectoribus vindicta redit, pellitque timorem
Libertatis amor nimius. Primusque Curulem
Tullius accedens tanquam pro fratre rogatum,
Purpureum ex humeris subito divellit amictum.
Mirantique Duci primum prope guttura vulnus
Dat Casca. Haud impune quidem; nam brachia Cascæ
Transfigit Cæsar primumque ulciscitur ictum.
Prosilienis alio tardatur vulnere, donec
Circumstare videt strictis pugionibus omnes.
Sentit se Cæsar funesta indagine cingi.
Et qui ferratas acies, densasque catervas
Rupisset toties campo, tutamque per hostes
Fecerat ense viam, nulla virtute togatas
Insidias vitare potest. Obvolvitur amictu
Tum caput, & vultum, dum martia pectora præbet,
Tot manibus fodienda; tegit, reprimitque querelas

Ne tantam possit gemitu corrumpere famam,
 Interea tacito secum hæc in pectore volvens:
 „Hoc saltem, Fortuna, placet, quod nulla superbo
 „Victori capitis nostri est concessa potestas,
 „Nec Domini jussu pereo. Mactatus iniquis
 „Insidiis, quas Roma mihi subjecta paravit,
 „Occumbo Princeps Orbis, numerumque Deorum
 „Aucturus posthac.“ Tandem per vulnera mille
 Spiritus erumpit: sævis qui semper in armis
 Inviolatus erat, violatæ victima pacis
 Hic cadit: atque togæ, quas bello læserat, ædes
 Ipse suo moriens perfundit sanguine Cæsar.

F I N I S.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 322. lin. 12. gesisse in ~~ling~~gesisse



CATALOGUS

PRÆSTANTIORUM EDITIONUM

M. ANNÆI LUCANI.

1469. Romæ curante Jo. Andrea Episcopo Alerien-
si. fol.
1475. Venetiis cum Omniboni Leonicensi comm. fol.
1477. ---- per Guerinum. fol.
1483. Parmæ. fol.
1486. Venetiis. fol.
- Brixia per Jo. Britannicum.
1491. Mediolani cum Jo. Britannici comment.
1493. Venetiis cum Sulpicii. & Omniboni comm. fol.
1498. ---- fol.
- 1502 & 15. edd. Aldina.
- 1505 & 11. Venetiis. fol.
- 1506 & 14. Parisiis. fol.
1508. Mediolani ex recognit. G. Vercellani.
1512. Parisiis cum adnotat. Petr. de Ponte. 8.
1514. Basileæ. fol.
1525. Argentorati ex recens. Hyacinthi.
- Lipsiæ sine anni nota.
- 1534 & 51. Lugduni apud Grypbium. 8.
1537. Venetiis apud Jac. Juntam. 8.

1537. *Coloniæ apud Jo. Gymnicum*. 8.
 ----- *Parisiis apud Simonem Colineum*.
 1545. ---. --- *apud Robert. Stephanum*. 8.
 1547. *Lugduni apud Gryphium min. formâ*.
 1550. *Basileæ apud H. Petri cum Sulpicii & Gla-*
reani notis.
 1554. *Parisiis apud R. Stephanum*. 8.
 1564 & 77. *Antuerpiæ apud Plantin. ex Pulman-*
ni recens.
 1578. *Basileæ apud H. Petri cum comment. Horten-*
sii & Sulpicii.
 1584 & 89. *Lipsiæ cum Bersmanni scholiis*. 8.
 1612. *ex officina Raphelengii cum notis Hug. Grotii*.
 1614. *Antuerpiæ cum Pulmanni var. lect. & notis*
Grotii. 8.
 1626. *Lugduni Batav. cum notis Thom. Farnabii*. 8.
 1651. *Amstelodami apud Elzevir. cum notis Grotii*.
 1658 & 69. *Amstelodami a Cornelio Schrevelio*.
 1658 & 69. *Lugduni Batav. C. Schrevelii*.
 1726. *Lipsiæ Gottl. Cortii*. 8.
 1728. *Lugduni Batav. cura Fr. Oudendorpii*. 4.
 1740. *Lugduni Batav. P. Burmanni*. 4.
 1767. *Parisiis Typis Barbou*. 12.



NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

A Vendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Gio. Tommaso Mascheroni* Inquisitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato *Collectio Aulorum Classicorum &c. stampato*, non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni Costumi, concediamo Licenza a *Nicolò Bettinelli* Stampator di *Venezia*, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 5. Settembre 1781.

(*ANDREA QUERINI* Rif.

(*ALVISE VALLARESSO* Rif.

(*GIROLAMO ASCANIO GIUSTINIAN K^r* Rif.

Registrato in Libro a Carte 19. al Num. 186.

Davidde Marchesini Seg.

Addi 24. Settembre 1782.

Registrato in Libro de' Privilegj dell' Università de' Librari e Stampatori.

Marc' Antonio Manfrè.

I N
MARCI ANNÆI LUCANI
P H A R S A L I A M
N O T Æ.

EDITORES.

LUCANO, qui Notis destitutus in lucem prodiit, nonnullas modo subnectendas esse censuimus, quæ opportuna magis essent, & necessaria. Ex probatissimis Commentatoribus excerptimus partim; partim, ut nitidiores fierent, immutavimus; quasdam etiam omnino nostras adjecimus. Has tibi sistimus, Amice Lector; cujus judicio si minus arriserint, solita saltem erga nos humanitati occasionem dabunt.



I N
MARCI ANNÆI LUCANI
PHARSALIAM
N O T Æ.

IN LIBRUM PRIMUM.

Pag. 12 *Cognatasque acies*. Hinc inde, socerum & generum; parentes, liberos; fratres, cognatos, &c. *Rupto fœdere*. Quo convenerat, ut Pompejus Hispanias & Italiam, Cæsar Gallias, Crassus Asiam obtineret. Quod fœdus dissiluit morte Crassi apud Parthos, & Juliæ Cæsaris filiæ.

In commune nefas. Canimus certatum fuisse non sine nefario utriusque partis scelere, in oppressionem libertatis, communis salutis, adeoque Reipublicæ interitum.

Erraret. Ex Platoniorum mysteriis, ut umbræ insepul- torum circa Stygiam paludem errare credantur centum annos, quibus viciorum sordes eluantur, ut aliquando Elysii felicitate fruuntur.

Nullos habitura &c. Bello civili vincentibus nullus decernebatur triumphus.

Seres . . . Araxes. Scythiæ populos, & accolæ Araxis - Armeniæ fluvii significat.

Pag. 13 *Quod si non aliam* &c. Assentatio, quam vix excu- saverit Ironia.

Ultima funesta &c. Ad Mundam, Hispaniæ urbem, Pom- peji liberi devicti sunt, Cn. cæsus, Sextus fuga elapsus: Pompejanorum cæsa 30 m. Cæsar, ut victos obsideret, e congestis cadaveribus aggerem struxit.

His, Cæsar &c. Avertit orationem ad Cæsarem Neronem. *Perusina fames*. Perusiam Thusciæ urbem, quo L. Anto- nius confugerat, Augustus per famem in deditionem com-

pulit. *Mutinaque labores* &c. Antonius D. Brutum in Mutina urbe Cisalpinæ Galliæ obsedit; in quo obsidione levando uterque Consul Hircius & Pansa cæsus est: quem tamen Augustus obsidione liberavit.

Leucas &c. Insula in sinu Ambracio, item Promontorium Epiri, inter quod & Adriæum Octavius Antonium & Cleopatram navali certamine vicit. *Servilia bella*. Navale bellum intelligit in Siculo mari, ad quod Sex. Pompejus concitaverat armaveratque ergastula contra Augustum, a quo Sextus victus in Asiam profugit.

Seu sceptræ &c. Seu Jovis, seu Phœbi munus locumque velis &c.

Nihil mutato &c. Non metuentem incendium mutato auriga, ut quondam Phaetonte.

Pag. 14 *Belligeri* &c. Jani belli pacisque indicis, ex instituto Numæ, templum apertum significabat urbem in armis esse; clausum, erat pacis signum: quod contigit sub Numa, iterum post primum Punicum bellum, & sub Augusto ter.

Cyrrbaa &c. Cyrrha, oppidum Phocidis non procul a Delphis, ubi Apollinis Delphici celebre oraculum.

Nec se Roma ferens. Romanum Imperium ad summum pervenerat; ideoque magna ruina casurum erat.

Pag. 15 *Obliquum* . . . orbem. Zodiacum intelligit.

Invidiam Fortuna suam. Hoc est, Fortuna nulli exterarum Gentium permisit, evertere statum Imperii Romani. Sed fœdus tridum Principum causa fuit exitii Rom.

In turbam missi. In plures Principes divisi.

Orbemque tenere in medium? Tenere Orbem dubium cujus imperio parere debeat.

Dum terra &c. Dum aquas terra inferior sublevabit, & ær quasi orbis περιέριμα continebit, & undique coercebit terram quasi centrum, pondere libratam suo &c.

Qualiter &c. Non secus atque Isthmos Achaicus, idest, angusta terra inter duo maria, obstat quominus confundantur, & commisceant se Jonium ab Occidente & Ægæum ab Oriente.

Pag. 16 *Impatiensque loci* &c. In transgressu oppiduli cujusdam in Alpibus Cæsar dixisse fertur: *Mallet hic primus esse, quam Roma secundus*.

Pag. 17 *Famaque* &c. Ex largitionibus & ludis captans populi favorem, & plausu theatri gaudens, quod ipse erexerat; nec amplius curans novas vires colligere, sed fortunæ prioris beneficio se jam in tuto positum existimans.

Pag. 18 *Quo gens &c.* Aurum, luxus, omniumque vitiorum materia.

Pag. 19 *Seſſorſque &c.* Venditor suorum ſuffragiorum populus, quum pecunia corruptus ſuos Magiſtratus venderet / Seſſores item appellantur, qui lucelli vilis ſpem ſequuti, bona damnatorum in auſtionibus coemebant, revendebantque eadem pluriſ.

Rubiconis ad undas. Fluvii, qui Italiam a Gallia interiore diſterminat. Ad Rubiconem erecta ſtabat columna marmorea, in qua inſculptum erat hoc Senatuſconſultum: *Imperator, miles, tirove armate, quiquis es, hic ſiſtito, vexillum ſinito, arma deponito, nec citra hunc amnem Rubiconem ſigna, arma, exercitumve traducito. Si quis ergo adverſus præcepta ierit feceritve, adjudicatur eſto boſtis Pop. Rom. ac ſi contra patriam arma tulerit, &c.*

Rapti ſecreta Quirini. Sacra myſteria Romuli in cælum translati.

Pag. 20 *Securus vulneris.* Negligens vulnus per ipſam haſtam ruit in venatorem.

Pag. 21 *Balearis verberare fundæ.* Lapide miſſo e funda Balearica. Baleares inſulæ duæ ſunt in mari Mediterraneo, hodie *Majorca & Minorca*; quarum incolæ erant funditores peritiſſimi.

Pag. 22 *Errantesque domus.* Scytharum, vel etiam Numidarum, *Quorum plauſtra vagæ rite trahat domos.*

Senonum motus. Hi ulturi injuriam Fabii legati, qui contra juſ Gentium Gallorum ducem haſta trajecerat, exercitum a Cluſio movent ad Urbem. Romanos occurrentes ad Aliam fluvium proſtigant, Romam contendunt, quam diripiunt, diruunt, incendunt, Capitolium 7 menses obſident. Tandem Camilli interventu Roma liberata eſt A. U. C. CCCLXV. *Cimbrumque &c.* Cimbri e Germaniæ Chersonæ, & Teutones poſt multos Rom. Coſſ. & Procoſſ. cum exercitibus fuſos, a Mario victi tandem caſique ſunt A. U. C. DCLII.

Martem &c. Secundum bellum Punicum: quamvis non hac iter erat Hannibali, Haſdrubali forte.

Ecce facies belli &c. Q. Caſſius & M. Antonius tr. pl. a Marcello & Lentulo Coſſ. Senatu excedere juſſi, quod pro Cæſare intercederent, urbe egreſſi, noctu, conducto curru, ſerviliſque veſte amiſſi ad Cæſarem profugerunt, & cum iis Curio.

Pag. 23 *Maniplos.* Militum contubernia, ordines, centurias

legionis decimæternæ; hanc enim evocaverat, reliquæ nondum convenerant.

Bellorum o socii &c. Oratio generis Deliberativi, hortatoria, continens conquestionem de injuriis suis, iniquitate adversariorum, a quibus re bene gesta tam indigne excipiantur; insectationem Pompeji; confirmationem militum a felici successus spe.

Pag. 24 *Subito*. Evocato & tumultuarie conscripto. *Partesque in bella rogata*. Senatus paci, quam militiæ aptior.

Extremi. Inter remotissimas nationes; namque Pompejo favebant Reges Orientis; vel infima de plebe homines intellige.

Illo reges &c. Illine permissum triumphare ante annum triumphi legitimum ætatis tricesimum? Triumpharat autem de Jarba Numidarum rege Pompejus annum 24 agens.

Suppressa per orbem. Ne quid aliunde frumenti adferretur, quo urbs fame laborans Pompejo præfecturam annonæ delegaret.

Pag. 25 *Doccat descendere Sulla*. Qui annos 60 natus se Dictatura abdicavit, & privatus Puteolis egit.

Cilicasne vagos. Piratas a Pompejo devictos. *Lassi Pontica* &c. Mithridates Rex Ponti bellum gessit cum Romanis per annos 40, & a Pompejo tandem victus est. In turri a Pharnace filio obsessus frustra sumpto veneno mortem sibi ferro conscivit.

Non cum duce. Accipiat miles præmia vel alio Imperatore. Cui convenit, quod sequitur, *sub quolibet*.

Pag. 26 *Summi tum* &c. Quum in legione essent præter velites & pilanos tria militum genera, *hastati*, *principes*, *triarii*; & singuli in decem partes dividerentur, quibus partibus præficerentur Centuriones; primæ quidem cohortis, seu ordinis Triariorum, Centurio appellabatur *Primipilus*.

Emeritique gerens &c. Gerens quernam coronam donatam in testimonium servati civis, hostisque in prælio cæsi.

Si licet, exclamat &c. Hortatoria Oratio est Lælii ad Cæsarem, ut eo pergat, quo ire constituerit. Reprehendit verecunde, quod non suo jure militum opera utatur. Commemorat sua præclara facinora, & virtutem militum pro Imperatore suo navatam: præmittit insuper suam operam, & ultro sacramento se obligat ad obeunda jussa Imperatoris, etiam impia, si sit opus.

Oceani &c. Quum Britanniam aggressus est.

Per signa &c. Victoria omnibus in locis, quibus jam per

decem annos castra metatus es; quia quotannis in statis castris hybernabant.

Pag. 27 *Moneta*. Ignis e castris nostris incendet statuum Junonis dictæ *Moneta*.

Metator. Sunt in re militari *metatores*, qui præcedentes locum castris eligunt.

Lemano. Allobrogum lacu, Genevam & Lausannam urbes alluente.

Vogesi. Montis Lotharingæ, ex quo Mosa fluit, apud Lingonas, Celtarum populos.

Fama &c. Nam Rhodano mixtus amittit suum nomen.

Rutbeni. Narbonensis Galliæ populi, flavi crinibus.

Atax. Fluvius ex Pyrenæo ortus. *Non ferre* &c. Non navigari a militibus Romanis.

Varus. Alpinus fluvius Italiam a Narbonensi Gallia determinans.

Quaque &c. In ora Liguriæ arx est, & portus Herculis *Monæci*, quod pulsus hostibus ibi habitavit; vel quod nullus ibi cum eo coleretur: ὡς μόνος οἰκῶν.

Pag. 28 *Circius*. Sic dictus, quod omnia turbet & circumvertat, quominus portus naves in statione adversus Circium tueatur.

Quaque &c. Evocavit cohortes e Belgarum oris, quas fluxus ac refluxus maris faciunt, ut nunc maria sint, nunc terræ.

Quos agit &c. Hoc est, o Philosophi, qui naturam mundi studio & labore investigatis.

Menetis. Metropolis & caput Arvernorum in Aquitania.

Aturi. Fl. Tarbellorum in eadem Aquitania.

Santonis. Santoni Aquitanicæ Galliæ populi.

Biturix. Ejusdem Galliæ Aquitanicæ urbs. *Longisque* &c. Hastis pugnaces, vel longo bello subacti.

Optimus &c. Galliæ Belgicæ populi jaculandi peritissimi.

Sequana. Hujus nempe fluminis accolæ.

Covini. Covinus, vehiculum falcatum est, cujus multus usus fuit apud Gallos & Britannos in prælio.

Nervius &c. Apud ferocissimum hunc populum Tetutius Sabinus & Arunculus Cotta cum quinque cohortibus in hybernis cæsi sunt fraude Ambiorigis; & apud Carnutes C. Fusius Cotta rei frumentariæ præfectus.

Pag. 29 *Gebennas*. Montes, qui Arvernos ab Helviis discludunt, nivales.

Immunes. Amotis Romanorum prædiis.

Genabos &c. Oppidum istud ad Ligerim situm Cæsare's turmis haud amplius premitur.

Tonie Ligur &c. Gallia olim omnis fuit Comata. Ligures in Cisalpina primum capillos posuerunt.

Teutates . . . Hesus. Teutatis nomine Mercurius, Hesi vero Mars appellabatur a Gallis, quibus diis humanas hostias sacrificabant, ut etiam Tanari, nempe Jovi.

Ara Diana. Diana templum habuit in Taurica Chersoneso, ubi humana advenarum victima ei sacrificabatur. V. Ovid. 4 Trist. El. 4.

Bardi. Apud Gallos *Bardi* dicti sunt, qui poeticæ studiosi erant. Est autem appellatio non gentis aut loci, sed sectæ sive ordinis.

Et vos &c. Post Cæsaris abitum restituistis diæ immunitatis religionem, & Sacra plusquam Scythica, humanis hostiis armæ admotis, & a tergo cæsis.

Solis nosse deos. Propter paradoxa & diversas a cæteris Sapientibus opiniones de Deo, anima, mundo &c.

Pag. 30 *Mors media est*. Idest, media morte pervenitur ad æternam illam vitam.

Ignavum &c. Quia turpe existimant mortem effugere.

Orbem apertum. Orbem nempe Germanicum intelligit; constat enim, Germaniam a Cæsare patefactam sequentibus Imperatoribus.

Pag. 31 *Invisaque belli* &c. Senatus mandat Consulibus, *Videant ne quid detrimenti Resp. capiat, Cæsarem persequantur, delectum habeant, exercitum conscribant*. Hi urbe continuo excedunt, Capuamque ad Pomp. profecti, summam Imperii ei deferunt.

Pag. 32 *Nec limine* &c. Nec quisquam in discessu subinde respexit, sed tamquam videndi cupiditate expletus, neque amplius videre cupiens, abiit.

Pag. 33 *Latiale caput*. Capitolum, vel Romam caput Latii, vel ædem Jovis Latialis in monte Albano.

Cornuque coactò &c. Quum nempe Luna conjunctis in unum cornibus repræsentaret Solem integra rotunditate.

Fugiente per ortus &c. In ortum retrocedente Sole, ne videret impiam cœnam Atrei Thyesti fratri proprios filios comedendos apponentis.

Flebile savi &c. Scylla, saxum in freto Siculo, quam canibus marinis succinctam inguina fingunt, propter undas cavernis scopuli allisas, & latrare visas, jam flebile quiddam sonuit.

Latinas. Ferias videlicet, quibus sacrificia fiebant Jovi Latiali in Monte Albano, eaque Populi Latini nomine.

Scinditur in partes &c. In duas partes divisa ascendit, divisionem & discordiam portendens.

Thebanos imitata rogos. Rogi, in quem eundem Eteocles & Polynices filii Œdipi apud Thebas mutuis concisi vulneribus fuerant coniecti, flamma in duas se partes divisit, æterni odii testis.

Tethys majoribus &c. Altius inundavit Oceanus occidentalis inter Calpen Hispaniæ terminum, & Abylam extremum Mauritaniam montem, pro quo videtur poeta posuisse Atlantam minorem prope Herculis Columnas.

Indigetes . . . deos. Qui ex hominibus inter deos relati sunt.

Pag. 34 *Quos secūtis Bellona lacertis.* Corybantes & Galli numine Bellonæ & Cybeles afflati, secūtis sibi humeris & lacertis, rotatoque capite saltantes vaticinabantur tristia.

Galli. Sic fuerunt hi Sacerdotes appellati, a Gallo fluvio Phrygiæ, ad quem sua Orgia exercebant; sive quod ex eo bibentes furerent.

Ingens urbem cingebat &c. Furia per urbem visa purpureos concutere crines, & flagrantem obviis intendere facem: qualis Agavem stimulavit in cædem filii sui Penthei, aut Lycurgum regem Thraciæ; qui, dum Bacchi odio vites excinderet, sua sibi crura præcidit: aut Herculem, qui ab Inferis reversus, immissa a Junone furia correptus, uxorem suam & liberos interfecit.

Pag. 35 *Luna.* Primi Etruriæ oppidi, cum portu, a cujus sinu, Lunæ curvaturam referente, nomen habere videtur.

Nullo quæ &c. Dubito an *nullo semine* quasi sponte nata dicat, an rectius *mixto semine*: ita enim melius cohæret *discors natura*.

Pomaria. Spatium est post, pone, vel proxime murum; quod neque habitari, neque arari fas erat.

Turba minor. Minores Sacerdotes. *Ritu . . . Sabino.* Toga sic in tergum rejecta, ut ejus lacinia revocata hominem cingeret: a Gabiis Volscorum opp. mos ortus, cujus ci-ves ad subitaneum bellum ita cincti profecti, redierunt victores.

Trojanam . . . Minervam. Palladium ab Ænea e Troja in Italiam advectum.

Qui fata delum &c. Quindecim viri, quibus Sibyllinos libros custodiendi inspiciendique potestas.

Lotam &c. Qui ut Galli Cybeles sacerdotes matrem Deūm Pessinuntiam in Alcone fl. quotannis lavabant.

Titique sodales. Apollinis sacerdotes, sic a titiis avibus, quas observare soliti sunt: dicti aliis a Tito Tatio. Vid. Tacit. lib. I Annal.

Salus. Sassi duodecim Martis sacerdotes, ancilia, hoc est scuta (e quibus unum e cœlo cecidisse ferunt regnante Numā, imperio fatale) gestantes saltantesque.

Flamen. Flamines præcipue tres, Dialis, Martialis, Quirinalis: ita dicti a flammeo, croceo quodam velamine, quo tegebantur vice pilei, & in quo erat brevis virga, desuper habens lanæ aliquid.

Dispersos fulminis &c. Dispersos ignes & fulgurita in unum redigit, tacita cum prece terræ condit, & locum appellat Bidental.

Pag. 36 *Molas inducere cultro*. Salsas fruges, hordeum sale mixtum, quo frons victimæ, focus, & cultri aspergebantur.

Impatiensque diu. Si hostia aris admota refugeret, reluctaretur, mugitum ista daret, aut non placide caderet, ingratum censebatur sacrificium.

Hostili de parte. Aruspices imaginatione dividebant jecur in duas partes, *familiarem*, & *hostilem*; deinde ex utriusque partis habitu, plenitudine, colore &c. conjiciebant quid nobis, quid hosti esset eventurum.

Parvusque . . . limes. Præcordia indicat. Membrana illa, quæ cor & pulmones a jecore & liene dirimit, Græcis diaphragma appellatur.

Pag. 37 *Figulus*. Nigidius Figulus Pythagoricus, Astrologus summus, & Ægyptiis Astrologis præferendus.

Nemeum . . . Leonem. Leonem ab Hercule in Nemea silva interfectum, & in stellas relatum.

Pag. 38 *Cælum Mars solus habet*. Mars solus dominus anni, in decima regione summum cælum tenens in Scorpione, cæteris planetis destitutis propria sua sede & hebetibus prævalebit, produceretque suos effectus, bella nefaria.

Edonis &c. Baccha seu Mænas, ita dicta ab Edone Thraciæ monte, plena vino ex insula Ogygia proveniente.

Hoste. Externo. Hostis apud Majores nostros dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus.

Primor . . . ortus. Ægyptum innuit, quo fugientem post Pharsalicam pugnam Pompejum Cæsar sequuturus erat.

Pag. 39 *Libyen*. Africam, quo se recipiant, qui pugna Pharsaliæ superfuerint.

Alpis. Expeditionem Cæsaris per montes Pyrenæos in Hispaniam designat, expugnaturi Petrejum & Afranium, mox Pompeji filios ad Mundam.

Consurgunt partes iterum. Octavius & Antonius ulturi Cæsaris percussores Brutum, Cassium &c.

Nova da mihi cernere. Concede, ut videam pugnas navales alibi, quam ubi conspexi. Intelligimus autem, ipsam vidisse ea, quæ in mari Hadriatico, & ad Massiliam Cæsaris tempore gesta sunt, & nunc videre alias apud Siciliam, quæ ab Augusto contra Sextum Pompejum gerentur; & in Antonium & Cleopatram in mari Adriaco.

IN LIBRUM SECUNDUM.

Pag. 41 *Sive parens* &c. Sive (ex sententia Stoicorum) omnia regantur fatali necessitate & legibus, quas ab orbe condito posuit Deus, quas semel jussit, quibus semper paret; sive (ut volunt Epicurei) temere omnia & casibus eveniant.

Ergo ubi concipiunt &c. Postquam igitur ex ostentis & vaticiniis innotuit quantas clades allatura esset prodigiorum certitudo; indicta est juris dicundi statio seu intermissio, quod non nisi in publica calamitate, luctu, aut necessitate fiebat.

Latuit plebejo. Magistratus omnes sumpserunt plebejos habitus; neque a vulgo discernebantur veste. Ipsi Consules exuebant purpuram.

Conclamata. Ubi enim quis animam exhalaverat, clamabant, & nomine ter vocatum jubebant æternum valere.

Pag. 42 *Invidiam* &c. Ne scilicet deos inter excitaret invidiam.

Flavos . . . Suevos. Bavaros, Polonos, Pomeranos, quibus cæsaries flava.

Pag. 43 *Nulla vacet . . . manus.* Omnes gentes Romam undique hostili animo petant.

Dum nondum meruere. Antequam civili polluantur sanguine.

Vix tanti . . . ut neuter. Civile bellum non erat movendum, ut neuter imperaret, idest, pro ipsa etiam libertate tuenda.

Exsul limosa &c. Marius a Sulla prælio victus, fuga cla-

bitur, ac in Minturnensium paludibus, calamis & palustribus herbis tectus, delitescit. Sed a militibus Geminiani deprehensus, Minturnas in custodiam, ut publice necetur, abripitur.

Depositum. Reservatum ad septimum Consulatum.

Panas ante dabat scelorum. Tulit jam pœnas eorum scelorum, quæ perpetraturus erat postmodo Romam reversus.

Pag. 44 *Hunc, Cimbri, servate senem.* Marium scilicet sæviturum in Romanos, & inferias ex illis relaturum civibus vestris Cimbrico bello interfecit.

Hostilem in terram. Mario infestam, qui eam subegerat, devicto Jugurtha.

Et Panos pressit cineres. Nam inter ruinas Carthaginis aliquandiu delituit. *Solatia* &c. Carthagini solatio erat Marius huc miseriarum adactus, Mario tantæ urbis excidium & ruina.

Ut primum fortuna redit. Quum C. Cinna Cos. ad populum referret de revocandis quos Senatus, ita volente Sulla, hostes judicaverat, & de adscribendo novorum civium X tribus veteribus XXXV, a dissidentibus Coss. in media urbe disceptatum est. Cinna, urbe pulsus a Cn. Octavio collega, sollicitat urbes Italicas, vires undique contrahit, servis etiam ad libertatem vocatis, reversum Marium sibi jungit, quadruplici agmine urbem intrant Cinna, Marius, Carbo, Sertorius, in adversarios desæviunt.

Pag. 45 *In numerum pars magna perit.* Promiscue tam innocentes quam nocentes, ignoti pariter ac noti cadunt augendo dumtaxat numero.

Spes una salutis &c. Dederat quippe hoc suis signum, ut interficerent quoscunque ille non resalutasset; quibus salutantibus nihil responderet, aut quibus manum osculandam non porrexisset.

Degener o populus. O degeneres! Vix decorum esset tam turpi osculi obsequio meruisse ætatem vel longissimam: multo ergo vobis turpius nunc ignominiam subire vitæ brevis gratia, quos reversus a bello in Mithridatem Ponti regem Sulla, utpote Marii munere vivos, interficiet.

Vix te &c. Vix mihi vacat flere te discriptum, o Bæbi, inter manus turbæ lacerantis membra discessisse, h. e. in varias partes sectum fuisse.

Antoni &c. M. Antonii clarissimi Oratoris caput abscissum Annii Trib. ad Marium cœnantem detulit.

Truncos &c. Fimbria, efferus Marii miles, Crassos patrem

& filium in mutuo alterum alterius aspectu laceravit.

Tribunicio &c. Locus ille in carcere, unde malefici præcipitabantur, maduit sanguine Licinii Tribuni magistratus sacrosancti.

Violata &c. Et quia cædes in ejus templo patrata fuit, & quia Pont. Max. erat Scævola.

Ille fuit &c. Intra dies quam inierat septimum Consulatum tredecim, morbo laterali & insania obiit annos natus 70.

Pag. 46 *Jam quot* &c. Transit jam ad horrendas clades inter Sullam ex Asia reducem, & Marium juniorem, vicesimo ætatis suæ anno Consulem factum. Hunc ad Sacriportum haud procul a Præneste Sulla fudit. Quum autem Præneste fugisset, & ibi a Lucr. Ofella Sullæ legato obsessus non posset evadere, mortem sibi conscivit. Sulla Lamponium & Felesinum Samnitium duces, qui ad Cos. obsidione liberandum advenerant, ad decimum a Porta Collina stadium consecutus magna strage fudit.

Tunc quum pæno &c. Promiserat Marius Samnitibus, qui a suis partibus steterant, se translaturum caput Imperii a Romanis ad Samnites.

Caudinas &c. Caudinæ Furcæ, duo saltus sunt silvestres jugorum inter se perpetuitate juncti: ubi Romani a Samnitibus sub jugum missi.

Periere nocentes &c. Marianæ partis fautores: soli superfuere Sullani & ipsi nocentes.

Busta &c. Latebras quærebant in sepulcris, & lustris ferarum.

Pag. 47 *Scelerum non Thracia* &c. Non tot cædibus infames fuerunt, non tot capita postibus suis affixere, Diomedes Rex Thraciæ, qui equos humanis carnibus pavit; Antæus Libyæ gigas, qui hospites ad palæstram provocatos victosque occidit; Ænomaus, qui filiæ suæ procos curru consecutus interfecit.

Quum jam tabe &c. Postquam corrupta erant corpora, parentes eadem, si forte cognoscere poterant, furtim subtrahabant, ut sepelirent.

Omnia Sullana &c. H. e. Explorasse oculis omnia cadavera, Sullana pace jam incipiente, cædium nempe sine peractio.

Quid sanguine &c. Q. Luctatius Catulus, qui collega fuerat Marii, & cum eo de Cymbris triumpharat, ubi se a Mario morti destinatum audivit, in cubiculo suo recens calce illito, necdum persiccato, carbonibus accensis spontesuf-

focatus est. In cuius ultionem Catulus frater a Sulla jam petiit sibi concedi Marium Imperatoris fratrem, quem apud Luſt. Catuli sepulcrum, tamquam manes fratris placaturus, brachiis, cruribus, naso, auribus mutilatis, exsecta lingua, oculis demum effossis, servavit aliquandiu, ut per singulorum membrorum carnificinam moreretur.

Inexpleto . . . burſto. H. e. cui nondum exequiæ factæ fuerant.

Parcere morti. H. e. protrahere mortem, ut acrior esset, & acerbior doloris sensus.

Pag. 48 *Fruſtrum.* Oculorum pabulum, & usuram voluptatis, quam percepturus erat Sulla agnoscendo Marium.

Vidit Fortuna &c. Fortuna Prænestino templo & cultu celebris passa est videre cives suos omnes simul, ensibus in corpora admissis, interfici tam celeriter, ut intra spatium, quo periret unus, perierint ipsi, populus integer.

Latii jam sola &c. Samnites nempe, strenui milites, qui soli ex Italii Mario & Cinnæ adhæserant.

Ovilia. Ovilia erant in Campo Martio loca septa, & cancellis conclusa, in quæ per pontes, qui erant angustæ viæ, ibant Centuriæ suffragia dicturæ.

Numquam pœna fuit. Sensus est: sæpe aliis vicissitudinibus, numquam pœna tot juvenes periire.

Vidtores &c. Cædentibus vix erat spatium ferri rotandi, cæsis vix spatium cadendi.

Perauntque, &c. H. e. Mortui suo pondere vivos necabant.

Miseri tot millia &c. Centum civium M. In his Senatores XC, Consulares XV, Equestris ordinis M. M. D. C.

Pag. 49 *Hærentes.* H. e. cadaverum tumulis detentas.

His meruit tumulum &c. Dictatura abdicata Puteolos secessit: ibi interiit: & magno honore in funus elatus, in Campo Martio crematus est, & sepultus.

Pag. 50 *Et in tanta* &c. Et, ut alias, pronec ponitur. Sensus autem est: Brutus pars ipse populi, in tanta ejusdem populi consternatione, nihil pavebat.

Helice quum verteret &c. H. e. *Quum* Ursa Major sua plaustra, polumve circumvolveret. Fuit autem Helice seu Calisto filia Lycaonis regis Arcadiæ, in qua Parrhasium oppidum.

Omnibus expulsa &c. Oratio Bruti deliberativa est; cujus scopus est & propositio, Cæsaremne an Pompejum debeat sequi; an continere se in otio, & pacem tueri. De ejus consilio alterum se secururum.

Virtutis &c. H. e. O solum perfectæ virtutis exemplar.
Absolvere. H. e. Probare.

Hos polluta domus. Stupris & adulteriis cooperta, propter quæ in eos animadverterent leges, quas in bello eludunt ac evadunt.

Permiscenda fides. De obæratīs loquitur, qui privatam fidei suæ ruinam permiscere publicæ cupiebant.

Pag. 51 *Ingeret amnis* &c. Omnis belli eventus submittet se tibi, & tu bellum conficies.

Quis nolet in isto Ense mori? Omnis videlicet, quamvis ab alio necetur, cædis suæ caussam in te transferet, & sceleri tibi vertet.

Sicut cœlestia &c. Ut cœlestia corpora constanti lege moventur, licet inferiora, ut tellus, aer telluri propior, & alia variis vicibus subjiciantur; ita, o Cato, in mediis civilis belli motibus pacem melius tueberis inconcussus ipse & constans.

Quam late &c. Quam gratum erit Cæsari, quantum placebit ipse sibi, si bellum civile tibi, Cato, placuerit, teque Pompejo subjeceris. Tunc se solum pronuntiabit liberum, quum neminem in suis castris superiorem habebit, non Senatores, non Consules, non procures alios, qui summam imperii Pompejo, privato Duci, detulerunt.

Pag. 52 *Post bellum* &c. Uter ipsorum victor tandem molitus fuerit aliquid contra leges, & libertatem Reip., adversus hunc me acerrimum profiteor hostem.

Summum &c. Catonis oratio gravis & plane Catoniana, hoc est Stoicæ rigiditatis plena, tota in hoc parata est, ut Brutum refutet, & ejus argumenta de abstinendo ab armis civilibus diluat. Bruti argumentis opponit, honestum, necessarium, & pium, patriæ libertatem defendere, quum illud non facere sit impium. Largitur quidem civile bellum nefarium; sed transfert in fatalem necessitatem.

Sic eat. Sic ita, ut dii velint sibi litari universo Rom. sanguine. Cur meum morer? O utinam ad patriam expiandam, libertatemque imperii tuendam, diis superis, inferisque sufficeret caput hoc meum omnibus diris devotum, ut Pub. Decii quondam pro salute exercituum in prælio contra Samnites!

Pag. 53 *Post me regnare* &c. Neque enim me extincto inveniatur, qui libertatem armis tueatur.

Quin publica &c. Epilogus, quo hortatur Brutum, ut consociatis animis & armis, auspiciis Senatus, & Pompeji se-

quantur. Ea *publica* quasi populi Rom. vocat, quum Cæsaris hostilia sint.

Pulsata sonuere fores. Pulsat Catonis fores Marcia, & ingreditur. Catonis uxor fuerat, quam ille, tribus jam susceptis ex ea liberis, amico Hortensio postulanti gravidam cesserat. Hortensius autem moritur sub initium civilis belli; cui vix persolutis exequiis Marcia Catonem adit, & illum, ut se iterum ducat uxorem, effusis lacrimis & precibus exorat.

Pag. 54 *Cineresque* &c. Aspersa cineribus Hortensii mariti.

Illibata. Casta nempe, utpote quæ non concubitus causa petantur.

Cornelia bello? L. Scipionis filia, quam post mortem Julii duxit Pompejus, jamque sub initium belli Mytilenem ablegavit; victus autem, fugiensque in Ægyptum, eam receptam fugæ comitem habuit.

Infulaque. Conjunct. copulat. *quo pro nec sæpe* adhibet Poeta.

Gradibusque &c. Neque lectus in honorem Genii sternitur in aula, stragulo acupicto auroque intertexto tectus.

Turritaque premens &c. Neque Cybele turrita, quæ eadem est cum Vesta, vetuit hanc nuptam contingere limen pedibus. Varro enim opinatus est, ideo sponsas limen non tetigisse, ne a sacrilegio inchoarent, si deposituræ virginitatem, calcarent rem Vestæ, idest Numini sanctissimo consecratam. Aliis legendum placet *vitat*; & *matrona* accipiendum, non de pronuba, sed de ipsa nova nupta; mos enim erat apud Romanos, ut domo egrediens nova sponsa, limen transiliret.

Pag. 55 *Suppara.* Supparum subuculæ, seu tunicæ genus pectora complexum. Cur autem dicatur *nudatos lacertos*, ea fortasse causa est, quod Marcia recens a funere Hortensii, nudis ad planctum pectore & lacertis veniebat.

Non soliti &c. Non occinebantur, pro more nuptiarum a Sabinis tracto, jocos sales, & convicia.

Studiisque &c. Partium studiis minime occupato.

More Quiritis. H. e. More veterum Romanorum.

Pag. 56 *Mania Dardanii* &c. Capuam, a Capy Trojano, ut quidam volunt, conditam.

Hinc summa moventi. Lege, moventis.

Umbrosis mediam &c. In regione plana, qua Apennini latus modice assurgit.

Collesque coercent &c. Apennini montis colles signat coer-

coercetque a dextra in imo sinu Tyrrheni Maris Urbs Pisarum; a sinistra vero Ancona Piceni urbs in Hadriatico Mari.

Hunc fabula primum &c. Fabula est Phaetontis sorores ad ripas Eridani in populos fuisse versas; & hunc fluvium, exhaustis cæteris & desiccatis, parem fuisse extinguendis Phœbeis ignibus Phaetontis casu & imprudentia exsuscitatis.

Pag. 57 *Et Scythicas* &c. Sexaginta amnes receptos in Mare Ponticum defert.

Nocturnaque &c. H. e. opacas & tetras exhalans nebulas.

Marica. Paludis Minturnensium, quæ nomen habuit a Nympha Marica, uxore Fauni, Latini matre.

Vestinis &c. In Lirim se exonerant flumina Vestinorum.

Macra moratus &c. Macra innavigabilis, quia vadosus, juxta Lunam, Etruriæ portum, in mare prolabitur.

In templa Lacinia. Juno Lacinia in Calabria colebatur in templo ditissimo atque sanctissimo, quod ei constituit Hercules, Lacinio latrone illic occiso.

Terrasque impelleret aquor. Italia, & Sicilia conjunctæ aliquando fuerunt; sed

. . . venit medius vi pontus, & undis

Hesperium Siculo latus absceidit.

Virg. Æneid. 3.

Cæsar in arma furens &c. Cæsar cædis cupidus gaudet in Hesperia finibus & agris resistentes hostes invenire, & usque configere.

Pag. 58 *Saxorumque orbes*. Saxorum acervos, vel saxa rotunda tormentis emittenda.

Pugnatque minaci &c. Gentes Pompejo fidæ cum Cæsare minis terrorem incutiente pugnant. In comparatione autem sub Austri nomine Pompejum, Euri Cæsarem, Maris populum intellige.

Trepidî . . . Libonis &c. Refert qui duces Pompejani terrore compulsi fugæ se dederint; e quibus Libo tum forte Præfectus Etruriæ, ac Thermus Umbriæ; qui, adventu Curionis Cæsariani Legati cognito, cum cohortibus perfugisse dicitur l. 1. de Civile Bello.

Pag. 59 *Neglecto . . . tergo*. Hostibus in fuga exposito.

Et nullas . . . cohortes. Nam Cæsari jam victori se dederant.

Quamquam fœmissima pubes &c. Duas fortissimas legiones intelligit jampridem Cæsari subtractas, quum Bibulus post Crassi cædem mittendus esset in Parthos. Ex istis alteram dederat Pompejus Cæsari ante Civile Bellum, ut sup-

Lucanus.

b

pleret *Gallica damna*, h. e. a Gallis illata, Titurio Cotta-
que Cæsaris Prætoribus in Ambiorigis conspectu cæsis. Utra-
que igitur legio, quæ ad Parthicum bellum mittenda jam
fuerat, Cn. Pompejo traditur; & ab ipso, donec evocaret
ab Bellum Civile, Scipioni socero usus utriusque conceditur.

Tua classica servat. H. e. sub te militant cohortes,
quibus Pompejus forum sepserat, M. Tullio defendente Mi-
lonem in cæde Clodii.

Pag. 60 *Amne soluto*. Ponto interrupto; nam *ligatus* dicitur
annis, qui pontem supra se habet.

Ganges. Indiæ fluvius, qui Cyro & Alexandro moram
injecit.

Et ad tutas &c. Intra Corfinium.

Nefas belli. Scelus nempe maximum in bello Ducem a
suis hosti tradi.

Hæu quanto melius &c. Quanto majori honori fuisset
morte affici, quam vita donari! dedecus summum, immo
supplicium maximum erat civi Romano ignosci, quod pa-
tria & publica arma hostilibus & privatis prætulerit.

Pag. 61 *Di! melius* &c. Diis gratia, quibus placuit, a Cæ-
sare potius, quam a nobis, initium capessere nefaria hæc
bella.

Exsertique &c. Notat Sulpitius exsertum eum dici, qui
habet humerum, & brachium dextrum nudatum. Cethegus
autem exemplo Majorum suorum tunicam non gerebat, sed
pro tunica cinctum, quod solas partes infra pectus velabat.

Pag. 62 *Quamquam* &c. Quamquam doleo vilem te cumistis
miscere, & me tibi furenti Romam opposuisse. Utinam vi-
veret Crassus, ut ejus manu ob similem causam caderes, non
secus ac in Bello Servili dux latronum Spartacus!

Hinc Consul uterque. L. Lentulus, & C. Marcellus.

Non tam cæco &c. Non tam cæca es, Fortuna, nec im-
pudens, ut id patiaris.

Mukisne &c. Invidiose. Duobus, neque exactis iis.

Rheni gelidis &c. Per invidiam Pompejus fugientem in-
ducit a Rheno Cæsarem; nam devictis Germanis in Galliam
se contulit: eumque pontem, quem in Rheno struxerat,
non quod Germanos fugeret, sed ne eisdem deinceps usui
foret, rescissum voluit. Per invidiam item Cæsar, incerti
in Oceano Britannico æstus causam interserens, Britannis
ipsis ultro lacessitis terga dedisse dicitur.

Pag. 63 *Qui quum signa* &c. Qui intra spatium duorum men-
sium piratas Cilicas maria latrociniiis infestantes coercui, &

procul a mari in Solos, angustam urbem Ciliciæ, sese recipere coegi.

Indomitum Regem. Mithridatem, qui cum Romanis 40 annos bella gessit. Hunc Sulla cognomine Felix attriverat; Pompejus ad mortem adegit.

Umbras nusquam flectente Syene. Oppidum est Thebaidos in confinibus Ægypti atque Æthiopix: directa & perpendiculari linea Tropico subjicitur, ac proinde Sole Cancrum ingresso, in neutram partem medio Solstitii die umbras flectit.

Tesbrynque fugacem. Fluens ac refluens fretum Gaditanum intelligit.

Notique &c. Aurei velleris ab Iasone erepti notissima historia est.

Mollisque Sophe. Luxu soluta Asiæ regio.

Pag. 64 *Nec matura &c.* H. e. Nec petunt signa professionis in bellum dari; videbatur enim ipsis præ timore minus maturum, sive opportunum tempus.

Urbs est Dictæis &c. Brundisium urbs habitata a colonis Dictæis, h. e. Cretensibus, a Dictæ, Cretæ oppido.

Mentiris Thesea velis. Nigris, præ festinatione & navitarum oblivione, iisdem quibus solverant Athenis, contra mandatum patris Ægæi, qui præceperat, ut, si victor occiso Minotauro rediret filius, alba suspenderent carbasa.

Nec tamen &c. Neque tamen satis fidus foret hic portus, nisi objecta insula fluctus ventosque exceptos frangeret.

Pag. 65 *Ceraunia.* Epiri montes.

Sason. Insula contra Calabriam, inter Epirum & Brundisium.

Ergo ubi nulla &c. H. e. Nulla spes Italiæ tenendæ, quæ Brundisium fugientibus erat a tergo.

Cui firmior ætas. Cn. Pompejum filium natu majorem missurus ad devictas a se gentes auxilia petiturum.

Meum. Beneficio meo in pristinum fortunæ habitum restitutum. *Pharnacis.* Filii Mithridatis, cui a patre deficienti Pompejus confecto bello Bosphorum concesserat.

Qui Latios &c. Consules, quorum nomina in Fastis præfigebantur suis annis.

Pag. 66 *Sed molibus undas &c.* Cæsar, ut Pompejum interciperet, exitus Brundisini portus præcludere conabatur.

Persæ. Antonomasia Xerxem denotans, Persiæ regem. Ille olim, in Hellesponti freto ponte ex navibus ducto, ab Abydo urbe Asiæ in Seston Urbem Europæ pedibus trajecit exercitum. Quæ duo oppida nunc *i Dardanelli* vocantur.

Pag. 67 *Quum vela &c.* Quum Xerxes Athon Macedoniæ montem abscindi iussum circumnavigaret.

Buccina. Quæ vigiliarum distinctiones indicare solet.

Ultima virgo. Hic signis cœlestibus ordo est: Virgo, Libra, Scorpium &c. Chelæ pertinent ad Scorpionem, utpote ejusdem brachia. At sciendum Veteres locum cœli inter Virginem, & Scorpionem non semper Libræ, sed plerumque Chelis assignasse, quod Libra iisdem veluti concludatur. Hinc Virgilius post Libram ponit Chelas Georg. lib. 1, v. 33. Sensus itaque Auctoris est, totum signum Virginis ortum fuisse ante Solem, qui cum Chelis, seu Libra surgebat. Ac proinde Pompejum Brundisio discessisse summo mane circa medium Septembrem colligimus.

Pag. 68 *Ora petunt.* Ostia, portus. *Pelagusque &c.* Dolent Pompeji classem jam evasisse.

Artior Euboica &c. H. e. Angustior Euripo, ubi juxta Chalcida interluit Euboicam insulam, & Bœotiam.

Hic basere rates &c. Hic uncis ferreis retentæ fuere geminæ Pompejanæ rates; & earum militibus ad litus pertractis tumularium per noctem prælium conseritur.

Ut Pagasæ &c. Ut Argo olim, qua Iason cum Minyis e Pagasæ, Thessaliæ oppido, solventes petebant Colchos Phaside fluvio celebres, transmissa per Cyaneas seu Symplegadas insulas, quæ concurrere inter se finguntur, e collisione insularum deminuta est parte puppis extrema.

Subducta est &c. Liberata a concussu montium.

Jam Phœbum &c. Jam Orientis color e pullo in croceum, mox roseum mutatus, prænuntiabat Solis ortum appetere.

Pag. 69 *Prædonem.* Per Synecdochen, Cilicas.

Cum conjuge &c. Cornelia, ac filiis Cnejo ac Sexto.

Phariæ busto &c. Ægyptiaca arena destinatur sceleratæ cædi, & tristi sepulcro Pompeji.

IN LIBRUM TERTIUM.

Pag. 71 *Toris: semperque potentes &c.* Cum conjuge: namque Cornelia fatalis est & ominosa maritis. P. Crasso prius, qui periit apud Parthos, tibi jam futura æque pernicioosa.

En! nuprit &c. Improbat Pompejum, quod festinanter

nuptias novas contraxerit cum Cornelia, quam invidiose pellicem vocat.

Pag. 72 *Numquam tibi* &c. Mei manes monebunt usque esse te Cæsaris generum: & frustra tentabis abscindere bello jus affinitatis.

Tu faciet &c. His verbis ei mortem denuntiat.

Hospita. Dyrrhachina.

Nec vincere &c. Nec tanti æstimabat unam victoriam, ut vellet bellum protrahere.

Pag. 73 *Gnarus* & *irarum* &c. Sciens plebis animos vel abalienari fame & penuria, vel conciliari copia annonæ & largitione.

Metus. Obedientia.

Timere. Studium, fidem, obsequium præstare.

Ne rupti &c. Vide pag. 57.

Bellaque Sardoas &c. Valerius missus est frumentatum in Sardiniam.

Ubere vix &c. Vix ipsa Africa has insulas fertilitate superat, quum Austris cessantibus, & Borea Zonam torridam versus nubes agente, largo rore perfusa annum uberem efficit.

Vincula Rheno. Vel propter pontem in Rheno constructum, & mare Britannicum tum primum a Romanis navigatum; vel propter utriusque accolæ devictos.

Pag. 74 *Vadantem*. Lege *vadentem*.

Et qua Pomtinas &c. Via Appia dividit paludem Pomtinam in Volscis.

Sublime nemus &c. Nemus Aricinum, in quo colebatur simulacrum Scythicæ Dianæ, huc ab Oreste translatum e Taurica regione, cæso rege Thoante.

Quaque iter est &c. Qua ad Albam longam eunt Coss. sacrificatum in Latinis feriis, ut supra pag. 33.

DI! melius &c. Dii melius prospexerunt, quod a cive potius, quam ab externo hoste inferatur bellum hoc Urbi, a timido Duce Pompejo desertæ.

Phæbea palatia. Ædem Palatinam Apollinis.

Pag. 75 *Curules*. Sedes majorum magistratuum, Consulum, Prætorum, Censorum, Ædiliū curulium.

Censere. H. e. Decernere quidquid Cæsari collibuisse.

Tamen exit in iram &c. H. e. Irascitur Libertas, & dat animos Metello Trib. plebis, ut Cæsari resistat ærarium effraçturo.

Sanguine sacro. Nempe Tribunicio; Tribunicia enim potestas sacrosancta erat.

Crassumque &c. Execrationibus Atteji Trib. pleb. impetitus Crassus misere in Parthis periit.

Pag. 76 *Sunt quot* &c: *Lege quor.* Converte bellum in hostes.

Pacis ad exhausta &c. Non publica egestas, sed iniquum bellum te cogit thesauros longa pace congestos diripere.

Libertas, inquit &c. Libertas populi oppressa, obnoxia est libertati illius, qui oppressie.

Ocius avertat &c. Quin ocius auferat thesaurum hunc, cujus fortasse caussa bellum hoc dirum a Cæsare motum est.

Damna movent &c. H. è. Ærarium exhaustum detrimento est populo libero, suisque legibus tuto; sed populi servientis egestas Domino (Cæsari) perniciosa est, non ipsi populo.

Pag. 77 *Quo te Fabricius* &c. Aurum a Pyrrho oblatum, ut patriam desereret proderetque, recusavit Fabricius ad regem legatus.

Prelata est &c. Præda novissima, quæ ante currum Pompeji triumphantis prælata fuerat, devictis Mithridate Ponti, Tigrane Armeniæ, Aristobulo Judææ regibus.

Fatidica Cephisos aqua. Oritur Cephisos amnis a montibus Phocidis oraculo Delphico claris. *Cadmeaque Dirce.* Dirce fons vicinus Thebis a Cadmo positus.

Pisaaque manus &c. E Pisis opp. Elidis, juxta Alpheum fluvium, quid dicitur subter mare ferri ad Aretusam fontem Siciliæ.

Trachinius. A Trachine, quam Hercules condidit sub æta monte Thessaliæ.

Pag. 78 *Quercusque silentes.* Dodoneas quercus non amplius responsa dantes, fugatis columbis fatidicis.

Exhaustæ totæ &c. Athenæ, utcunque delectu prius exhaustæ, & navalibus tamen suis Phœbo dicatis mittunt tres Salaminias naviculas; quæ testentur Salamina esse veri juris Atheniensium, non Megarensium, uti olim controversum erat.

Nec Eois &c. Non cedens Parthis arte mittendi sagittas.

Dardaniam &c. Heleno & Andromache Dardanis regnatam maritimam illam Epiri urbem.

Enchelia versi &c. Illytiæ populi, quorum urbs Cadmi & Harmonies in serpentes conversorum est monumentum. Ἐχέλας autem anguilla est *longæ cognata colubræ*, ut ait Juvenalis Sat. 3.

Apsyrtis &c. Insula cum fluvio cognomine. Dicitur autem Colchis, idest, Colchica, quia Medea & frater ejus Ap-

-*syrus* ab eadem ibi laceratus, ex Colchis erant.

Temerato litore. Occupato & violato; nam multas gentes in ipso cursu navigationis violarunt Argonautæ, & miscuerunt ignotas gentes temerandis hospitibus.

Pholoe mentita &c. Mons Arcadiæ, Pholo habitatus aliisque Centauris, qui, quum primi ab equis dimicarent, procul visi erant bifformes.

Bistonias &c. Grues ita dictæ a Bistone Thraciæ stagno. Pag. 79 *Celene.* Urbs Phrygiæ, quæ luget fatum Satyri sui Marsiæ; qui inventis, quas Pallas abjecerat, tibiis fretus, Apollinem in certamen Musices provocavit, & ab eo victus excoriatus est. Versus autem in fluvium sui nominis cadit in Mæandrum fluvium sinuosum, & per plana variis flexibus in fontem recurrentem.

Instabilis. Quondam insula LXX passus a terra dissita, sed aggere Alexandri post juncta Continenti.

Phœnices primi &c. Cadmus cum Phœnicibus suis litterarum figuras vel invenisse, vel in Græciam intulisse fertur.

Biblos. Nilus biblum gignit, sive papyrus, unde paginae candidæ fiebant.

Pag. 80 *Pellæus* . . . *Duc̃tor.* Alexander sic dictus a Pella, urbe Macedoniæ.

Quique bibunt &c. Indicam intelligit arundinem, ex qua hodie fit saccharum.

Et qui tingentes &c. Cathæi Indiæ populi pulchritudinem omni modo adstruunt: regem ob formam eligunt, capillitia tingunt &c.

Carbasa. H. e. lineas vestes gemmis distinctas zonis pariter gemmatis adstringunt.

Quique suas &c. Brachmanes, Indiæ Philosophi.

Amani. Montis Ciliciæ, ob duritiem sterilis.

Ignotum &c. Scilicet in orbem positum in zona temperata, ubi umbræ meridianæ Occidentem spectantibus semper dextræ. Porro incolas Arabiæ Felicis vates spectat, quibus umbræ aliquando sinistræ, Sole in Cancri Tropico existente.

Carmanosque duces &c. Asiæ populos inter Persidem, & Indiam; quibus sub Tropico Cancri, vel ulterius positis Ursa major non tota occidit, & Bootes, utpote Horizonti propior, exigua noctis parte lucet.

Æthiopumque solum &c. Regio Æthiopiæ sub Æquatore Australem Tropicum versus ita posita, ut pars nulla Zodiaci oblique excurrentis eidem recte imminet, exceptis pedibus Tauri, qui extra Zodiacum protensi Æthiopico solo

respondent. Porro Taurus procidentis instar inter signa pin-
gitur.

Pag. 81 *Et incertum* &c. Euphrates infra Seleuciam aquas
suas cum Tigride miscet, & nomen etiam.

Pbaria . . . unda. H. e. Nili.

Contenti &c. Cæde nimirum Crassi.

Quo Cræso fatalis &c. Halys est fluvius Lydos a Me-
dis dirimens, juxta quem Cræsus a Cyro victus & captus
est, deceptus ambiguo Oraculi responso:

Cræsus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim.

Quaque fretu &c. Qua per Bosphorum Cimmerium emis-
sas undas Mæotidis paludis excipit Pontus Euxinus, quas
inde Bosphorus Thracius in Propontidem egerit, & Helle-
spontus in Ægæum. Poeta ergo significat, maria omnia in-
feriora a Ponto Euxino originem ducere, atque ita Hercu-
leis columnis gloriam auferri, per quas immittitur Oceanus
Occidentalis.

Pag. 82 *Longaque Sarmatici* &c. Scythiæ populi, qui sitim
famemque levant epoto equorum sanguine.

Non, cum Memnoniis &c. Nec Cyrus, nec Xerxes, nec
Agamemnon tot regum Duces fuere, quot fuit Pompejus ipse.

Effusis numerato &c. Singulis singulas mittere jussis sa-
gittas, exercitum numeravit.

Non corniger Hammon &c. Neque Africa cessavit auxi-
lia mittere, in cujus regione Cyrenaica deserta & arenosa
Jovi Hammoni sub specie Arietis culto templum consecra-
vit Liber pater.

Phocæis &c. Massilienses; Phocæenses enim, origine Græ-
ci, ab Harpago Cyri præfecto pulsi, in Galliam Narbonen-
sem transmigravere, ubi Massiliam condiderunt.

Semper in externis &c. Legati fide sua modeste & con-
stanter exposita, dissuadent bellum civile; sibi ut liceat ex-
tra partes esse petunt: non esse sui judicii discernere utra
caussa sit justior; sed quidvis potius pati se esse paratos,
quam armatum Cæsarem admittere.

Pag. 83 *Secretumque damus*. Secessum, quo confugiant ci-
ves, qui volunt esse ab illis immunes. *Traherentur* &c. Ab-
sit, ut manus nostræ imbuantur sanguine eorum, quibus-
cum sacra nobis intercedunt jura.

Si Calicolis &c. Neque nobis caussas vestras expendere,
aut ad partes ire magis fas est, quam hominibus hoc idem
facere liceret, si dii inter se dissentirent, aut iis arma, ut
olim, gigantes Terræ filii inferrent.

Sortesque. Legendum *sortisque*.

Sit mens ista &c. Utinam sociæ gentes omnes bello civili se immiscere recuseant! Belli hujus statim finis aderit, nisi armaveritis externos, qui putant sibi fas esse bellum civile gerere.

Pag. 84 *Sit locus* &c. Sit locus exemptus civili bello, & quo in colloquium ac fœdera, si Superi consulant Romæ, tuto conveniatis.

Non pondera &c. Nullius ponderis, aut momenti sumus ad summam victoriæ, quibus numquam felix successus in bello fuit.

Obsessum Pæno &c. Quum Saguntini vim Punicam ulterius nequirent arcere, aurum, argentum, pretiosa quæque, liberos conjugesque a se cæsos, se denique in ignem in foro extructum præcipitavere.

Pag. 85 *Sed si solus* &c. Vellent me solum urbem ingredi sine exercitu, & exceptum dolo prodere.

At enim &c. At vero nolunt bello civili pollui.

Committere. H. e. Conjungere.

Pag. 86 *Raptisque* &c. Cæteris urbibus summa rapiditate capris, una hæc diuturna obsidione vincitur; ac proinde summæ laudi vertendum eidem est, quod successus fatales Cæsaris retardarit.

Arret humum. Cohibeat terram, ne sideat ac defluat.

Lucus erat &c. Celeberrima hæc luci descriptio, inter hujus Auctoris locos omnium pulcherrima, præcipuo studio ab eodem adornata est. Ac profecto non longe abest a veteris poeseos sanitate & gravitate. Hanc Torquatus noster æmulatus est elegantissime.

Pag. 87 *Præbentibus*. Legit H. Grotius *ferientibus*. Sensus est: Arbores horrent ipsæ per se, quin aura agitentur terrorem sibilis incutiente.

Putrique &c. Robora nimirum putrefacta, & exesa pallore ipsa suo augment formidinem.

Non vulgatis &c. Non ita milites metuunt numina, quorum figuras in fanis novere, ut ignotos sibi luci deos.

Pag. 88 *Silvaque Dodonis*. Scilicet ingentes quercus Jovi Dodonæo sacræ.

Plebejos &c. Quod nempe cupressus, utpote rara arbor, divitum tantummodo feretris intexeretur.

Et tantum miseris &c. Loquitur ex Stoicorum sententia, me ipsos quidem deos posse quidpiam in improbos, si fato

prospero nati fuerint; posse autem in miseros, quod fato miseri sint.

Annum &c. Agricolaë scilicet raptis sibi plaustris & juven-
cis, quibus cæsæ arbores veherentur, fleverunt annum soli
vacantis ab aratro, h. e. annum sterilem.

Stellatis axibus &c. H. e. Tignis, scilicet, seu trun-
cis arborum cancellatim in stellæ modum dispositis, directis,
transversisque, quibus aggerum latera colligabantur, & mu-
niebantur.

Causa reperi latentis. Ità enim promovebantur, ut sua
sponte procedere viderentur, utpote quæ funibus nervisque
latentibus agebantur.

Pag. 89 *Ballistæ.* Machinæ bellicæ jaciendis longe saxis, &
sagittis eminus intorquendis aprissimæ.

Testudine. Testudo proprie est machina lignea subjectis
rotis, quæ tegmentis suis testudinis tergum referebat, te-
gebatque milites, ut tutiores essent. Hic autem significat se-
riem scutorum dispositam supra capita in motem squamma-
rum, quæ protecti milites sagittas, saxa, telaque alia decli-
nabant.

Vinea. Machina tabulatis, cratibusque constrata, cujus
pluteis, h. e. tabulis, & asseribus protecti milites murorum
fundamenta subruabant.

Pag. 90 *Aries.* Trabs ingens, adunco præmunita ferro, & arie-
tis formam referens.

Stabilis . . . area. Compingitur in modum aræ ac sta-
bilis basis, ut in ea naumachia edi posset & pugna scataria.

Pag. 91 *Stæcados arva tenens.* Stationem ad insulam Stæca-
da habens.

Et emeritas &c. Sic naves vocat per vetustatem inutiles,
quas reficiunt, ducta metaphora a militibus, qui emeritis
stipendiis ab armis tandem conquiescunt.

Et plures &c. H. e. & quæ pluribus remis aguntur, quin-
queremes.

Ordine contentæ &c. Biremes Liburnæ celeres, a Liburnis
pop. Dalmatiæ, quibus in usu erant, dictæ. *Crevisse.* At-
tollere sese.

Pag. 92 *In transtra cadunt.* Remis insurgunt, deinde in
transtra cadunt diductis ad pectora remis.

In puppim &c. Congressus impete repulsæ dissiluisse in
puppim.

Laxata classe. H. e. Latius extensa.

Quoties astu &c. Remis hinc inde impelluntur maris fluctus in diversas partes, non secus atque venti, ubi in contrarium ab æstu maris aguntur, undas rapiunt.

Percussa &c. Naves in robustam & firmam Bruti prætoriam actæ rostris infixis illi adhæsere velut captæ.

Pag. 93 *Nullique perempti &c.* De puppe ita prominentes pugnabant, qui caderent, non in navem suam, sed in hostilem caderent, vel in mare.

Irrita tela &c. Frustra jacta in eos, qui pugnant e navibus.

Aplustre. Ornamentum navis, quod summo malo imponitur.

Telis. Duobus ex oppositis partibus eodem tempore conjectis.

Telonis. Massiliensis navis gubernatoris.

Pag. 94 *Gemini.* Idest gemelli.

Mixtis obliquo &c. Implicitis pectinatim remis duarum navium, Romanæ & Massiliensis.

Pag. 95 *Jam clipeo &c.* Destitutus jam sinistra, quæ clipeum, dextra, quæ tela gestaret.

Foros. Fori in navibus sunt tabulata, per quæ nautæ discurrunt.

Animæ. H. e. Sanguinis, in quo vita.

Pag. 96 *Vix omnia &c.* Vix abstulerunt, tradideruntque morti.

Diversæ. Ex oppositis partibus inter se concurrentes.

Æra. H. e. Ærata rostra. *Eliso.* H. e. Contuso.

Postquam inibent &c. Inhibere remis puppes perinde est, ac navem ad puppim convertere.

A manibus &c. Avulsi a manibus suis rati inhærentibus.

Pag. 97 *Sidentia possum.* Subsidentia, vel sub pedibus jacentia.

Nulla tamen &c. Nulla tamen lues edidit majorem cladem, quam pelago diversa lues; h. e. ignis aquæ contrarius.

Utuntur pelago. Mergunt hostem in mari.

Pag. 98 *Et nimis adfixor &c.* Et anchoram sub aquis solvere, si fune refigi non posset.

Non perdere letum. Ne morerentur inulti.

Et rostris abstulit ictus. Vulneratorum corporum objectu.

Glande petens &c. Plumbo glandis instar e funda Balearica excusso. Vide pag. 21.

Pag. 100 *Animam morti &c.* Non commisit animam morti uni, h. e. non una morte contentus fuit, ut nati letum præcedere festinaret.

IN LIBRUM QUARTUM.

Pag. 102 *Afranius* &c. Afranius, ac Petrejus legati Pompeji in Hispania bellum gerebant.

Gallorum Celtæ. Celtæ, qui in Iberiam migrarunt, Celtiberi sunt appellati. Celtæ enim nostra lingua Galli dicuntur, ut Cæsar inquit.

Nam gurgite mixto &c. Sub Ilerda influit Iberum, qui fluvius adimit nomen Cingæ, dat Iberiæ.

Pag. 103 *Dum prima* &c. Prima & secunda acies ante stabant, & in armis erant; acies interim tertia opus in occulto faciebat, quod omne prius est perfectum, quam ab Afranio intelligeretur castra muniti.

Et raptò &c. Celeri cursu Afranii cohortes quædam tumultum priores occupant.

His virtus &c. *Miles ruper* &c. Cæsariani.

Irritus. Re infecta. *Victor subducto* &c. Dirempto prælio, utrique se superiores discessisse existimaverunt.

Pag. 104 *Atque omnis* &c. Atque omnis tellus Hesperiae, Occidenti, quo mergi videntur stellæ, subiecta, aruerat constricta hyberno gelu & frigore.

Sed postquam &c. Postquam vero Sol ingressus est signum Arietis, quo vectus Phryxus pontum transfretasse fingitur, delapsa sorore Helle, quæ ponto nomen reliquit, &c.

Tunc Sole relicto &c. Luna scilicet recedens a conjunctione cum Sole, & exiguis cornibus, ac proinde dubiis, apparet, &c.

Flammasque &c. Calorem ac ruborem venti, pluviaeque præsagia.

Primus. Oriens, seu matutinus.

Quidquid defenderat Indos. Quæcumque nubes Solis æstum Indis arcuerat.

Oriente remota. Euri impetu actæ ex Oriente.

Calpen. Hispaniam, ubi Calpe promontorium Bætici, una e columnis Herculis.

Congestumque &c. H. e. congeriem nubium.

Pag. 105 *Diffusum* &c. Aquas e cælo lapsas cælo reddidit.

Non deest &c. Sunt qui famem patiantur ipsi, ut panem suum pretio vendant.

Pag. 106 *Sic mundi* &c. Sic utraque zona frigida tenebris, & perpetuis imbribus obnoxia est; at suo frigore zonæ mediæ æstum temperat, ut interjectæ sint habitabiles.

Sic, o summe &c. Apostrophe ad Jovem, & Neptunum, cum voto ut bellum civile diluvio mergant. *Sorte secunda* &c. Cui in divisione regni Saturni contigit imperium pelagi sorte secunda.

Et par Phœbus aquis &c. H. e. Dispergendis nubibus, atque in raritatem & candorem vellerum attenuandis.

Pag. 107 *Primum cana* &c. Imperat Cæsar rates ex salicibus viminibusque contextis fieri, easque coriis bubulis circumdari.

Memphitis. H. e. Ægyptiaca; Memphis enim Ægypti regia fuit.

Succisum curvare nemus. H. e. Materiam ponti faciendo necessariam succidere.

In ultima mundi. In ulteriorem Hispaniam.

Pag. 108 *Jamque agmina summa* &c. Equitatus Cæsaris novissimum hostium agmen consecutus, premere eos, morari, atque iter impedire cœpit.

Nec liceat &c. Ne pereant ignavi & fugientes acceptis in tergo vulneribus, convertite; excipiantque adverso pectore tela.

Nec Romanus &c. Quotquot erant in utrisque castris Romani, se invicem agnoscebant.

Pag. 109 *Classica dent bello*. H. e. Imperator classicum canere jubeat.

Venturi discrimen &c. Hactenus quæ facta sunt excusari aliquo modo possunt. In posterum vero magnum imminet periculum: nam nisi abstinetur a bello, omnes manifesti scelere contaminari necesse est. *Periere latebra*. Jam se impietatis excusare non possunt, quia viderunt se contra necessarios arma ferre.

Nam postquam &c. Namque legatos ad Cæsarem de pace miserant, fidem ab eo de sua, de Petreji & Afranii vita petierant, se statim signa transluros promiserant.

Pag. 110 *Non potes* &c. Quod si causæ Senatus defensor non potes efficere, ut victo Cæsare libertatis patriæ victor redeas; saltem hoc potes, ut fide servata pugnes, dum vincaris.

Nullo discrimine. Pompejanos inter, & Cæsarianos.

Non hoc civilia bella &c. Civilia bella suscipimus, non ut vivamus, sed ut libertatem tueamur, vel pugnando moriamur.

Hostes nempe meos &c. Hostes fidem scelestæ & injustæ

causæ præstant; vos æquæ debitam proditis. Pro dedecus!
 Pag. 111 *Forsan quum* &c. Quum fortasse credas salutem a fide nostra pendere.

Fecit monstra fides. Petreiani, dum fidem jurejurando renovatam ducibus probare volunt, perpetrarunt monstrosas civium suorum cædes, quales Fortuna victoriæ insolens non exercuisset in hostes, deorum ira victos in ipsa confusione tumultuosi belli.

Ac velut occultum &c. Ac veluti sceleris periret laus, & gratia, si celaretur, &c.

Agnoscis superos &c. Deostibi faventes agnoscis, qui causam tuam meliorem, & feliciorem efficiunt, quod clementer egeris in adversariorum milites, qui in tua castra venerant, eosque dimiseris.

Pag. 112 *Campor equos obuius* &c. Equitatus Cæsaris pabulatione & aquatione prohibuit hostes; nec Cæsar passus est castrorum brachia ad amnium aut fontium ripas perducere.

Vincitur baud gratis &c. Frustra vincuntur, & cum damno victoris, qui desperati & sibi viles ruunt in arma.

Incumbet gladiis &c. Non incumbet gladiis, non gaudebit sanguine fuso, repetita particula *non*.

Pag. 113 *Si conscius* &c. Quod si victor sentiens se vulnus hosti inflixisse detrederet prælium, defervescunt mox sancio sanguis, robur, animus.

Puteusque cavati &c. Puteus in monte foditur, ut ad profunda campi descendat, quæ *fastigia* hic nominat.

Quoque minus &c. E gelidis fodinis subducti calorem aeris minus jam ferre poterant, & magis sitiebant.

Auxilium fecere famem. Esurie enim ipsa minus sitire sibi videbantur.

Pag. 114 *O Fortunati* &c. His feliciores poeta eos pronunciat, qui venenatis ab hoste fontibus extincti fuere; quod fecerunt in Romanos barbari hostes, Jugurtha rex Numidiæ, Mithridates Ponti rex, Juba Mauritaniæ.

Recisoque &c. Exulcerato nempe palato respirandi difficultate laborant.

Meroen. Nili insulam.

Pag. 115 *Securumque* &c. Permittimus te securum esse omnium periculorum, quæ a tergo ab Hispanis & Italis possent imminere.

Hoc hostibus unum &c. Quod incruentam tibi cedamus victoriam: quo facilius in nos debes esse, quod tuo obsecu-

* *ti sumus consilio*, qui omnem iniusti rationem vincendi sine sanguine.

Pag. 116 *Nobilis ignoto* &c. Consulum nomina inscripta cadis, atque testis vini annos indicabant; ac proinde quo magis erant ignota propter vetustatem nomina, eo nobilior vini qualitas habebatur.

Pag. 117 *Abest favor*. Studium scilicet partium; utercumque enim vicerit, ferent facile, alteri parti ob sacramentum vetus, alteri ob recens beneficium benevolentes.

Iadar. Flumen Dalmatiæ juxta Salonas mare Adriaticum influens, Occidentem versus.

Pag. 118 *Ut primum* &c. Ubi Antonius in Illyricæ terræ litore vidit socios sub Dolabellæ signis, & Basilum classis præfectum; conatus est novo fugæ genere evadere.

Neque enim de &c. Non in longitudinem extendunt carinam, aut puppim in latitudinem attollunt.

Sed firma &c. Sed contexunt scaphas navium magnarum circiter sexaginta duplici ordine collocatas, quas trabibus & catenis a fronte vinctas cratibus pluteisque muniunt: atque hæc ratis cuppis, idest scaphis, sustentata a remigibus, qui non videbantur, intra geminos scapharum utrinque ordines propellebatur.

Hoc ferit. Quod est intra scaphas.

Pag. 119 *Pace maris*. Quamdiu pax mari esset, hoc est, hostes abessent.

Odorata ... pinna. Ut cervos in veras plagas truderent, quoddam retis genus plumis versicoloribus atque ustulatis intertextum, ad eosdem terrendos, suspendebant.

Varis. Perticis, sive furculis, quibus eriguntur retia,

Loro. H. e. cauda.

Insula. Curicta.

Raptus. Res raptas, corpora scilicet & naves, quæ pertracta ad has cavernas, deinde iterum evomuntur.

Pag. 120 *Pupper*. Pompejanæ.

Vita brevis &c. H. e. Satis vixit, qui fatum imminens præoccupans sibi mortem consciscere potest.

Non cogitur &c. Mori cogimur: velle mori, non ita; neque enim cogitur voluntas. Verum quod urget necessitas, velimus; & in virtutem cedit necessitas. Quicquid necesse est, sapiens vult.

Pag. 221 *Cum senibus* &c. Parentibus & natis, quos Saguntinorum æquantes fidem trucidaturi essemus potius, quam in potestatem hostium venirent.

Pag. 122 *Agnoscere solis* &c. Iis solum licet agnoscere felicem esse mortem, quibus jam imminet fatum; victuros autem, quo diutius velint vivere, nequaquam dii sinunt illud idem agnoscere.

Flexoque Urse &c. Ursæ majoris plaustrum in Orientem conversum signum est præcipitantis noctis.

Sol Ledaæ &c. Periphrasis est Geminorum, in quorum ultima parte Sol erat, Cancrum jam jam ingressurus.

Nox tum Thessalicas &c. In Occidentem urgebat signum Sagittarii, quem Chironem Thessalicum fuisse volunt.

Pag. 123 *Concurrunt alii* &c. Concurrunt cæteri ejusdem partis milites, mutuisque concidunt vulneribus non aliter, quam fratres illi Terrigenæ nati ex Draconis dentibus a Cadmo sat-
tis. Ovid. Metam. 3, Sen. ædip. 720.

Dirum Thebanis &c. Eteocli & Polynici, qui simili fato mutuis vulneribus se confecturi erant.

Phasidos & campis &c. In Colchis, quorum Phasis fluv. clarissimus, periit per mutua vulnera fratres Terrigenæ nati e dentibus vigilis Draconis interfecti, satis ab Iasone, in se invicem irruentes coniecto ab Iasone in medium silice, & carminibus magicis Medæ auxiliariis. Ovid. Metam. 7.

Haud trepidante &c. Neque minori vi & ferientes adigebant tela, id pietatis loco ducentes, uno idu conficere.

Pag. 124 *Bustisque remittunt* &c. Comburenda ac sepelienda Opiterginorum cadavera curaverunt hostes, mirati tantæ apud suos auctoritatis esse Cæsarem, tantam militum in ducem fidem. *Virtus & in boste probatur.*

Libertas uritur. Opprimitur ab armatis.

• *Non sequeior illo* &c. Neque bello minus atroci atque adverso a Cæsarianis in Africa pugnatum est, quam fuerat in Hadriatico. In Africa quoque (inquit Florus) par & virtus & calamitas Cutionis fuit, qui ad recipiendam provinciam missus, pulso fugatoque Varo jam superbus, subitum Jubæ regis adventum equitatumque Maurorum sustinere non potuit. Patebat victo fuga, sed pudor suasit, ut amissum sua temeritate exercitum, morte sequeretur.

• *Nec fortis* &c. Levi & secundo vento.

Pag. 125 *Partes.* Legendum *patres.*

• *Cæloque popercit* &c. Male cessisset diis, si & hunc socium habuissent Gigantes, ubi in Thessalicis campis bellum cælo inferebant.

• *Cleonei.* Nemeæ sc. a se inter Cleonas & Phliuntem cæsi.

Pag. 126 *Exhaustique virum.* Defatigavit Antæum.

Ra-

Rapit avida &c. Coercet, sistit sudorem Antæi: renovantur vires: artus restituuntur in solidos jam & duros.

Quamvis rudis. Adhuc inexercitatus, quod is labor inter primos numeretur.

Noverca. Junoni Herculis interitum anquirenti.

Siccam quum &c. Non ita sudoribus exhaustam, quum Atlanti succurrens sustineret humeris cœlum.

Pag. 127 *Pœnum . . . hostem*. Hannibalem 16 jam annos in Italia bellantem vincentemque revocavit in Africam ad sua tutanda.

Pag. 128 *Regis tamen* &c. A Juba tamen rege Mauritanæ, socio & amico Pompeji, auxilia petiit, atque accepit primum DC equites Numidas & pedites CCCC, mox regem ipsum cum magnis copiis.

Qua sunt longissima &c. In longitudinem extenduntur ab ultimo litore occiduo, qua Atlante terminatur Africa long. gr. 6, usque ad Hammoniacam regionem long. gr. 55.

At qua lata &c. Secundum latitudinem dicit Juba regnum extendi ad zonam torridam & ulterius.

Distinet. Hinc inde tenet & exporrigitur sub torrida zona.

Numidaeque vagi. Nomades, domos plaustris circumferentes.

Ferrique simul &c. Leonum summa vis in oculo creditur. Ubi ergo amisit Afer fiduciam ferri, contra impetum ingruentis leonis sagum objicit.

Dum regnum &c. Dum unius (Cæsaris scilicet) dominationi Romam subjicere parat.

Pag. 129 *Et quod Cæsareis* &c. Trepidat etiam Curio, quod parum confideret militibus suis, qui nec umquam satis fidi fuerant castris Cæsareis, nec sub eo in Gallia & Germania militaverant; sed tyrones erant: & capti in arce Corfinii, Domitio duce suo Cæsari tradito, ut fas sibi putaverant fidem prius Pompejo juratam deserere, sic etiam poterant infidi Cæsari & Curioni, novis ducibus, ad prioris ducis signa reverti.

Quum dira &c. Quando statuunt testis gladiis ad hostes meos deficere.

Veluti fatalis &c. Sic in muneribus gladiatoris, non odium aut simultas committit gladiatores in lethale arenæ certamen, sed ipsa parium compositio & æmula virtus.

Hoc solum &c. Improvisus hæcenus hoc solum timebat, ne a Curione timeretur, atque ita prælii & rei gerendæ non daretur occasio.

Lucanus .

C

Pag. 130 *Ipsæ cava* &c. Rex cum omnibus copiis insequēbatur, & sex millia passuum intervallo a Sabura consederat.

Aspidæ ut Pharias &c. Neque aliter Curionem delusit Juba, quam solet Aspidem Ægyptiæ Ichneumon; quam hebetes habentem oculos, eosque non in fronte sed in temporibus, Ichneumon caudæ suæ umbra provocat; attollentem autem ictus irritos in vanas auras, obliquo capite speculatus, invadit, ejusdemque guttura tuto morsu comprehendit.

Frustraque rogatus. A Cn. Domitio præfesto equitum.

Bellumque trahēbat &c. Namque ipse Curio primus belli civilis Auctor fuerat.

Pag. 131 *Non timidi petiere fugam*. Lassatis sc. ex itinere & prælio nocturno equis. *Non prælia fortes*. Consumptis nempe labore viribus.

Non sonipes &c. Nec quatit equus pulsus saxa, impatiens freni, nec spargit juba, nec subrigit aures, nec pugnat ne loco stet.

Pag. 132 *Sed tempora* &c. Tempus, quod pugnando conterendum fuisset, occidendo consumptum est.

Suos inter convertitur enses. Densaturque globus. Suorum, globo condensatorum; dum ii, qui ab exteriori parte globi erant, referrent pedem cederentque introrsum ad declinandos hostium ictus.

Libyca tellure. Glareanus exponit, quod Poeta velit, tum Pompejum, tum Senatum tam pium ac magnanimum videri, ut malit Aftos vincere Romanos sibi, quam Pompejo ac Senatui.

Pag. 133 *Quid prodita jura* &c. Curio tr. pl. Cæsari prius inimicissimus tuebatur jura Senatus; mox ab eodem Cæsare liberatus ære grandi alieno, auroque corruptus, Senatus causam turpissime deseruit, & pro Cæsare acerrime stetit.

Bellum civile. H. e. Belli civilis exitum.

Quando non proderit &c. Nil enim proderit, me Curionis virtutes & merita silentio premere, quæ certe ipsa per se effugient omnium oblivionem temporum.

Pag. 134 *Jus licet* &c. Sulla quidem, Marius, Cinna &c. vi oppresserunt libertatem, invaserunt Rempublicam; neque id tamen sine summa impensa largitionum & stipendiorum: illi emerunt, hic vendidit.

 IN LIBRUM QUINTUM.

Pag. 136 *Gelidoque cadens Atlantis &c.* Cave illud *Atlantis* secundo casu accipias; est enim Patronym. Fœm., & perinde est ac Maja, vel alia e filiabus Atlantis. Occidunt autem Atlantides, seu Pleiades circiter III Id. Novemb.

Dies, qui dat &c. Cal. Januarii, quo die creabantur novi Consules, eorumque nomina præfigebantur sui anni Fastis.

Dum tamen &c. Nondum plane peracto potestatis suæ Consularis tempore.

Non Magni &c. Non convenisse omnes in partes Pompeji, sed & ipsum Pompejum fuisse partem Senatus.

Nec iniquos &c. Æquinoctialis circulus non patitur noctes ac dies inæquales esse.

Pag. 137 *Curia solos &c.* Illa, quam Cæsar habet, curia non videt alios Senatores, quam eos, quos in exilium olim missos, & ambitus, majestatis læsæ, alteriusve noxæ damnatos, Cæsar urbi restitutos revocavit.

Hesperien. Italiam, & Hispanias amissas.

Hostem. Cæsarem, quum primum invaderet urbem Romæ.

Pelagique potens &c. Classe potens, ac templo Phœbi clara.

Massiliaque sua &c. Phocis regio in Bœotia, a qua Massilienses sunt oriundi, donata est libertate.

Gelida . . . ora. Macedoniæ, quam, ob Thraciam vicinam, *Frigidam* nominat.

Pag. 138 *Et tibi . . . permissum &c.* Invehitur in Ptolemæum Auletæ filium, qui adhuc puer Pompeji rogatu confirmatus Ægypti rex a Romanis, coronatusque diademate Alexandri Magni in Pella Macedoniæ oppido nati, & Alexandriæ in Ægypto conditoris; quum fidus caussæ Senatus esse debuisset, Lagi (avi sui) regiam h. e. Ægypti regnum Cæsari donavit, & Pompejum ad se confugientem scelerate trucidavit.

Sorori. Cleopatrar, quæ regni cum fratre hæres a patre relicta fuerat.

Soceroque nefas. Pompeji cædes subtracta Cæsari.

Cui numine mixto &c. Communi cultu Thebanæ Menades, Bacchi ministræ, tertio quoque anno Delphis celebrant sacra in memoriâ victoriæ Indicæ a Libero patre trienni expeditione partæ; hinc dicta fuere *Trieterica*.

Utor ibi &c. Hic Apollo juvenis, ulturus Pythona, qui Junonis jussu Latonam gravidam e Jove, & partui vicinam persecutus fuerat, interemit.

Pag. 139 *Hominis*. Phœbadis, virginis Pythiæ.

Forſan terris &c. Densior fortasse aliqua & potentior pars inest, exspiratque ex hoc antro Delphico, cœlestis illius mentis & animæ mundi, quæ infusa in omnes mundi partes eum librat, regit, fovet, vegetatque; & cum superiore illo aere coit, & menti divinatori consonat.

Inarimes. Insulæ in litore Campano. Virg. Æn. lib. 9.

Inarime Jovis imperiis imposita Typhæo.

Ab humani &c. Non admittit vota impia.

Ut Tyriis. Cadmo videlicet, vel Didoni.

Pag. 140 *Dedit ille* &c. Idem Apollo docuit Athenienses, Persici belli minas qua ratione repellerent: qui ligneis mœnibus, idest navibus, se tueri jussi devicere Xerxem navali pugna ad Salamina.

Sustulit iras &c. Sic Ægypti sterilitas e siccitate 9 annorum sublata, *monstrato fine*, idest modo piandi, Thræsez nempe a Busiride cæso.

Resolvit &c. Pestis remedium denuntiat; uti Thebanis, in exilium misso eo, qui Laium interfecerat, Senec. Œdip. Romanis vero, Æsculapio accersito ex Epidaur. Liv. 10.

Justitio. Silentio: *transl.* a juris dicundi intermissione. *Vel pretium*. Prout vel ab irato, vel a benigno Numine inflabantur Phœbades, mors erat illis vel pœna, vel præmium.

Deis immittere &c. Idest deum immittere in Phœbadem.

Phemonoen. Phœbadem aliquam. Phemonoe autem prima erat, quæ ex Oraculo Delphico vaticinata est.

Pag. 141 *Seu barbarica* &c. Delphi a Brenno incensi. Locus autem ipse Πυθιά a Græcis dicitur.

Tenuere. Obstruxere.

Pag. 142 *Aliena*. Non jam sui juris, sed Numinis instinctu agitata.

Qualis in Euboico &c. Uti Sibylla &c. e factorum cumulo Rōmanā tantum novem libris complexa est, quos Tarquinio Superbo obtulit; ita &c.

Pag. 143 *Vindictis an* &c. An taces, quo melius fortuna exagat a Cæsare pœnas belli civilis, & Rempublicam in libertatem vindicet, interfecto a D. & M. Brutis Cæsare; ut vindicavit olim exactis a Junio Bruto Tarquiniis?

Pag. 144 *Levant* &c. Idest sedant vatis animum.

Lethen. Oblivionem scilicet.

Vixque refeſta cadit. Numine prius agitata, illo abeunte, viribus deficit.

Subſidere regnum. Tibi ſubjicere.

Rhamnus. Atticæ pagus, ubi colitur Nemesis ſuperbiæ & insolentiæ vindex, quæ & hinc dicitur *Rhamnusia*.

Aulin. Portum Bæotiæ, Græcorum contra Trojam conjuratione, & mora classis Græcæ nobilem.

Pag. 145 *Venditat.* Alii legunt *vindicat*. Idest, asserere vult, missionem petit.

Quam non ex ſtabili &c. Idest, quam lubrica eſſet ejus potentia, & quam inconstans, & infirma.

Sequo putat &c. Putat ſc. ſe unum moleſte ferre iniquum tyrannidis onus, quod tamen citra certum pœnæ periculum haud poſſit excutere.

Pag. 146 *En! improba vota.* Ironice: quantum eſt hoc votum?

Non duro &c. Liceat tandem molliter requieſcere, & mori, non jam in pugna ferientes anima fugiente terram, ſed inter propinquos, mœſtasque conjuges.

Uſque adeo &c. An putas nescire nos, in civili bello duceſſem vel ſceleſte interficientibus maximam fore mercedem? His autem verbis eadẽ minitantur Cæſari.

Pag. 147 *Fortuna vocatur.* Idest felicitati ſuæ tribuit.

Quando pietasque &c. Ubi in ducibus deficit pietas, & fides in patriam ac cives ſuos, ſperemus a perfidia & rebellionẽ militum finem civilis belli.

Venit. Ex Maſſilia ſumma celeritate Placentiam venit, ubi jam coorta fuerat militum ſeditio.

Sanatimetur. Pacem appetens, deteſtata bellum ſceleſtum.

Lassare &c. Afficiaris tandem belli tædio, & diſcas armis abſtinere.

Pag. 148 *Veluti, ſi* &c. Sensus eſt: Ut nil imminueretur mare, fluminibus cunctis ſuas aquas eidem ſubducentibus; ita nihil ego detrimenti caperem, viribus veſtris mihi ſubductis.

Numquam ſic &c. Cura deũ numquam ad tam vilia deſcendet, ut plebem reſpiciat: principes tantum viros eadẽ intuetur: humanum vero genus in paucorum utilitatem vult vivere, paucis ſervire.

Pag. 150 *Ad ſcelus hoc.* Ad interficiendos eos, qui primi miſſionem & pacem optaverant.

Jugulos &c. Nonæ legionis, quæ ſeditionis cauſſam inprimis præſtitit, decumatione conſtituta, gemitu ab omni-

bus edito, Prætores genibus affusi veniam suppliciter ab ipso deposcebant. Cæsar tandem vix ira posita hoc concessit, ut C dumtaxat & XX seditionis principes ab omnibus eligerentur, & XII ex his a cæteris selecti supplicio afficerentur. Appian. 1 de bello civ.

Decimis . . . castris. Decem dierum itineribus.

Montibus. Gargani, qui mons est Apuliæ, hinc Austro e Calabria, inde Boreæ e Dalmatia flanti expositus; cui subiacens promontorium in mare Hadriaticum extenditur.

Toga. Pacis auctori Cæsari jam togato.

Summo Dictator &c. Neque Senatu, aut Consule illum diligente, seipsum Dictatorem nominavit Cæsar: undecima deinde die Dictaturæ se abdicavit, postquam se & P. Servilium Coss. creasset.

Gladiis &c. Imperatorum insignibus insignia Consulium.

Fingit &c. Imaginaria quædam Comitiorum in Campo habetur species: citantur a præcone tribus, neque tamen conveniunt, aut admittuntur ad distincta suffragia; quæ Cæsar omnino sustulit.

Pag. 151 *Haud meritum &c.* Indignum sacris, quia Latii libertatem non defenderat.

Minoia. A Cretensibus, quibus Minos imperavit, condita.

Pag. 152 *Flexo . . . cornu.* Obliquato in longitudinem navis velo.

Levo pede. Pedes proprie sunt funes ad angulos velorum.

Non valet &c. Adeo posuerant venti, ut aura, quæ primum puppes impulerat, iisdem lentior evaserit.

Non horrore tremit &c. Sed jacet immota unda, ut ne Solis quidem imaginem huc illuc agitaram ac tremulam in aquarum superficie vibret. *Solis imaginem* hoc loco Lunam intelligit, quæ lucem suam a Sole accipit: navigabat enim nocte, ut modo dictum est.

Pag. 153 *Classes.* Pompejanæ remigiis & celeritate præstantiores.

Naufragii &c. Fræ sæva illa tranquillitate maris vel ipsius naufragii periculum libenter subiissent.

Movitque &c. Moveri videbantur, quum naves ventis agitarentur.

Prima ducos &c. Cæsar ad fluv. Apsum castra posuit, Pompejus trans flumen.

Causa &c. Palus, quæ leniter se in Apsum exonerat, navigabilem illum efficit.

Pag. 154 *Relicta.* Brundusii, cum Antonio.

Leucada. Aëtiacam pugnam, quam inter Leucada & Aëtiū gessit postea cum Octavio, a quo superatus ipse, & Cleopatra.

Non ire, jubet. Venitur ad amicos, itur ad hostes, aut in vacua.

Pag. 156 *Nam sol* &c. Sol enim occidens nec rubescentibus circumdatus nubibus, nec *concordes* ferens *radios*, sinistra tempestatis indicium est.

Non gracili &c. Non tenui, sed obtuso & crasso cornu, nubeculisque in orbe medio obfuscata surrexit.

Pag. 157 *Nec ratis* &c. Non jam ratis, sed ne naufragi quidem nos ipsi tangemus Hesperiam.

Pag. 159 *Mansisse loco.* Intra sua litora & metas coercitum fuisse. *Nam parva* &c. Non raro enim diversa maria ventris rapta miscentur aliis; uti Tyrrenum Ægæo, Ionio Adriaticum.

Alioque &c. Sed ab alia orbis parte & Oceano, qui terram ambiens plenos belluis horrendis fluctus immisit.

Pag. 160 *Non cæli* &c. Nox illa non tam cæli conversioni tribuenda, quam densissimis tenebris a tempestate coortis.

Fluctusque &c. Quominus fluctus quis evertat navem, obstant fluctus alii. Sed Grotius pro *fluctus* vult *fluctum*.

Pag. 161 *Jussa plebe.* Coacta plebe ferre suffragia.

Nulla meis &c. Tot tuli & tam insignes honores, ut nemo putet me mori privatum, nisi tu, Fortuna, quæ sola me regis potestatis cupidissimum nosti.

Pag. 162 *Nullusno* &c. Nemo erat e tuis tam bene de te meritis, ut eum nolles tibi fluctibus oppresso esse superstitem?

Sors ultima &c. Extrema necessitas & vitæ desperatio solet homines in extrema pericula præcipitare. Te vero jam mundi dominum quæ necessitas impulit, ut vitam fluctibus committeres?

Pag. 163 *Hesperii.* Qui erant Brundusii, Antonius, Gabinius, & alii.

Littera. Γ. Δ. Α. vel alia figura, quam prius referebant.

Prætereunt &c. Hæc aliter referuntur lib. 3 Comment. de civ. Bello.

Succedens &c. Immo succedens Austro Africus Nymphæum fecerat portum, idest tutum a ventorum injuria. Errat igitur Noster, juxta *Grotium*.

Pag. 164 *Sola fuit.* Fuit in caussa, quod prælium distuleris.

Positamque &c. Si mihi in prælio sit occumbendum, le-

vior ad te semotam, quam præsentem venturus est dolor.

Pag. 165 *Nil mihi* &c. Non est, cur incusem deos, aut fata; sed te, qui me vulgari admodum sorte, hoc est, quasi divortio dimittis.

Secura &c. Quomodo sors mea secura, quum mori cupias? Deinde utut nolim infelicitè superesse tibi, superes saltem, dum tuæ cædis nuntius adveniat.

Pag. 167 *Sed non* &c. Sed tristius quippiam parabant fata; recepit quippe illum citius quam expectabat, victum scilicet, profugum, & brevi coram interficiendum.

IN LIBRUM SEXTUM.

Pag. 168 *Postquam castra* &c. Cæsar & Pompejus e castris ad Apsum fluvi. pag. 153, suas copias eduxerant: alter, ut Antonium ex Brundisio venientem interciperet; alter, ut se cum eodem conjungeret. Sed Antonius Pompejum elusit; isque, ne duobus exercitibus, Cæsar's scilicet & Antonii, circumcluderetur, ad Asparagium Dyrrhachinorum direxit iter, atque ibi castra posuit: eodem & Cæsar profectus cum exercitu castrametatus est. Hic Socer pugnae copia nequicquam Genero facta, signa movet, & Dyrrhachium versus proficiscitur, in quo Pompejus omnem apparatus belli, tela, arma, tormenta collocaverat. Cæsar's consilio, per exploratores cognito, eundem Magnus expeditiore juxta litus via antevertere nititur. Verum ubi propositum tenere non potuit, edito colle, qui appellatur Petra, castra communit; & ex eodem urbem Dyrrachii vel solis turribus, & loci natura tutam defendit.

Parque suum &c. *Par* interdum pro duobus neutro genere sumitur. Sensus igitur hic est: Postquam viderunt dii par dignum sui, vel dignum quod intueantur ipsi, Pompejum scilicet & Cæsarem &c.

Pag. 169 *Ephyreaque mænia*. Dyrrhachium, a Phalio quodam conditore, qui Corinthius: Chorus autem *Ephyra* dicta erat ab Ephyra nympa, Oceani & Tethyos filia.

Nam clausa &c. Nam in rupibus sitam & mari undique circumdatam exiguus collis, quo Continenti jungitur, eam facit peninsulam.

Pag. 170 *Metallis*. Fodinis, seu venis lapidum.

Magnoque recessu &c. Quot millium passuum circuitu Cæsar Pompejum clausit, non constat: ingentem certe fuisse credas; nam Pompejus interiore spatio castellis XXIV effectis, XV millia passuum circuitu amplectebatur, quo libere posset pabulari.

Nunc vetus &c. Troja, juxta Fabulas ab Apolline & Neptuno condita, XL millia passuum habebat in circuitu, & Babylon e latere cocto constructa stadia CCCL. Ait igitur Hyperbolice tantum spatii Cæsarem aggere suo raptim clausisse, quantum Troja, Babylon, Antiochia, & Ninus.

Refugi. Idest, simulata fuga prælii soliti.

Tanti periere labores. Incassum tot ac tanta opera mox peritura construxere Cæsariani milites: qui pari conatu potuissent maritima Hellesponti oppida, Seston & Abydon, conjungere; Hellespontum ipsum, quem Phryxus transfretavit, injectis terræ molibus obstruere; Peloponneso Ephyren, idest, Corinthum abrumpere, Isthmo perfosso; eundemque perivium navibus reddentes efficere, ne amplius opus esset longa & flexuosa navigatione circuire Maleam, Lacedoniæ promontorium.

Pag. 171 *Aut vaga* &c. Maris æstum sævientis adversus litus Rutupinum in Cantio vix audiunt Britanni Caledoniæ, regionis in media fere Scotia positæ.

Tendat. Extenuet.

Quoque modo &c. Quanto scilicet spatio Roma abest ab ostio Tiberidis, si directum limitem metiamur, non obliquum.

Major cura &c. Pompejum lues, Cæsarem fames.

Pag. 172 *Advektor* &c. Sensus forte est, culmorum aridorum satis fuisse in præsepibus, sed ab equis desiderari herbas *novas*, sive virides.

Antraque &c. Speluncæ Inarimes insulæ impostæ Typhæo, qui sulfureos atque pestiferos vapores emittere dicitur.

Cæloque &c. Aqua, quæ facilius aere corrumpitur, contracto lethali cæno obstruxit & infecit viscera.

Sacro . . . morbo. Sacro igne, sive exsecrando.

Pag. 173 *Saturum* &c. Commeatu abundantes Pompeji copias Cæsariæ penuria laborantes acriter obsident. *Audiebantur* (inquit Cæsar lib. 3 de Bello Civ.) *crebra militum voces, prius se cortice ex arboribus victuros; quam Pompejum e manibus dimissuros.*

Qua Minuci &c. Qua nempe parte Minuci castella militum præsidio carent. Hunc porro Minucium & Cæsar, & Florus, & Noster Scævam appellant.

Pag. 179 *Adest*. Sensim corrodit.

Incursu gemini Martis. Idest, terra marique.

Pag. 180 *Segnius* &c. Non segnius, quam nauta solers tempestatem ad Circæum in mari Tyrrheno ingruentem prævidens vela contrahit, Torquatus revocavit agmina in interiorem aggerem.

Ante aciem. Ante pugnam cum hoste consertam.

Totus &c. Hic debellatum fuisset, confectumque civile bellum magna Cæsarianorum cæde, nisi Pompejus suas copias a persequendis hostibus repressisset: adeo ut suis amicis ipse Cæsar dixerit: *Penes hostes bodie fuisset victoria, si ducem vincere scientem habuissent*.

Pbario &c. Ptolemæo rege Ægyptio, cujus permissu jusque proditus, & interfectus est Pompejus.

Pænorumque &c. Neque Scipio Pompeji socer, penes quem in Africa reliquiarum Pharsaliæ & imperii summa erat, ferro suo trajectus & in mare præcipitatus retulisset inferias umbris Pænorum in secundo & tertio bello Punico gentis suæ auspiciis interfectorum.

Pag. 181 *Exire e mediis* &c. Idest, si oblata sibi fortuna Magnus scivisset uti, nec Pharsalica pugna, elusis quodammodo fati ipsis, deinceps accidisset; nec ingentes illæ clades, de quibus supra, patratae fuissent.

Candavia. Mons Epiri, Illyricum a Macedonia dirimens.

Thessaliam &c. Quinque montes, Ossa, Pelion, Othrys, Pindus, & Olympus Thessaliam intercipiunt: ab Ortus brumali Ossa, Pelion ab æstivo, Othrys a Meridie, ab Occasu Pindus, a Septentrione Boreas.

Pag. 182 *Japygia*. Ventum ex Apulia flantem.

Nec metuens &c. Qui ad Olympi radices habitant, ab Aquilonis sævitia tuti ob montis altitudinem, Cynosuram & Helicem videre nequeunt.

Æquorei. Utpote qui marinæ Thetidis filius.

Prima Rhæteia &c. Eminuit ex undis etiam Phylace urbs Phthioticæ regnata Protesilao, qui in bello Trojano prius Græcorum emicuit in litus Rhætei, Troados promontorii.

Dorion &c. Oppidum, juxta quod Thamyras a Musis in carminis certamen provocatis victus atque excæcatus.

Pretioque &c. Melibæa, Philoetæ patria, quem Hercules, incensæ ab eo in æta pyræ pretio, donavit sagittis; sine quibus Troja capi non poterat.

Echionias. Ab Echione, qui unus erat e Terrigenis, cujus opera usus Cadmus Thebas condidit. *Ubi quondam* &c.

Agave filium Pentheum per furorem, rata vitulum, laceravit: post id factum mentis compos Thebas fuga petiit, ubi exsequiis filio persolutis, cujus caput solummodo secum tulerat, querebatur se reliqua ejusdem membra non collegisse.

Pag. 183 *Aveſta* &c. Inachus, pater Ius ab Jove in vaccam mutata, mox in priorem formam restituta, & in Ægyptum aveſta. *Et tuus*, *Œneu* &c. Archelous, cui desponsata fuerat Dejanira Œnei filia, sed Herculi in luſta victori nupta.

Et Meleagream &c. Evenos fluvius (juxta quem Nessus Centaurus ab Hercule, quod Dejaniræ vim inferre conatus esset, cæsus fuit) per Calydoniam Meleagro olim regnatam labitur.

Famulantis &c. Ad Amphrysum enim Admeti armenta pavit.

Solus &c. Describit Titaresum in Peneum quidem incidere, neque velle tamen se illius undis immisceri, sed innatare superne; utpote qui ex Styge scaturiens, suæque originis memor dedignetur pati contagia vilis præ se fluminis, & vedit perinde, ac Styx, jurisjurandi religionem sibi servare: Stygia namque palus juxta Virg. Æn. l. 6, v. 323, ea est,

Dii cujus jurare timent & fallere numen.

Ixionidas &c. Hos ex nube sibi pro Junone supposita, Ixion genuisse fingitur in antro Pelethronii, Thessaliæ montis. Semiferi dicuntur, quia fuisse eos forma superne humana, equina inferne fabulantur. Ex illis nonnullos numerat, nempe Monychum, Rhoetum, Pholum, Nessum, Chironem.

Pag. 184 *Hesper* &c. Qui Herculi hospitium dedit in Nemeæum leonem proficiscenti.

Improbe &c. Nesse, qui quum transveſta a te per Evenum fluv. Dejaniræ vim inferres, ab Hercule sagittis Hydræ Lernææ felle imbutis trajiciendus eras.

Gelido &c. Qui nomine *Sagittarii* in hiemali circulo collocatus, arcu Thessalico videris petere Scorpion duorum signorum spatium occupantem.

Primus &c. Hic percussa tridente petra Neptunus produxit bellatorem equum, cui nomen Scyphius.

Unde &c. In memoriam Pythonis ab Apolline cæsi instituta fuere Pythia certamina, quorum præmium laurus.

Impius &c. Alcæus Otum & Ephialten, gemellos fratres, auxilium Gigantibus in Superos afferre jussit.

Pag. 185 *Primis quid* &c. Quid nempe portendat oraculum Jovis, a columba seu muliere redditum e quercu in sylva Do-

donâ; quæ ante inventas fruges primis hominibus glandes suppeditabat.

Aut si quid &c. Aut si qua foret alia divinandi species occulta quidem, sed licita.

Hæmonidum &c. Thessalarum mulierum, quarum artes incredibilia efficiunt, superantque fidem.

Pag. 186 *Colchis*. Medea e Colchis huc ab Jasone advecta.

Aut quam &c. Turgidam quamdam carunculam intellige in fronte pulli equini, caricæ magnitudine, colore nigro, quam statim edito partu mater dentibus avellit & devorat; quam si quis præripuerit, seu prius abstulerit, pullum ad ubera non admittit: unde igitur jure pignus amoris appellatur. Hanc vero carunculam venificæ mulieres præripere solebant ad medicamenta componenda, quibus homines cogebantur amore furere. Sic Virgilius lib. 4, *Æneid.* v. 515:

*Quaritur & nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor.*

Traxerunt &c. In amorem traxere scilicet ope rhombi, muliebris instrumenti, cui involvebant Sagæ licia sive fila incantata, & eorum nominibus nexa, quos cogere volebant. Sic Ovidius lib. 1 *Amor.* el. 8, v. 7:

*Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis eque.*

Pag. 187 *Nubes* &c. Olympus, mons Macedoniæ, nubes cacumine superans, depressus arte magica easdem altiores se vidit.

Terra quoque &c. Terræ motu intremuit axis; terrarum vero orbis subsidens & medio loco dimotus permisit uniusloci incolis totius circumlabentis cœli prospectum.

Et pavet &c. Et magicis artibus incantatur serpentum genus omne, & adlethales artes instruendas adhibetur.

Pag. 188 *Phæbeque* &c. Luna vi magicorum catinum non aliter obscuratur, atque ubi telluris objectu Eclipsin patitur.

Damnaret &c. Tamquam nimium in se pietatis haberent.

Hæc autem primi nominis maga est.

Pag. 189 *Perversa* &c. A sepulcris, præpostero pompæ ritu, refert cadavera defunctorum, & ad vitam revocat.

Ast ubi &c. Ubi bustis conduntur non cremata corpora, ex quibus sensim humor intimus elicitur &c.

Pag. 190 *Insertum* &c. Clavos, quibus fixi, qui in cruce pendebant.

Morsusque &c. Ut major esset in beneficiis efficacia.

Pag. 191 *Ministri*. Sexti nempe Pompeji.

Philippus. Civitatem ad radicem Æmi montis Thraciæ, ubi videtur Noster innuere, pugnatum esse inter Pompejum & Cæsarem: ut etiam Virgilius & Georg.

Romanas acies iterum videre Philippi.

Et Ovidius & Met.

. *Pharsalia sentiet illum,*

Æmæthique iterum madefient cede Philippi.

At male confunduntur Philippi, & Pharsalia, quæ loca longe inter se dissita. Apud Pharsalum quidem in Thessalia victus est Pompejus a Cæsare: apud Philippos in Thracia detecti postea Brutus & Cassius ab Antonio & Octavio.

Pag. 192 *Si fata* &c. Si unius cujuslibet aut singulorum fata vel proferri, vel mutari posceres, *Pronum* &c.

Pag. 193 *Trajecto gutture*. Cujus guttur ipsa trajecerat.

Pag. 194 *Dubium est* &c. Num evocarit huc umbram, an ipsa ad imos Manes descenderit; quod sequens versus declarat.

Quis timor &c. Si ego ostenderem vobis omnia, quæ magis horrenda apud Inferos sunt, non tamen timendum vobis esset: quippe Manes me præsentem metuunt.

Virus . . . lunare. Spumam, seu salivam lunarem magnæ in magicis efficaciæ.

Nodus. Spina.

Pag. 195 *Et cervi* &c. Cervi spiritu serpentes e latebris extrahunt, cornu elidunt & vorant; atque hinc juvenescere creduntur.

Quaque sonant &c. Ætites, in aquilæ nido repertus lapillus, quasi prægnans, quassus quippe sonat. Plin. lib. 19, cap. 3. Feruntur autem aquilæ sine eo ova parere non posse.

Serpens. Jaculus, ex arborum ramis se vibrans.

Rektor terra. Plutonem significat, cui infera terra contigit, & cui vita tædio est.

Matremque &c. Cererem nimirum, quam repetita ab Inferis minime sequi curavit ad superos, degustatis septem mali punici granis. Virg. & Georg.

Nec repetita sequi curet Proserpina matrem.

Pag. 196 *Nostraque* &c. Hecate, quæ in Cælo Luna, in Terris Diana, in Inferis es Proserpina.

Janitor. Cerbere, Inferni janitor, umbrarum terror.

Repetitaque &c. Parcæ, in vitam revocaturæ cadaver istud.

Portitor. Charon, Stygis & Pyriphlegetontis portitor.

Pectora plena. Prægnantis mulieris.

Prosecta cerebro. Extæ quæ diis prosecuntur.

Pag. 197 *Vocisque* &c. Meæ nempe voci nondum obsecuta.

Jam vos ego &c. Non vos, ut prius, Eumenidas appella-
bo, sed Stygias canes; & excitatas in superna luce detine-
bo, neque ad Inferos reverri patiar.

Eloquar &c. Referam, quam vili cibo vescaris apud Infe-
ros, Proserpina. Hennæam hanc vocat Poeta ab Henna, Si-
ciliæ oppido, ubi rapta a Plutone fuit.

An ille &c. Demogorgon scilicet deorum Manium prin-
ceps, cujus nomen arcanum & ineffabile inter cætera deo-
rum nomina citare nefas, nisi summa urgente necessitate.

Qui Gorgona &c. Qui clipeum, in quo Medusæ caput est
homines convertens in lapides, sine periculo cernit.

Pag. 198 *Ne parce, precor*. Precor, ne verearis vera proloqui.

Pag. 199 *Diversi*. Ex diversis emigrantes locis.

Lustrales &c. Nam se Decius uterque dovoerunt pro
exercituum salute in bellis contra Samnites.

Sullam &c. De Fortunæ iniquitate queritur ob partes pa-
tricias a Cæsare oppressas, in quibus & filius ejus Faustus
cum suis interceptus periit, orta inter exercitus dissensione.

Scipio. Scipio Æmilianus deplorat L. Scipionem Pompeji
socerum periturum in Africa, quam ipse debellaverat.

Solum &c. L. Junius Brutus, regum exactor, ea spe du-
ctus exsultat, quod Cæsar a nepotibus suis M. & D. Bru-
tis interficiendus esset.

Nudique Cethegi. Vide pag. 61.

Drusus. Livius Drusus Trib. pl. populi & Sociorum fa-
vorem emeriturus legem Agrariam & Frumentariam perferre
conatus est, & Socios ad spem civitatis erexit: domi suæ
postea occisus.

Gracchor. Tib. & C. Gracchi fratres, Tribuni plebis, se-
ditionibus vexarant Rempublicam, promulgatis legibus Agra-
ria, Frumentaria, Judiciaria.

Camposque &c. Damnatorum Manes poscunt sibi Elysium,
ut novis e bello civili advenis locus sit apud Inferos.

Pag. 200 *Qua misceat* &c. Qua inter se digladiabuntur acer-
rime Pompejani & Cæsariani.

Magnoque &c. Utcumque magni funeris pompa carentes,
forti tamen animo subite mortem; vos enim patriæ liberta-
tis propugnatores calcabitis oppressores ejusdem, Jul. nem-
pe Cæsarem aliosque Imperatores, qui superstitiose in
deorum etiam numerum referentur.

Distribuet &c. Pater cadet circa Libyen in Alexandrino
litore; ex filiis alter, Cnejus nomine, peribit ad Mundam

in Hispania victus a Cæsare; Sextus vero in Asia, interceptus ab Antonianis militibus, interibit.

IN LIBRUM SEPTIMUM.

Pag. 201 *Numquam magis* &c. *Numquam magis æthera contra*, sive diurnam cœli conversionem* & poli, ab Ortus in Occasum fieri solitam, Sol ipse suos egit equos, ab Occasu in Ortum annuo motu se rotans: ex quo factum, ut segnior Oceano surgeret.

Pag. 202 *Non pabula* &c. Non jam nubes attraxit, ut præberet suis flammis alimenta, sed ne puris conspicuus radiis pugnae Thessalicæ interesset.

Pompejani. A se nimirum exstructi.

Et quæcumque &c. Ex urbe & Italia proscriptus fugiens in Hispaniam Sertorius bellum ingens excitavit; quem 24 annos natus vincens Pompejus occiduas regiones illas pacavit.

Pura &c. Non minus conspicuus clarusve toga candida & pura, qua etiam dum novus pene tyro & primas juventutis metas ingressus induebatur, quam picta & palmata, qua triumphant Consules. Nemini vero antea contigerat, ut ante legitimam ætatem permissu totius Senatus triumpharet.

Seu fine &c. Seu quod mens de futuris malis sollicita lætorum temporum recordatione quodammodo erigitur: seu quod somnia, ut fieri solet, res visis contrarias portendentia funestum omen exhibuere Pompejo: seu quod ille Patriam haud amplius visurus esset; sic Fortuna Romam eidem, sub imagine somni saltem, conspiciendam exhibuit.

Unde paret &c. O utinam populo Romano similis somnus & nox tam beara contingeret, qua te vicissim conspiceret ille, qualis tibi visus es per insomnium!

Pag. 203 *Funere Bruti*. Hunc, Regum exactorem, luxere per annum matronæ Romanæ, ut parentem & violatæ pudicitiae vindicem.

Quorum gemitus &c. O miseri, quibus dolorem suppressere, seu tantum occulto gemitu testari necesse est; non vero licet pleno theatro, seu publico luctu & planctu conceptum tui nece dolorem profiteri!

Et orbis &c. Arguebatur etiam declinare bellum affectatio-

tionē dominatus, quo diutius cum imperio esset apud exercitum ex tot gentibus tamque diversis conflatum.

Pag. 204 *Merito* &c. Gentes olim a te summa celeritate & quasi in transcurso devictæ, eademque sub te jam militantes queruntur, neque id injuria, tibi hanc tamdiu in manibus hæere victoriam.

Si duce te &c. Si te Senatus publicæ causæ & belli ducem creavit, permitte illi hoc juris, ut suo arbitrio, ubi res, tempus, locus postulant, bellum conserat.

Pag. 205 *Accepisse diem*. Sensus est, non jam Pompejum præstituisse sibi hunc dimicandi diem, sed ab aliis eidem fuisse præstitutum.

Belli pars magna &c. Magnam belli partem confectam censeo, quum vel ipse tiro pugnam postulat: non tamen virtute semper & ira milites, sed venturi mali timore, in summa discrimina se conjiciunt. At illum vere fortem judico, qui inter imminencia mala sui compos, & moræ patiens, nihil rapim & imprudenter agit.

Pag. 206 *Quid esset*. Mansura ne libera, an sub unius imperium redigenda?

Pag. 207 *Martius* &c. Sicula fornace recoxit Cyclops Martis frameam, Neptuni tridentem, Apollinis sagittas in Pythone conficiendo hebetatas, anguineos crines in capite Medusæ quos Pallas gestabat in Ægide, fulmina quibus mox Jupiter usurus erat contra Gigantes apud Pallenem, oppidum Macedoniae, quam & Phlegram olim dictam Stephanus ex Eudoxio tradit, & Eustathius in catalogo.

Pag. 208 *Rorantia fletu* &c. Maduere quasi fletu aut sudore. Dicit autem illa signa fuisse publica populi Romani usque ad pugnam Pharsalicam: devicto enim Pompejo privata esse cœperunt in Cæsare.

Pag. 209 *Quid mirum* &c. Quid vero mirum furore quodam correptos, quibus mox erat configendum, futuram cladem portendisse; quum & Romani passim in extremis orbis partibus degentes eo die mæsti fuerint, & mœroris tamen causas ignorarent?

Tyrii qui Gadibus. Insula extremæ Hispaniæ, in qua civitas, colonia Tyriorum.

Augur. C. Cornelius, divinandi scientia nobilis, quum Patavii auguria caperet, primo tempus ipsum pugnae notavit, idque iis qui aderant significavit; deinde ad observanda signa iterum conversus, divino quodam furore afflatus exsiluit, vociferatus, *Vincis, o Cæsar* &c. Plut. in Cæs.

Lucanus.

d

Timavi. Timavus septem, aliis novem ostiis in mare exire creditus, cujus hodie vestigia vix reperias. Hunc prope Troja profugus Antenor Patavium condidit.

Pag. 210 *Adverso, Domiti* &c. Namque hic victus, cæsusque fuit.

Eripe &c. Collectas huc omnes undique gentes objice Cæsari, o Pompei, internecione delendas, ne supersint, quibus imperet, de quibus triumphet.

Pag. 211 *Gladiosque* &c. Testabitur enim victoria culpam hostium esse, non vestri, & gladios vos juste strinxisse.

Nulla &c. Significat nullum bellum juste suscipi, si adversariorum judicio standum esset; quisquis enim eam partem appellat injustam, quam haud ipse sequitur.

Pag. 212 *Grajis* &c. Delicati ac molles Græci, lingua & ludis, quam manu & armis promptiores.

Pugna &c. Fugæ labor præcipuus in terrarum orbe exteris gentibus liberando versabitur, & in Romani nominis hostibus profligandis.

Unius &c. Non dignas esse, de quibus unus agatur triumphus.

Pag. 213 *Trepido*. Gestio, exsulto.

Septorumque. Loca in campo Martio, quo fiebant comitia, instar ovilium tabulatis inclusa, *septa* vocabantur. Ponit igitur ob oculos militibus suis Cæsar, quæ se victum suosque pænæ maneant & cruciatus, quæque scelera patrandæ forent in comitiis a victoribus.

Cum duce Sullano. Cum Pompejo scilicet crudelitatem Sullæ, cujus magister equitum fuerat, referente.

Pag. 214 *Ignoti* &c. Sensus est juxta Grotium: Cædem ego ignoti cujusvis perinde acceptam habeo, ac si parricidium esset. Vel sic intellige: Si quis ignotum hominem interfecerit, quum propinquum potuisset, tamquam scelestus habeatur.

Sternite &c. Cæsar apud Appianum. Ad pugnam exeuntes diruite mœnia, fossas opplete . . . Videant nos hostes ipsi destitutos castris, sciantque nobis ex necessitate injunctum esse, eorum castris potiri, aut in prælio cadere.

Pag. 215 *Sacraque* &c. Veteranus nempe miles generis claritate conspicuus, & Majorum suorum imagines præ se ferens.

Reducesque Camillos. Redux ab exsilio, Dictatorque jusus Urbem a Gallis captam, & Capitolium obsessum insigni virtute liberavit, Gallosque pepulit.

Deciosque &c. Vid. pag. 199.

Quidquid &c. Ex omni populo subiecto Zodiaco, ab extremo Noto, ad ultimum ~~Boream~~ degentes, habemus auxilia.

Pag. 216 *Et populos* &c. Et auferet venturæ ætatis prolem, sublatis iis, qui sobolem propagassent.

Pag. 217 *Rus vacuum* &c. Omnes has urbes desolatæ & vastas factas ostendent ruinæ, & loca inculta, nisi quod novi Coss. in monte Albano celebrent Ferias Latinas ex instituto Numæ. *Noctæ coacta*. Vel qua scilicet Senator ipse cogebatur Latinis Feriis interesse, vel qua cogebantur in Albano monte, sive congregabantur Lat. urbes 47, ut ejus sacri participes fierent; ex præscripto enim vetusti fœderis inter Romanos & Latinos percussi, Coss. Sp. Cassio & Posthumo Cominio, in hisce Feriis carnes Latinis populis dividebantur.

Vincto &c. Agros colunt servitia, extinctis dominis bello civili.

In nullos &c. Utpote quæ incolis destituta sit.

Et damnata &c. XVII Kal. Sextiles, Alliensis in fastos relatus inter atros dies, quod eo die Tribuni militum legiones ad Alliam fluvium educentes a Gallis victi sint, & Urbem aniserint.

Dum munera &c. Dum uno quasi prospectu ponit ob oculos tot illustres multorum annorum victorias atque triumphos, & momento temporis eripit omnia.

Pag. 218 *Haud multum* &c. Parthi tantum & Indi subigendi supererant, ut universus terrarum orbis Romanis subjiceretur.

Nec vetitos &c. Nec Consul Dahas, Scythiæ populos, vagos esse prohibens *in mœnia ducat*, neque Sarmatis succinctus urbis loca designet; quod fiebat aratro, subjunctis vacca & tauris, sulcum ducente ubi mœnia ponerentur.

Quod semper &c. Amissæ Pharsalico prælio Libertatis causas has esse dicit, quod nempe Romani Crassos a Parthis interfectos ultri non fuerint, & quod fugientes quodammodo civile nefas ex Italia decesserint duce Pompejo. Ex quo factum est, ut deinceps Libertas, toties mortis discrimine quaesita, *ultra Tigrin*, (malunt aliqui *Tanain* legere propter *Scythicum* quod sequitur) *Rhenumque* recesserit, eademque Germanorum & Scytharum bonum evaserit, nec Italiam amplius respexerit.

Infami. Ob Asylum quibuscunque nefariis hominibus apertum.

De Brutis &c. De Junio nempe Bruto, ejusque sociis, qui Libertatem intulerunt, ejecto Tarquinio.

Pag. 219 *Astra* &c. Juppiter detestatus scelus Atrei, qui Thyestæ fratri duos ipsius filios epulandos, eorumque sanguinem vino admixtum bibendum dedit, Solem in Ortum repulit, & subitam noctem induxit.

Cladis &c. Quæ sequuntur, ut in cæteros Imperatores, ita in Julium præcipue Cæsarem ironice dicta; qui post bella civilia patrem Superis honorem habuit, *Divus* videlicet appellatus; cujusque mortui Manes sive animam in cælum receptam Roma credidit & propter fulmina, quæ cecidere, & propter crinitam stellam, quæ per septem ab ejus nece dies continuo fulsit.

Pag. 220 *Crastine*. Emeritus hic Cæsaris miles, qui in gratiam ejusdem iterum sponte militabat: magno fuit animo, & insigni virtute, ut vel Cæsarem ipsum primus ipse certamen iniens quodammodo erigeret: *Faciam*, inquit enim, *hodie Imperator, ut aut vivo mihi, aut mortuo gratias agas*, &c. Com. 3 Cæs.

Extremique &c. Concurrentium fragor pervenit ad verticem Olympi, Thessaliæ montis, qui secundam aeris regionem, in qua nubes & tonitrua, cacumine superat.

Pag. 221 *Extremum est*. Intima pars.

Nec Fortuna &c. Nec Fortuna belli erat diu anceps: statim præcipiti fato ad Cæsarem inclinavit.

Spatioque &c. Motu accensas colliquescere plumbeas sagittarum glandes, præter Aristot. De cælo & Meteor., Ovidius quoque auctor est Met. lib. 2:

*Non secus exarsit, quam quum Balearica plumbum
Funda jacit: volat illud, & incandescit eundo,
Et, quos non habuit, sub nubibus invenit ignes.*

Stetit &c. Nefas cumulatam admisere civium utrinque pila.

Pag. 222 *Inmemores* &c. Pompejani equites ex diversis nationibus collecti terga vertentes ostenderunt, *civilia bella* &c.

Errore vago. Certamine multiplici.

Pag. 223 *Quis præstet* &c. Quis jussu potius, quam voluntate pugnet.

Ægide. Scuto Palladis, in quo Medusæ caput homines in saxa convertens: videtur autem respicere Poeta ad Pálladis apparatus contra Martem, Venerem, & Troas. Homer. Iliad. 6.

Pag. 224 *Quod ferrum* &c. Illud videlicet, quo postmodo in Senatu Cæsarem interficeret, libertatemque Romæ restitueret.

Fatales. Quia in altero civili bello apud Philippos Brutus vincendus erat ab Antonio & Octavio.

Juris &c. Nondum scilicet se Regem constituit.

Pag. 225 *Successor*. Quia successurum se Cæsari in bellum Gallicum speraverat.

Pag. 226 *Cunctos &c.* Romanus sanguis torrentis instar hærentem barbarorum sanguinem impulit, vetuitque consistere.

Quod perit. Nempe Libertas.

Alieni &c. Timoris scilicet posterorum pœnam damus.

Pag. 227 *Orbe remoto?* Si mundus nobiscum non perierit?

Seque negat tanti. Negat se tanti esse pretii, ut pro se in mortem præcipitent, seque Cæsarianis, jam rebus perditis, trucidandos objiciant.

Pag. 228 *Quamque &c.* Sensus est: Fortuna ut fuit infida Pompejo in secundis rebus; ita in adversis fuit illo minor, quod eum de mentis suæ constantia dejicere non valuerit.

Jam pondere &c. Levatus onere imperii, quod tibi fatum commiserat.

Tibi . . . mori &c. Significat non Pompeji gratia, sed publicæ Libertatis causa interire majorem militum partem in pugna Pharsalica, illo jam inde digresso; perinde ac deinceps publicæ tantum Libertatis gratia Uticæ in Africa, Munda in Hispania, & in Ægypto clades consecutæ fuerunt.

Non jam &c. Non propter Pompeji celebritatem, pugnantique libidinem arma tenemus, sed Libertatis tuendæ gratia.

Pag. 229 *Teque minor &c.* Alii te perinde ac victorem venerantur adhuc, tu solus animo quodammodo deficis.

Nunc tibi &c. Nunc vere cognoscis populorum erga te studium, & amorem; quem quidem in prosperis rebus non tam facile licet agnoscere, quum plures fortunam quam amicitiam colant.

Pag. 231 *Et Stygia &c.* Tenebras nocturnas nostri hemisphærii plenas fuisse territamentis, & malorum Dæmonum ac furiarum occursibus.

Scythica &c. Priusquam oraculo monitus Tauricam Dianam in Scythia peteret, ubi a sorore Iphigenia Deæ sacerdote agnitus expiatusque est: placatæque furia, quibus ob necem matris agitabatur, *Eumenides* appellatæ.

Pag. 232 *Pentheus*. Quod impie furens Bacchum, ejusque sacra contemneret, ab Agave matre in furem acta cum cæteris Bacchantibus membratim discerptus est.

Ultrix &c. Qua in Senatu a Conjuratis confossus 23 vulneribus casurus erat.

Pompejo &c. Qui si mortuus esset, majoribus furiis exagitaretur Cæsar.

Non cernere &c. Utpote quæ testâ cadaveribus.

Invidet &c. In rogis cremari prohibet, & inficit Æmæthiam aere pestifero ex cadaverum corruptione.

Non illum &c. Ne crudelissimi quidem Romanorum hostis Hannibalis exemplum movet, qui P. Æmilii ad Cannas interfecti cadaver conquisitum honorifice sepeliit, quique iussit accendi rogam ad hostium interfectorum corpora comburenda.

Pag. 233 *Libera* &c. Alii *Fortuna*, hoc est, Mortui ab injuria Fortunæ liberi sunt.

Pag. 234 *Vor, quæ* &c. Nempe grues, quæ hiemis frigora fugientes, a Strymone Thraciæ flumine tepentem Nilum proficiscuntur.

Sic quoque &c. Haud nudant ossa cadaverum, nec rimantur feræ viscera; in tanta namque copia sufficit degustasse pleraque fastidiose & dente superbo.

Quod sufficit &c. Quænam ævi diuturnitas poterit eluere & abolere memoriam tam ingentis exitii?

Pag. 235 *Ante nova* &c. Secundum nefarium bellum intelligit, quod iisdem hisce campis Antonius & Octavius gessere cum Bruto & Cassio juxta Poetæ nostri sententiam. Quod tamen prope Philippos urbem Macedoniæ commissum est, ut monuimus alias.

Nullus &c. Te nemo incoletet, o Thessalia, sed omnes fugerent tamquam execrandam terram, gentium & populi Romani bustum, vel tamquam regionem inhabitabilem, sub Zona Torrida inter utrumque Tropicum, sive sub alterutra Frigidarum positam; si modo tu ut prima, ita sola nefarii belli arena fuisses.

Quid totum &c. Cur damnatis, & mox in participationem sceleris admissas absolvis crimine totius orbis partes?

Hesperia &c. Vid. pag. 13. *Pachyni*. Promontorii Sici-liæ, ubi navali prælio victus est Sex. Pompejus ab Agrip-pa, auspiciis Augusti.

Puros &c. Hæ memoratæ clades tam ingentes fuere, ut innocentes quasi immunesque scelere Philippos effecerint.

 IN LIBRUM OCTAVUM.

Pag. 236 *Herculeas fauces*. Dissidia inter Qssam & Olympum, in confinibus Thessaliæ & Macedoniæ: Thermopylæ dicuntur a thermis Herculi sacris.

Dispendia &c. Circuitus nempe, erroresque quærens cum itineris dispendio, idque de industria faciens, ne ab insequentibus hostibus apprehendi posset.

Pag. 237 *Fatisque* &c. Prosperisque *fatis contraria fata* repondit.

Attaque &c. Triumphum de Hiarba & gestis in Africa, quem egit adhuc eques 24 annos natus, Sulla graviter ferente, triumphum illi decerni; utpote qui hæc gessisset sub alienis auspiciis, & ante maturam ætatem.

Classes &c. A se ductas contra Cilicas piratas, & triumphum de Mithridate rege Ponti.

Pag. 238 *Cujus adhuc* &c. Pompejus, cujus præfecti longè lateque classibus tenebant Corcyram, sinum Ambracium prope Leucadem, & oram Liburniæ in mari Hadriatico, olim Cilicum domitor, in exigua cymba vehitur.

Pag. 239 *Non ultra* &c. Idest, ejulatu & lamentis abstinuerunt, Pompejum reveritæ & tacito tantummodo gemitu fatum deplorantes, ne magis videlicet Corneliæ dolorem accenderent.

Habes aditum &c. Si calamitatem mei forti animo feres, immortalem laudem consequeris; unica enim materia laudis esse potest fœminæ conjux miser, quem desertum ab aliis fida sequatur.

Deformis &c. Extremus dolor, & cui nihil addi possit, uxori non convenit, *adhuc vivente marito*. In ejus tantummodo mortem differatur luctus, velut ultimum fidei conjugalis officium.

Pag. 240 *Quod desles* &c. Conjugem arguit Pompejus, quod aversam fortunam lugendo, eam videatur, quam se, habuisse chariorem.

Devotaque &c. Crassorum Manibus odiosa & infesta transiit sinistram cædis omen e Parthia in hæc bella civilia.

Mallet &c. Utinam me prius devovissem, ante hanc cladem, pro tua victoria! Id quia non contigit, nunc denique expia glades tuas mea cæde.

Pag. 241 *Hæc jam &c.* Quod Cornelius, tibi que hospitio fuerint. *Mundi nomine.* Quod tam profligato sæculo fides aliqua superesset.

Pag. 242 *Materiem.* Me ipsum scilicet, veluti materiam à Cæsare impetrandæ veniæ ob exceptam hospitio Corneliam. *Quod &c.* Quod adhuc stante Fortuna vixit non minore cum modestia, quam si conjux profligatus esset.

Pag. 243 *Jacentes.* Grotius legit *jacentis*.

Quotus in plastro &c. Quota stella Ursæ majoris observetur navigantibus in Africam.

Signifero &c. Non observamus stellas in Zodiaco duodecim signa cælestia continente, & in illa cæli parte, quæ revoluta nobis occidit; sed sidera vicina polo Arctico, qui nobis semper sublimis certos signat cursus, juxta quem maxime fulgent duo sidera Helice & Cynosura.

Numquam &c. Ubi nulla cæli pars stabilis stellas præfert, ad quas cursus dirigatur.

Summis . . . certuchis. Summis nempe cornibus antennarum, ex κέρα cornu, & ἔχω habeo.

Bosporon &c. Sensus est: Navigantibus Septentrionem versus stella polaris, sive polus Arcticus elevatur: ad meridiem vero navigantibus stellæ polares Bootes & Ursa minor descendunt a summitate mali, seu puncto verticali, Horizontem versus, hoc est, polus deprimitur.

Inde Canopos &c. Quum Syriæ portus tetigeris, incipit elevari Australis stella, Canopos nomine, quæ metuit, ne Borea nubes impellente obscuretur.

Illæ quoque &c. Si in sinistram teneas a Canopo trans Pharon, illidetur navis Syrtibus.

Pag. 244 *Hæc &c.* Alterum veli angulum protendit, reducto altero.

Non sic &c. Non secus atque auriga in curuli certamine contendit interiore rota quam proxime stringere metam, quo brevior gyro circumeat.

Dexteriore rota. Immobilem fere sinistra, dum dextra vertitur.

Pag. 245 *Totum &c.* Subire aliud cæli clima, ubi propter loci distantiam & mundi inclinationem variatur diei ratio.

Arsacida. Regi Parthorum.

Si vos, o Parthi &c. Sensus totius loci paucissimis verbis hic est: Si passus ego sum, vos pace & otio frui, quum peterem Caspia claustra, sive montium Caspiorum inter Medos ac Parthos fauces, & perpetuis bellis assuetos Alanos in-

sequeretur; si gentium omnium victor vobis peperci, nec in triumphum duxi; si non semel tantum incolumitatem & pacem mihi debetis: arma sumite in Cæsarem, & *Pompejo vincite Parthi*.

Achæmeniis. Persicis, ab Achæmene primo Persarum Rege.

Nysæus. Nysam, urbem Indiæ, a Baccho conditam præterfluens.

Phœbi &c. Propior eram orienti Soli, quam ipsi Persæ.

Ex aquo. Par, liber, non triumphatus.

Claustis vetitam &c. Terminis constitutis intra Euphratem, quem Phraates, quum Tigranem generum suum a Pompejo exposceret, imperii metam & terminum pactus est.

Zeugmaque Pellaum. Syriæ ad Euphratem oppidum, ab Alexandro Macedone conditum.

Pag. 246 *Dimisso &c.* Misso ad Parthos Dejotaro.

Rhodon. Insulam Phœbi templo celebrem.

Compensat &c. Facit compendium magnorum sinuum ad Telmessum, Cariæ oppidum, recta per medium pelagus navigatione.

Syædris. Ciliciæ oppido maritimo, prope Selinum fluvium.

Pag. 247 *An Libya &c.* Marium post carcerem Minturnensem, & latebras in ruinis Carthaginis, ad septimum Consulatam Fortuna provexit.

Vos pendite &c. Expedite, deliberate ad quem tamquam fidelem & viribus præstantem confugiamus, ad Jubamne Numidarum regem in Africa, an Phraaten Parthiæ, an ad Ptolemæum, puerum adhuc, Ægypti regem.

Obliquo &c. Qui regni Libyæ jus ad se ex laterali descensu pertinere vult. Alii nothum fuisse intelligunt.

Jam &c. Insolens factus est, quod Aëtius Varus subsidium ab illo petiisset; & quod Curione cum exercitu deleto res Romanas vidisset suis inferiores.

Pag. 248 *Dividit &c.* Vide pag. 245.

Et polus &c. Quum nulla sit pars Assyriæ, quæ polum Antarcticum videat, Parthia atque India Assyriæ nomine debet intelligi.

Et abruptum &c. Oceanus Indicus alius est a nostro, cuius pars Mare rubrum, diversi a nostro coloris, ut volunt.

Primi &c. Retuderunt hastas Macedonicas, & imperum Alexandri.

Scythicas. Parthicas; sunt enim Parthi a Scythis oriundi.

O utinam! &c. Atque utinam mihi non instaret necessi-

tas opem implorandi a Parthis, gente sæva, nostri æmula invidaque, nec habente minus favoris divini!

Pag. 249 *Quantus* &c. Quas victorias retuli & triumphos e Mithridate, Tigrane &c. ultra Mæotida paludem & Tanain!

Una dies &c. Una igitur infelicitè gesta in Thessalia pugna ita afflixit omnia, ut de totius mundi fato actum jam conclamatumque sit? Ut lis sit omnino dirempta pro victoribus in Æmathia? Ut victis nullum adhuc supersit auxilium?

Parthorum &c. Ad quorum pedes tu supplex accidas opem imploraturus?

Pag. 250 *Clades ut Parthia* &c. Ut cladem Pharsalico prælio acceptam prius Parthi vindicent, quam nos cladem ab iis acceptam ad Carras?

Transire. Euphratem scilicet, imperii sui limitem?

Qui solus &c. Phraates videlicet.

Quidquid &c. Latius ostendit Parthis minime fidendum; molles enim esse, ita ferente cæli clementia: campis planis superabiles nullis quidem hostibus esse ob alacritatem fugæ, cæteris vero locis facile vinci: violentis amnium vorticibus superandis impares esse: longa pugna deficere, nec posse æstivum Solem & pulverem sustinere: carere belli machinis &c.

Pag. 251 *Nulla* &c. Nulla vis in iñibus inferendis.

Credis &c. Strenuos ne milites esse putas, quibus fere inutilia tela forent, nisi ea venenis inficerent?

Pag. 252 *Damnat* &c. Male audiunt Thebæ in Bœotia nomine Œdipodis, qui matrem Jocastam duxit; quamvis ille hoc per ignorantiam admiserit, quod hi scienter & sponte.

Quamquam &c. In nullam tamen fœminarum regia libido magis sæviet; idque propter Crassum & Pompejum.

Portenta. Monstrousæ libidinis incitamenta.

Pag. 253 *Hareat*. Crassorum clades in mentem tibi veniat.

Vel Arctoum &c. Et vel bellum Gallicum, atque Germanicum omisisse, subductis inde præidiis.

Quin respicis &c. Quin respicis potius amicos & socios Populi Romani, & hos petimus, Ægyptum nempe, & regem Ptolemæum Lagi filium?

Pag. 254 *Aut Jovis*. Idest, pluviz.

Unde diva &c. Memor Cyprii maris, in quo nata Venus.

Inde maris &c. Ex Cypro profectus, oblucente maris æstu & ventis, Pharon nocturna face iter navigantibus dirigentem prætergreditur; & ad infima Ægypti litora pervenit, qua Nilus septimo coque ultimo & amplissimo ostio juxta Pelusium in mare exit.

Pag. 255 *Monstra*. Sceleratissimi homines Ptolemæ regi a consiliis; Photinus Eunuchus, Theodorus Chius rhetor, & Achilles Ægyptius.

Hunc genuit &c. Patria erat illi Memphis, ad Nilum sita, vanæ superstitionis plenissima, ubi quondam totius Ægypti regia fuerat.

Illo &c. Grandem senectutem ejus Sacerdotis indicat. Ex quo enim Sacerdos erat, plures boves ex illis, quos colit Ægyptus sub Apis nomine, jam perierant, lunaribus lustris illis exactis, ultra quæ vitam protrahere non sinebantur.

Sua. Bicornis enim Lunæ imaginem bos Apis in dextro latere referebat, macula candicante.

Meritumque &c. Commemoravitque officia Ptolemæo Regis pueri patri jam defuncto a Pompejo quondam præstita.

Pag. 256 *Neu te* &c. Potius quam regnum tuum invadat hospes, trade sorori Cleopatræ a te ejectæ.

Rapitur. Exagitur.

Pag. 257 *Tene mihi* &c. Legunt alii, *Tene mihi. dubitas quum sit violare necesse, An liceat?* Perinde ac sensus esset, licere sibi Pompejum interficere, quum id faciat necessitate coactus, ad odium & iram Cæsaris avertendam.

Perfida &c. Ad pedem Casii montis, qua vada & brevia referunt Syrtis vicinas, inter Leptim scilicet & Alexandriam, Achilles assumpto Septimio tribuno quondam militum sub Pompejo, & Salvio Centurione sub eodem, atque tribus aut quattuor famulis præterea, ad navim Pompeji advectus est.

Pag. 258 *Jam jure* &c. Utpote qui destitueris auctoritate tutoris, qui tibi Ægypti regnum confirmabat.

Bimaremque vadis &c. Hinc Libyco, inde Ægyptio mari inter se collidentibus, propter æstum ostiorum Nili interjecti.

Pag. 260 *Numquam* &c. Non sine deorum inclementiæ nota vulgandum facinus.

Qui Bruti &c. Qui Brutum, Cæsaris tyranni percussorem, appellant *Parricidam*, factumque ipsum *nefas*?

Pag. 261 *Mutantur* &c. Simul cum Fortuna mea deficit & vita: neque ultra res prosperas vivo, morte miseras præveniente; nemo enim *fit morte miser*.

Tantum. Legendum *Tanto*: sensus enim est, se velle summa animi constantia mortem oppetere, ut eo magis illum admirentur & natus, & conjux; ac admiratione sua eadem veri amoris signum exhibeant.

Quam perferre. Si necem ipsa subitura fuisset.

Nescis &c. Id est, nescis me chariorem esse Pompejo, quam ipse sibi sit: eum petis, qua parte cupit: majores luet pœnas, si me interfici viderit, quam quod ipse juguletur.

Pag. 262 *Moriar* &c. Mortem inveniam, utut Ptolemæi beneficio illam non impetrarim.

Pompejo &c. Qui Pompejo beneficium hoc præstiterit, vacabit culpa, quæ in Cæsaris conferetur crudelitatem.

Vivis adhuc. Quamvis adhuc vivas, libertatem amisi.

Nondum &c. Nondum norant artifices caput uno ictu, rotato ense, amputare.

Pag. 263 *Quo nunquam* &c. Caput, pacis semper amans, in Foro, Comitibus, Senatu potens.

Perituraque proles &c. Perit paullo post in pugna contra Cæsarem: navigio namque depresso a fugientibus, flumine immersus ipse creditur.

Incesta. Cleopatram, cujus nuptias a patre consecutus fuerat, moriens regnum reliquit.

Mausolea. Sepulcra & monumenta illius æmula, quod Mausolo regi Cariz ab uxore Artemisia exstructum erat.

Pag. 264 *Ne jaceat* &c. Ne scilicet sepulcro careat ejusdem truncus, aut ne conquisitus in mari honorifice sepeliatur ab ipsis hostibus.

Cinyra. A rege Cinyra sic appellata.

Pag. 265 *Cantu*. Epicediis & neniis deplorantium ad tibiam.

Totus &c. Ut militari more exercitus demissis hastis terrogum circumbeat. Vide Virg. Æn. 11, v. 188.

Siccos. In quos nulla conjiciuntur aromata.

Nobile corpus &c. Hypallage. Nobile corpus non premit robora, ut versu sequenti: exstrui enim pyra e roboreis fissilibus solebat, & in medio collocari cadaver.

Pag. 266 *Si tibi* &c. Nisi forte fluctibus jactari, aut funere carere mallet, quam habere tam vile; ignosce tenuitati hujus officii mei, & exilitati funeris, quam excuset fati prementis injuria.

Premissa. Legunt alii *Promissa*. Potior nobis est nostra lectio, quam perinde interpretamur, ac si dies ob Auroræ radios solito citius effulsisset.

Pag. 267 *Inustis*. Non penitus absumptis.

Temeraria dextra &c. Verba Poetæ increpantis Cordum de sepulcro & inscriptione sollicitum; quasi Pompejo angustum sit monumentum, cui totus a se triumphatus orbis est tumulus.

Obrue saxa &c. Terra obrue, o Corde, saxum hoc tuum, diis potius inclementiæ, quam Pompejo sepulcri notam futurum; cui, si signum hoc amoveas, tota Ægyptus loco tumuli erit, perinde ac Mons Æta Herculi, aut Nysa Baccho. Pag. 268 *Revocato Consule*. Metello, qui impar adversus Sertorium videbatur.

Dic semper &c. Adde etiam rediisse semper in ordinem, reddidisse se civilibus officiis, neque affectasse tyrannidem.

Haud equidem &c. Exitium illud Romanis impendere e carmine Sibyllino interpretati sunt XV viri, si Ptolemæus Auletes a Gabinio, qui tum Syriæ præfuit, ex auctoritate Pompeji & S. C. reduceretur: de qua re Cic. multa in lib. 1 Epist. fam. Poeta refert ad rem Pompeji præsentem.

Isin. Eamdem cum Io, quam Ægyptii colebant sub specie vaccæ; cujus Sacra Romam translata fuere, eique in Campo Martio templum constitutum cum 9 dierum sacrorum ceremoniis. Erant & plures Isidis ædes.

Pag. 269 *Canes*. Anubin, deum canino capite pictum. *Sistra* &c. Crepitacula ex ære aut argento, adhibita in sacris Isidis, modum luctus indicentia.

Et quem &c. Cujus obitum plangendo, hominem, non deum, testaris fuisse Osirin, regem Ægypti a Typhone fratre cæsum, ab Iside uxore diu quæsitum.

Scelus. Quod aliis videretur esse scelus, honori maximo nobis futurum esset, si Pompeji Manes Italiam transferre contingeret.

Imbrifera &c. Thebas Ægyptiacas, in exusta regione siccas, quum subjectæ sint Tauro signo Zodiaci; in cujus humero septem stellæ dictæ Plejades.

Pag. 270 *Et Casio* &c. Teque potius visere, quam Jovem, qui colitur in monte Casio.

Inclusum &c. Sensus est: Non mirum, si Pompejus tam vili tumulo conditus honoratur; nam & multi, qui diis Capitolinis sua tura sæpe negant, venerantur molem terream, cui ab Aruspice inclusum est aliquid, quoderat fulminatum. Sup. lib. 1:

. . . *Aruns dispersos fulminis ignes.*

Colligit, & terræ mæsto cum murmure condit.

Hominem fulmine exanimatum cremari fas non est: aondi terra religio tradidit. Ita Plinius.

Atque erit &c. Non majorem fidem habebunt posterii Ægypto de tumulo Pompeji glorianti, quam Cretæ de Jovis; qui, quum sit immortalis, tumulo condi non poterat.

IN LIBRUM NONUM.

Pag. 271 *Convexa Tonantis*. Elysios nempe campos, sitos juxta Nostrum in regione proxime Lunam, ad quos evolant soluti corpore innocuorum hominum Manes; namque
Ignescit ollis vigor, & caelestis origo.

Pag. 272 *Non illuc &c.* Non illuc semper ascendunt Cæsares aureis conditi oculis, eburneis auratisque elati lectis &c.
Nec servire timens. Utpote qui perfectus Stoicus, & potius mori paratus, quam libertatem amittere.

Pag. 273 *Maleam*. Malea promontorium est Laconiae, quam incolere Dores. *Apertam*. Per quam scilicet aditus erat ad Inferos.

Aurum classi &c. Phycunta oppidum cum promontorio Cyrenaicae regionis, quia portum Catoni praelusit, expugnavit & militibus suis diripiendum concessit.

Palinure, tuum. Promontorium Cyrenaicae regionis in Africa, a Palinuro Aeneas navis magistro denominatum, ut & illud Pastani sinus in Italia.

Quam procul &c. Conspēctis navibus, in quibus erat Cornelia & privignus ejus Sextus Pompejus cum suis, Cato dubitare coepit, utrum Cæsaris essent, an Pompeji.

Pag. 274 *Hac mihi &c.* Non ulla tellus Pompejo triumphata gratior jam mihi est, quam hæc; quæ utcunque nocens illius ossa habet.

Pag. 275 *Inveniet &c.* Quodcumque mare sulcaverit e filiis alteruter, sive quis alius Pompeji nomine, classes inveniet; & ad arma quascumque gentes excitabit.

Insidia &c. Quod, me in navi relicta, solus in cymbam Ægyptiacam descenderis: nec inutile fuit me vixisse deceptam; ita enim mandatis tuis mihi commissis liberos non defraudavi.

Quam longo &c. Sensus est: Ignoro mortis meae tempus: quamdiu vero vixero, vivacem animam cruciatu & dolore torquebo, *ab ipsa*, hoc est ideo poenas de anima vivace sumens, quod vivax diu sit, nec *cornens*. . . *tua vulnera*, *Magne*, illico mortem subierit.

Pag. 276 *Composita &c.* Naufragium & mortem exoptans.
Nocentes. Quasi læsa pietate visu.

Pag. 277 *Non ego* &c. Quattuor hi versus cum interrogatione legendi.

Pag. 278 *Mortem* &c. Ut populi deflerent mortem viri potentis. *Ter conspecta Jovi*. Capitolino in tribus triumphis.

Pag. 279 *Multum majoribus* &c. Qui defecit quidem ab ingenua illa veterum Romanorum moderatione, *sed in hoc tamen utilis ævo*, quo jus ac fas contemnunt omnes ac negligunt.

Cui non nulla &c. Legendum potius *Cui non ulla*, ut illud *Cui non jam Pompejo*, sed ævo respondeat.

Intulit. In Ærarium publicum.

Recepit. In Urbem vicissim reversis ad internecionem adversariorum partium.

Pag. 280 *Tarcondimotus*. Cilicum Princeps, qui signum secessioni dedit. Alii aliter legunt, quin tamen allatæ interpretationi quidpiam officiant.

Partesque &c. In illius gratiam partes has secuti sumus.

Paci &c. Cujus arma sequi vel ipsi paci *prætulit orbis*.

Non barbata &c. Neque enim servitutem sub Parthis aut Scythis duram metuo, sed sub Romano levem; quam sub eo libens potius, quam bella ulterius sequar.

Pag. 281 *Clausæ* &c. Bello victis negatur fides, & victoris in supplices clementia.

Indiga servitii. In servitutem prona.

Quod non &c. Quod nempe non militas spe summæ dominationis acquirendæ Pompejo, quum ille jam obierit, quod nulli domino es obnoxia, quod tibi vincere potes; discedis ab armis, tibi que liberæ servitutem quæris.

Pag. 282 *Quis vestras* &c. Quis credat vos strenue pugnando manus vestras cæde hostium cruentasse?

Prolesque Metelli. Cornelia, Scipionis Metelli filia.

Cervicis pretio &c. Mæ scilicet cervicis pretio, quod a Cæsare dabitur, *Sciet ista juvenus utiliter se mea signa secutam*.

Haud aliter &c. Cilicas secedere volentes ad officium & in castra revocat, non secus atque apum examina in alveos tinnitu æris reducuntur.

Pag. 283 *Jamque actu* &c. Ne per otium ad seditiones relaberentur, militaribus laboribus eos exercere constituit.

Syrtes &c. Syrtium originem tribuendam esse docet vel ipsi Naturæ; quæ, quum rudi Chao eximeret omnia, indigestas hasce moles medio mari reliquit & indiscretas: vel rapidis Solis vicini radiis, qui juxta Stoicorum opinionem

maris fluctibus & exhalationibus ali creditus, sensim, ut infra, *Æquora subduxit zona vicina perusta*.

Et nunc &c. Obstat adhuc, quominus in terram solidam totus abeat: quod temporis progressionem futurum dicit.

Pag. 284 *Illato* &c. Potior est lectio *in lato*, ut sensus sit, Austrum non jam in vadis, sed in lato litore fregisse fluctus.

Spatium &c. Quum rudentibus nautæ frustra tentarent submittere vela, sinus velorum propellebantur ultra proram.

Quacumque &c. Quæ leviores factæ succisis malis ventum effudere, æstus obviis sui juris, ut contra quem non obnitebantur vela, has eripuit ventis.

Pag. 285 *Triton*. Fluvii juxta Tritonida paludem.

Deus. Triton, Neptuni tubicen.

Atque insopiti &c. Draconem hunc interfecit Hercules, & aurea poma Hesperidum hortis eripuit, ut infra.

Pag. 286 *Tyranno*. Eurystheo Argivorum regi, quî jussu Junonis fuit Herculi *εργασίας*, eumque variis periculis exposuit.

Terra cingere Syrtin. Terrestri itinere invadere.

Inde polo &c. Inde ab æstu Austrino, hinc a frigore Boreali.

Si quibus &c. Id est, qui nulla vota faciunt evadendi.

Pag. 287 *Et sacrum* &c. Et Cato securus fati, quod eum hic manebat, invasit Libyam parvum sibi tumultum daturam.

Tertia pars &c. Si vulgarem admittas orbis divisionem, Africa est tertia orbis pars: ita & Sallustius in bello Jug. *In divisione*, inquit, *orbis terra plerique in parte tertia Africam posuere: pauci, tantummodo Asiam & Europam esse, sed Africam in Europa* &c.

Sed major &c. Asia tamen est major orbis terrarum pars, quam Africa Europæ conjuncta. Quum enim Africa & Europa in Orientem effundant Zephyrum, illa a Noto, hæc a Boreali parte; Asia sola se extendens utrinque ad Austrum a dextra, ad Boream a sinistra, totum Eurum sibi vendicat.

Pag. 288 *Glebarum crimine*. Terræ crimen divitiarum sunt. Ovidius:

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Nasamon. Nasamones Africæ populi, in solo arenoso, vicini Syrtibus, naufragiis visitantes; obsident enim litora, & æstu destituta navigia notis sibi vadis occupant.

Habent. Ob rapinas, quas in naufragos exercent.

Nam litore &c. In plana enim & exposita regione juxta Syrtē violentius furit Auster, quam in pelago; majores hic are-

arenæ, quam ibi aquarum fluctus concitans: neque enim exorians ventus hic adversis montibus frangitur, scopulisque repulsus dissipatur.

Pag. 289 *Æoliam*. Ex Æoli namque regis antro ruunt venti, suamque rabiem exercent.

Et nunquam &c. Neque umquam in aere suspenditur, more nubes imbriferæ resoluta.

Pag. 290 *Sic illa* &c. Vide pag. 35.

Nisi &c. Stellæ velut navigantibus observatæ. Inter Syrtes, quamvis terra pergentibus, iter sideribus destinatur, nec aliter cursus patescit. Nam putris soli faciem auram mutat &c. Solinus cap. 40.

Finitor circulus. Horizon ille ab $\sigma\pi\chi\omega$; terminat enim & dividit superius hemisphærium ab inferiori.

Pag. 291 *Maligna*. Lutea scilicet, vel tenui vena.

Suffecitque &c. Nemine desiderante illud, quo abstinuisset dux.

Tortis &c. Juppiter arietina forma, vel umbilico tenus (ut habet Q Curtius lib. 4) arieti similis, cultus; quod hic Libero exercitum ducenti, siti fatigato, & Jovis patris imploranti auxilium, statim viso ariete, fons exsiluit arenis. Vide Dio. Sic. lib. 17, & Herod. Euterp.

Pag. 292 *Nam quidquid* &c. Reliqua omnis regio inter Leptin Minorem, quæ Libyphœnicum Africæ urbs est, & Pentapolitanam regionem arbores non habet. Berenicida vocata a Berenice una e quinque illis urbibus, quæ nomen sortita est a Berenice Ptolemæi uxore, quum prius Hesperis dicta fuerit.

Depreſsum &c. Vult Auctor designare locum in Sphæra, cui Jovis Hammonis nemus in tellure respondet. Ait autem nemus illud esse sub Tropico Cancræ, quem vocat circulum *alti Solstitii*, quod Sol summam habeat altitudinem in eo loco, si ad Zonam temperatam Borealem referatur. Latini porro Scriptores Capricorni Tropicum non *Solstitii*, sed *Brumæ* circulum appellabant. Ovid. 5 Trist. El. 10, v. 7:

*Nec mihi Solstitium quidquam de noctibus aufert,
Efficit angustus nec mihi Brumæ dies.*

Medium &c. Errat hîc Auctor; putat enim degentibus sub Tropico Cancræ omnia sidera & signa recto, non obliquo, itinere oriri & occidere. Quod verum est sub ipsa tantum Equatoris lineâ, quæ medium secat Zodiacum. Quum itaque putaret Auctor Tropicum Cancræ signorum orbem medium percutere, seu dividere, nihil mirum illum signis omnibus

Lucanus.

c

eamdem, ut loquuntur Astronomi, *Ascensionem rectam* tribuisse.

Carcinos . . . Ægoceros. Cancer, & Capricornus.

Pag. 293 *An sit vita nihil*. Legunt alii: *An sit vita nihil*, sed longam differat *etas*.

Et numquam &c. Sensus est, quod honestum est, sive successu gaudeat, sive careat, æque esse laudabile.

Pag. 294 *Servataque* &c. Non diminuta aut derogata Jovis ibi culti fide discedit, relinquens Orientalibus illis populis, quos supra commemoravit, Oraculum suum, quin illud ipse exploraverit.

Tantum &c. Quantum Cato continentia & tolerantia.

Pag. 295 *Quam* &c. Ultra quam, nullam posuere dii habitabilem.

Aspides &c. Adeo diversa species Aspis & Dipsas, ut hæc æquatilis sit, illa terrestris.

Cur Libycus &c. Cur Libya serpentibus abundet, non ita in promptu caussa est, nisi forte adhibenda sit fides fabulæ referenti, quod, quum Perseus referens Medusæ caput
. . . . *stridentibus alis*,

Ipse super Libycas victor penderet arenas,

Gorgonei capitis gutta cecidere cruenta:

Quas humus exceptas varios animavit in angues.

Unde frequens illa est, infestaque terra colubris.

Ovid. Met. 4. Sed Nicander Titanum sanguini id tribuit.

Pag. 296 *Vultu*. Quo quidquid aspiciebat, vertebatur in saxum.

Hoc primum &c. In Medusa; namque Minerva crines ejus in angues convertit, quod in suo templo fuerat a Neptuno stuprata.

Hoc habet &c. Hæc una pars impune spectari potest.

Quis timuit? &c. Tanta celeritate homines in saxa Medusa convertebat, ut in ipsis metum præverteret, nec sensu mortis eos affici pateretur.

Pag. 297 *Illa* &c. Illius caput gestans Perseus Atlantem, Regem Mauritaniam, de gente Titanum, (fuit enim Japeti filius) ad Occidentem prope Herculis columnas, Calpen & Abylam, in saxum vertit. Ovid. Met. 4.

Cæloque &c. Pallas Gigantes bellum Superis inferentes convertit in montes Medusæ capite, quod insculptum gerebat in ægide.

Quo postquam &c. Ad Gorgodas scilicet insulas Maris Atlantici, Gorgonum domos, postquam detulere Perseum, Danaes ex Jove in pluviam auream converso filium, talaria

Mercurii, qui ex Parrhasio Arcadiæ oppido, quique Arcados citharæ, unctæque palæstræ fuit auctor; & postquam Perseus subito volucer *sustulit Harpen*, idest Mercurii Cyllene, Arcadiæ monte, in lucem editi falcatum ensem, quo prius Mercurius ipse Argum, Ius in juvencam a Junone conversæ custodem, obtruncaverat: Pallas Perseo, fratri suo, Medusam aggressuro auxilium tulit, ea tamen conditione, ut ejus monstri caput ad ipsam perferret; eidemque dedit nitentem clipeum, cujus ope, aversam licet a Medusa faciem & volatum teneret, ejus tamen imaginem cernens *ut* tus a periculo ipsam interficeret.

Pag. 298 *Nec terra* &c. Africam sub Æquatore positam cætera tellure altiore esse indicat Auctor, ideoque noctem si-ve umbram terræ longiorem Lunæ obstare, idest Eclipsin inducere, quum Luna sub Æquatore graditur, nec ad Austrum, aut Boream declinat.

Pag. 299 *Natus* &c. Amphibium serpentis genus.

Fumante. Graveolente, a tractu serpentis.

Et semper &c. Non in spiras sinuosus.

Ophites. Marmor serpentum instar maculis distinctum.

Etiā nunc sola. Serpentes enim aliæ verno tempore, hæc hiemali ponit exuvias.

Jaculique &c. Scandunt arbores, e quibus se vibrant.

Ante &c. Solo halitu, & aspectu enecans.

Drâcones. Alati serpentes, alibi innoxii.

Pag. 301 *Sinu laxo*. Orificio vulneris dilato, nuda ossa sine carne cernuntur.

Natura. Interior corporis pars.

Pag. 302 *Diversa*. Illa enim absumpserat, hæc tumefacit.

Nondum &c. Post mortem etiam intumescens.

Utque solet &c. Ut solet crocus Corycii in Cilicia montis, vino aut aqua dilutus, in theatralibus ludis per siphones tubosque latentes e statuis emitti; *sic* &c.

Pag. 303 *Niliaca*. Aspide, quæ somno quasi solutos extinguit.

Non tam &c. Non tam præsentem inferunt mortem venena, quæ fatilegi Sabæi decerpunt ex arbore refefente betullam; e qua Romani Magistratus, Sabinis auctoribus, virgas gestabant.

Pag. 304 *Tesse* &c. Scorpionis enim sidus in cælo fulget, suis viribus in Orione quondam interficiendo patefactis.

Ire &c. Quin eamus potius ad loca torridiora, ut cæli intemperiei mortem debeamus potius, quam serpentibus.

Pag. 305 *In loca* &c. Nostra est culpa, quò in hæc loca venimus: exige pœnas temeritatis nostræ, *Tu quisquis Superùm* hominum commercia abominatus, regionem hanc a lethiferis tantum serpentibus habitari voluisti, ne quis umquam secreti recessus tui conscius esset.

Coeunt &c. Opinati poetæ sunt occidentem Solem in æquore stridere more ferri candentis in aqua. Juven. sat. 14:

. . . *Sed longe Culpe relicta*

Audiet Herculeo stridentem gurgite Solem.

Et premitur &c. Arcticus polus depressior hic est. Et quo longiores recessus Africæ petimus, magis deprimitur.

Cyrenis &c. Modo quum Cyrenis essemus, e quibus digressi sumus, hiems erat: unde nobis tam subito æstus? tam brevi interstitio mutavimus legem anni?

Pag. 306 *Marmarida* &c. Psylli, Marmaricæ regionis incolæ, præter quam quod ipsi a serpentum morsibus immunes sunt, quin opus habeant incantamenti, hospites quoque suos rituum quorundam & carminum ope tentos efficiunt; vel a serpentibus morsos ipsi sanant ore venenum exsugentes.

Jovis volucer. Halæetus, de quo Plin. lib. 10, cap. 3.

Pag. 307 *Galbana*. Galbanum succus est, seu lacrima ex arbore ferulaceo cognomine destillans resinæ modo, in Amano Syriæ monte.

Thessala centaurea. A Chirone Thessalo inventa.

Longe &c. Nascentis scilicet procul ab ea regione Psyllorum. Singulare remedium abigendis serpentibus odor adusto cervino cornu. Plin. lib. 8, c. 32.

Nec dat &c. Nec vulnus, & mors imminens incantatores respirare sinit, aut carmen intermittere.

Et cujus &c. Idest, cujus serpentis morsu quis fuerit iustus, ex gustu veneni Psylli cognoscunt.

Pag. 308 *Threiciasque* &c. Bosphorum Thracium, Propontidem, & angustias Hellespontii. *Amore notatum.* Leandri & Erus, quem cecinit Musæus, dein Ovidius in epist. inter tranandum mersum: quod ubi comperisset Ero, se quoque turri præcipitavit.

Qua pelago &c. Helle, filia Nepheles & Athamantis, cum Phryxo fratre novercæ insidias fugiens ariete, quo vehebatur, delapsa & undis submersa, Euxino ponto nomen abstulit, effecitque, ut diceretur in posterum Hellespontus.

Sigeasque &c. Litus Trojanum, a Sigeo Promontorio, Achillis tumulo nobile.

Rhætium. Promontorium, Ajacis Telamonii sepulcro nobile.

Pag. 309 *Adspicit* &c. Scopulum, cui Hesione filia Laomedontis alligata fuerat a Neptuno, & ceto exposita; quam tamen Hercules liberavit.

Quo iudex &c. Paridem indicat, & Ganymedem, filium Trois, ab Jovis aquila raptum.

Luserit. Cum Paride in Idæ montibus.

Smyrnai... vatis. Homeri, quem Smyrna sibi vendicat.

Pag. 310 *Dî cinerum* &c. Manes invocat, & Deos Lares, in quorum aris lucet Vestralis ignis, & asservatur Palladium, tamquam imperii pignus; quod viris conspici nefas.

Phariis &c. In Pharo insula & turri, quæ claudit portum Alexandriæ, extruebantur faces, quæ nocturno tempore appellentibus navibus prælucent.

Pag. 311 *Nec vile* &c. Ostendit officium hoc, quamvis facile præstitum fuerit, magni tamen esse faciendum a Cæsare; quum Dionysius iste in gratiam Cæsaris minime veritus fuerit interficere Pompejum, qui & avi ejus, Ptolemæi Lathyri, fuerat hospes; & patrem, Ptolemæum Auleten, in regnum restituerat; & ipsi quondam tutor a Senatu fuerat constitutus.

Pag. 312 *Quam debere*. Quam ostendere, se gratias debere Regi pro nece Pompeji.

Pag. 313 *Frustra* &c. Frustra cum Pompejo pugnavi, totis concussi viribus orbis, si etiamdum æmulum habeam.

Majore &c. Nunc video me majore, quam credideram, periculo bella gessisse; nam, si victus in Dionysii manus cecidissem, eadem me, quæ Pompejum, necis forma mansisset.

Pag. 314 *Fecissem* &c. Ego, ut victus divis ignosceres; tu, ut propter te servatum Roma mihi parceret, quod bellum civile gessissem.

(*O bona libertas*). Ironice, quasi non audeant mentem & affectus vultu testari, simulatum Cæsaris fletum timentes.

IN LIBRUM DECIMUM.

Pag. 315 *Pompeji colla secutus*. Theodotum, qui Pompeji caput a Rege missum Cæsari obtulerat.

Pag. 316 *Profuit*. Cæsari, ne in easdem insidias incideret.

Paratoniam... urbem, Alexandriam; a Parætonio por-

ur, & oppido Ægypti non longe ab ipsa Alexandria.

Terrarum &c. Raptus morte, quæ sola potuit vindicare terras ab Alexandro subactas.

Nam sibi &c. Si enim libertas umquam restituenda fuisset Orbi, nihil aliud futura erat Alexandri memoria, quam ludibrium, & pessimum ambitionis, superbæ, ac regnandi cupiditatis exemplum.

Pag. 317 *Nilonque* &c. Strabo refert Alexandrum cum Sesostre, rege Ægypti, statuisse lustrare Æthiopiam, ut fontes Nili quæreret.

Qui secum &c. Qui eadem invidia, qua vivus non tulit imperii æmulum, illud moriens nemini reliquit, quasi alteri vel mortuus tantam magnitudinem invideret. Regni autem inter Alexandri duces divisionem vide apud Curtium lib. 10.

Babylone sua. In suam potestatem redacta.

Terrasque &c. Ultra Zonam torridam jacentes, quarum incolis Notus sive Auster a Zona torrida spirans perinde terga ferit, ac Boreas citra eandem habitantibus.

Pag. 318 *Laxare* &c. Ut laxaret sibi carcerem, quo custodiebatur, inquit Bersmanus. Ego de catenis portum Alexandrinum obstruentibus dici opinor. Scribit enim Plutarchus, Cæsarem ad se ex agro accivisse Cleopatram regno ejectam. Quæ cum Apollodoro Siculo lembum ingressa, nocte ingruente ad regiam pervenit; quoniam latere aliter non posset, stragulo se iligatam ab Apollodoro ad Cæsarem per fores apportari passa est &c.

Emathiis . . . *tectis*. Alexandrinis, ab Alexandro Macedone conditis; vel Cæsaris victoris in Emathia.

Sistro. Erat sistrum crepitaculum æneum, quo Ægyptii sacerdotes in Isidis sacris uti solebant. Vicina quoque tubæ apud Ægyptios exhibebat. Virg. Æn. lib. 8:

Regina in mediis patrio vocat agmina sistro.

Casare &c. & v. seq. *Leucadioque* &c. Asiaticam pugnam in Antonium & Cleopatram ab Augusto gestam denotat.

Partus. Cæsariem ex Cleopatra susceptum indicat.

Pag. 319 *Donare*. Cleopatraz, quam fratre cæso præfecit Ægypto.

Satellitæ. Achillæ, præfecti regi.

Pag. 320 *Pax ubi parta*. Compositis inter se rebus, & reconciliata fratri Cleopatra, exstruitur convivium. *Duci*. Prolemæo. *Donisque ingentibus emptæ est*. Debuerat pater ejus, qui tum rex erat, Cæsari septingentes HS. inde qua-

dringencies petebat ad alendum exercitum. Plut. in Cæs.

Nec summis &c. Non jam crustis secti marmoris testa parietum superficies: sed stabat sibi, idest, per se solidus, non incrustatus & alteri insertus, Achates lapis, de quo Plin. lib. 37, cap. 10, & Porphyrites, de quo idem lib. 36, cap. 7.

Tyrio &c. Purpureo, a Tyro; ubi optimus purpurarum siue muricum piscatus.

Virus &c. Idest, non semel tantum medicato liquore tincta fuit.

Plumata. Intertexta auro atque varii coloris liciis: licia porro sunt fila, quibus textiices in telis conficiendis implicant stamina; & nonnumquam pro staminibus ipsis accipiuntur.

Pag. 321 *Torta caput. Tortis crinibus Æthiopes*, inquit Martialis lib. Spect. ep. 3. *Refugosque gerens* &c. Reiectos in cervicem, & Solis vapore adustos.

Solvit &c. Ut rariora essent fila, discrevit.

Dentibus hic &c. Pedibus eburneis rotundas mensas citreas imposuere.

Non sis ille &c. Sensus est: tam opima præda non Cæsarem modo, nefandum hominem; sed vel continentissimos illos *pauperis avi* duces alliceret.

Sordidus &c. Quint. Cincinnatus, qui agrum trans Tyberim fodiens a legatis Dictator salutatus est. Alii Serranum intelligunt, juxta illud Virg. Æn. lib. 6:

Te sulcos, Serrane, serentem.

Pag. 322 *Nobile sed* &c. Sed vinum Meroæum, quod paucis annis nobilitatem saporis odorisque consecutum est, decocta cruditate: Meroe autem insula est Nili maxima. Phalerum proprie e Campania; at hic pro nobili & generoso quolibet vino sumitur, quod *indomitum*, idest in dolis ita feruet, ut coaceri nequeat.

Cecropium. Atheniensem, a Cecröpe rege. *Platona* &c. Plato in Ægyptum ad prophetas & sacerdotes profectus arcanæ & disciplinas eorum edidicit. Laertius lib. 3.

Capacior. Idest, qui noscendis mundi caussis sit magis idoneus.

Pag. 323 *Eudoxi* &c. Eudoxius iste fuit Cnidius, auditor Platonis, qui cum Crysippo medico in Ægyptum profectus, anni rationem reversus Græcis tradidit, & Ephemeridas scripsit. Laert. lib. 8. Hujus autem Fastis, idest rationi anni, Cæsar dicit suam anni correctionem non cessuram, quæ ob-

servationi veteri adjecit X dies, ut annum CCCLXV dies efficerent, &, ne quadrans deesset, quarto quoque anno unus dies intercalaretur. Plutarchi Cæs. & Macrobi. lib. 1 Saturn. cap. 14.

Sideribus &c. Ut hic locus apte intelligatur, animadvertendum est sistema fuisse veterum Astronomorum, diurnum astrorum & planetarum motum fieri cœli conversione ab Ortum in Occasum: qua conversione quasi per vim planetæ raptarentur. Hi enim omnes motu insito ac suo ab Occasu in Ortum diversis temporibus feruntur. Auctor itaque, ut planetas indicet, ait esse illos ea sidera, quæ cœli conversionem moderantur, perinde ac si contrario motu cœli motum ab Ortum in Occasum retardarent, quod iis verbis indicat *Occurruntque polo*.

Sol &c. Tribuit Soli temporum & tempestatum regimen, diurnum & noctium vices, potentiam denique in planetas cæteros; quos ipse suis radiis quasi vinculis extra orbem ire verat, & eorum cursus, ne vagi sint, statione, nimirum certo orbe continet. Hoc sistema Veterum hac in parte idem est, ac sistema Newtoni, si radiorum potentiam transferas ad trahentem Solis vim.

Luna &c. Hoc quoque pulcherrimum, cognovisse Veteres in Luna vim marinos æstus moderantem; quod universæ Europæ Accademiæ nostris hisce temporibus demonstratum putant. Influxum etiam Lunæ in terram, & terrena omnia indicat Auctor; quæ opinio per hosce dies rediviva summos in omni gente patronos habet.

Saturno &c. Tribuit Saturno regimen utriusque Zonæ frigide; Marti ventorum & fulminum dominatum; Jovi in Zonas temperatas, & serenitatem aeris imperium; Veneri ortum & generationem rerum omnium; Mercurio fontium & fluminum universorum moderationem. Hæc porro omnia poetica prorsus sunt, sapiuntque stolidam Veterum superstitionem.

Pag. 324 Hunc ubi &c. Notat tempus, quo Nilus incipit tumescere, quum scilicet Mercurii sidus accedit ad Tropicum Cancræ, ubi flagrat Sirius seu Canicula; utque idem tempus, & situm Nili clarius indicet, designat punctum Solstitii in Tropico Cancræ, cui Tropico ora Nili in terris respondere autumat.

Varii mutator &c. Locus hic miro torsit Interpretes. At quum scopus Auctoris sit designare punctum Solstitii in Tropico Cancræ, designat eodem tempore punctum oppositum in Tropico Capricornæ, quem Græco vocabulo *Ægoceron* no-

minat. Appellat porro Zodiacum circulum anni mutatorem, quod Sol hujusmodi circulum percurrrens varias anni tempestates efficiat.

Ignē superjecto. Quum scilicet Mercurius aquarum dominus aperit ora Nili, & Sirii ardor ejusdem aquas tumefacit.

Auctusque &c. Ait non ante flumen hoc auctus suos coartare, quam accesserit Autumnī Æquinoctium.

Pag. 325 *Zephyros &c.* Optime animadvertit Scaliger Auctorem confudisse cum Zephyris ventos Etesias stato tempore spirantes, idque per multos dies. Hi porro venti non ab Occidente, ut Zephyri, sed a Septemtrione spirant; qui pel-lentes nubila & vapores in magnos Æthiopie montes incrementum Nili promovent; vel qui obsistentes Nilo fluenti Septemtrionem versus ab Austro, & mare Mediterraneum in Nilum trudentes, efficiunt, ut unda fluminiscursu coercito fundantur in campos. Hæc omnia quum Auctor adscribat Zephyris flantibus ab Occidente, causas quidem indicat, errat tamen in definiendo situ & plaga.

Nec non &c. Vetustissima opinio fuit, ut ipse lusit Anacreon, Solem & Sidera Oceani aquis pasci, scilicet aquam in aerem & deinde in ignem converti. Hinc ait Auctor Solem, quum accesserit ad Tropicum Cancrī, tantam aquarum vim in aerem tollere, ut ab ipso aere nequeat attenuari, & alius evehi; proptereaque noctis tempore superstitem aquarum partem in terram delabi, & Nilo flumini incremento esse.

Pag. 326 *Quædam &c.* Explicat demum Sacerdos ille Ægyptius sententiam suam, affirmans quædam flumina diu post Orbem conditum fortuita aquarum collectione e terræ sinu erupisse, ac propterea esse vaga & inconstantia; quædam vero ab ipsa mundi origine certo alveo & statis legibus decurrentia Creatoris jussu exstitisse.

Sesostris. Assyriorum Rex, ab aliis devictis Regibus curru junctis vehi, atque ita triumphare solitus.

Longi populos &c. Ad Æthiopas nempe Μακροβίς.

Cede &c. Decimo quoque milite sorte ducto.

Pag. 327 *Solstitiis.* Æstivo tantum; nam hibernum *Bruma* nomine appellant Latini Scriptores, ut monuimus alias.

Hiemes. Hiemis vocabulo aquarum abundantiam indicat, quæ apud nos hiberno tempore decidunt, & ex quibus sui juris quasi factis incrementum Nilus accipit.

Plagas Phæbi. Zonam torridam.

Pag. 328 *Phileæ.* Oppidum ab Arabia Ægyptum dividens. :

Abaton &c. Ægypti Petra in palude Memphitica, sic dicta, quia inaccessa. Ibi Osiris Rex sepultus fuerat.

Pag. 329 *Dignatur &c.* Pothinus scilicet Cæsaris quoque sanguine viles suas manus, seque famulum cohonestare nititur.

It scelus &c. Poena de Cæsare tyranno sumenda a Romanis Ægyptiorum pene scelus evaserat, interficiendique tyranni gloria atque exemplum fere perierat.

Cessat &c. Perinde ac solus esses, neque tali exercitu instructus, *cessat accurrere* ad has Cleopatram cum fratre nuptias impediendas & opprimendas?

Senem. Cæsarem scilicet formæ illecebris & lenociniis.

Pag. 330 *Si fuerit &c.* Si fratri placere cœperit.

Perdidimusque &c. Nisi patris tot sceleribus novum hoc quoque scelus adjungamus.

Ad scelus &c. Magnum est fatum nostrum & potens ad scelera, quin sit necesse nobis, ut Pompejo & Cæsari, *opes populorum*, ac regna movere.

Pag. 331 *Non sibi dant.* Idest, non ut se vindicent in libertatem, Cæsarem interficere parati sunt; sed ut vel exiguam mercedem aliquam consequantur.

Quid te &c. Quid hostilius efficere possent in Cæsarem Ægyptii, si in eundem dimicarent, Pompejum exceptum hospitio defensuri?

Pag. 332 *Aderant &c.* Pothinus intra, Achilles extra Urbem. Plutarchus refert, tonsorem Cæsaris, hominem timidissimum, dum omnia curiose exploraret, percepisse insidias Cæsari strui ab Achilla & Pothino, indiciumque rei detulisse; Cæsarem cœnaculum præsidio cinxisse, & Pothinum interfici jussisse; Achillam vero fuga in castra elapsum intulisse ei difficillimum bellum &c. Aliter Cæs. lib. 3 de Bello Civ.

Non raptuere. Non temere & raptim aggressi sunt.

Iustus. Pleno & ordinato exercitu paratos ad pugnam. Liv. lib. 39, cap. 2: *Eos primo levibus præliis fatigavit; postremo coactos in aciem descendere justo prælio devicit.*

Pag. 333 *Causa &c.* Iniqua, nec felicem exitum promittente.

Fixo . . . in hospite. Tamquam proposito signo, quosagittas dirigat.

Tyriis. Ob Tyriorum coloniam.

Sic barbara c. Instar Medæ, quæ Apsyrtio fratre discerpto insequentem patrem, aurei velleris ab Iasone rapti vindicem, retardavit.

Pag. 334 *Æstimat.* Quum verbum hoc optimis Interpretibus

nullius esse significationis hoc in loco videatur, conjectantur legendum esse *Res minima*. Si huic conjecturæ subscripseris, omnia clara.

Non Pontus &c. Non bellum Ponticum a Pharnace Mithridatis filio motum, quem patrium regnum in potestatem suam redigere conatum vicit, ac Ponto detruxit.

Et gelido &c. Non Hispanica bella, quorum alterum in Petrejum & Afranium, in Pompeji filios alterum.

Qua se &c. Regiæ enim pars, in quam Cæsar habitandi caussa initio erat inductus, habebat aditum ad portum & ad reliqua navalia. Cæs. Comm. 3.

Pag. 335 *Ceruchi*. Antennarum cornua, ab ἑλω & κέρα.

Sed quæ vicina &c. Præter alias ædes, celeberrimam quoque Ptolemæi Philadelphi Bibliothecam ignis absumpsit.

Clastrum pelagi. Alexandriae namque ponte conjungitur.

Proteos. Egypti regis, tempore belli Trojani.

Pag. 336 *Nec non subrepta* &c. Interim Arsinoe, filia minor Ptolemæi regis, vacuum possessionem regni sperans ad Achillam se ex regia trajecit, unaque bellum administrare cœpit. Sed orta celeriter inter eos de principatu controversia, quum alter alteri insidiaretur, & summam imperii ipse obtinere vellet; præoccupat Arsinoe per Ganymedem Eunuchum, nutricium suum, atque Achillam interficit. Cæs. Comm. Civ. bell. 3, & Hirrius 4.

Potuit discrimine &c. Vel unum illud Cæsaris summo cum discrimine factum meretur in omne ævum propagari.

Molis in exigua &c. Inaggere circa pontis oppugnationem.

Pag. 337 *Respexit* &c. Subiit illius animum memoria & imago Scævæ, qui unus in mediis hostibus fortiter Dyrrhachii sustinuit Pompeji copias, victoriamque ejus moratus est.



Errata in Notis Juvenalis & Persii sic Corrige.

Pag.	4	lin.	14	<i>quis</i>	<i>quid</i>
			36	<i>Tyaris</i> , Tyarus	<i>Gyaris</i> , Gyarus
	6		11	<i>Cleantbus</i>	Cleanthas
	8		5	cedunt	cedant
	12		9	quæ	qui
	13		17	in fluentem	influentem
			21	Catechesis	Catachresis
	25		21	Vubsiniensi	Vulsiniensi
	27		33	Trypheram	Trypherum
	32		24	templo	in templo
	34		1	AULII	AULI



